
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
15 A
11

D. NICETAE CHONIATÆ MAGNI LOGOTHETÆ SECRETORVM, INſpectoris & Iudicis Veli, Præfecti ſacri cubiculi,

THESAVRI ORTHODOXÆ FIdei libri quinque priores, quorum primo ſecundo & tertio iactis Chriſtianiſmi fundamentis, Quarto Antearianas 44. hæreſes, Quintóque Arianorum & Eunomianorum deliria confutat.

Ex Bibliotheca C. V. D. Ioan. à S. Andrea.

Petro Morello, Turonenſi Interprete

Εἰς Νικήτου Χωνειάτου θησαυρόν.
Ἀΐδη χρισοῦ, καὶ οὐχ ἑτεραλκέϊ νίκῃ
Νείκεα Νικήτης νικᾷ ὅδ' αἱρετικῶν.



LVTETIÆ,
Apud Gulielmum Chaudiere, via Iacobæa, ſub inſigni Temporis, & Hominis ſilueſtris.

1580.

CVM PRIVILEGIO REGIÆ MAIESTATIS.

CHRISTIANÆ FIDEI SYMbolum, DD. à S. Andrea Stemma.



Ημῖν, ὦ Κύρι᾽, ἀντιβολῶ, ἔσο πύργος ἐρυμνὸς,
Σωτὴρ, καὶ κακιῶν κραιπνὸς Ἀλεξίκακος.

Latinè, ad verbum.

Nobis, ô Domine, esto turris fortis,
Seruator, & malorum velox Auerruncator.



CLARISS. VIRIS DD. IACOBO ET IOANNI A SANCTO Andrea fratribus, illi Præfecturæ libellorũ supplicũ in Parisiẽsi Curia Pręsidi, huic in Augustissima Parisiorum D. Virginis æde, Canonico, humanissimis Dominis & Mecœnatibus suis Petrus Morellus S.

QVOTIES Apud me tacitus perpendo, Clarissimi viri, quàm propensa vestra sit in Rempub. Christianam voluntas, quámque studiosè atque liberaliter totis animi, corporis, & fortunæ viribus connitamini, vt aliquis maiorum gẽtium autor vel media è Græcia petitus & Turcico furori subductus ex Hermathena illa vestra libris omnegenus ĩstructissima in communem studiosorum omniũ, & nostratum & externorum, vtilitatẽ expromatis, vitam certè mihi acerbam esse puto,

imò etiam ἐν μεγάλῃ, vt cum Gnomographo Megarensi loquar, χεῖμαι ἀμηχανίῃ: quòd, cùm prior Nicetæ vestri Choniatæ Orthodoxæ fidei Thesaurus ad vmbilicũ, quãta per ciuilium turbarum discrimina & calamitates publicas diligẽtia potui, perductus, in vulgus exeat, ea mihi verborum rerúmque copia negetur, qua vos Nicetámque vestrum candidis lectoribus ex merito cõmendare poßim, vt cuius, atque ipsi adeò posteritati, quantum vobis omnes mecum debeant, & in posterum debituri sunt, innotescat. Quis enim, quæso, se perpetuo vobis nexu deuinctum inficiaturus est, si modò secum reputet, quot notæ melioris autores ab annis tricenis vestro ex Musæo in publicum prodierint? qui nisi vos, quosdam quasi rei literariæ vindices nacti essent, actum de ipsis erat, eósque aut blattæ corrosissent, aut situs & temporis longinquitas aboleuissent. Quod in periculum iampridem vester hic Nicetas, vt lupus sit in fabula, τὸ δὴ λεγόμενον, incidit, vsq; adeò folia propè omnia, præterquã quòd fugientibus literis exarata sunt, certè præ teredinum tinearúmque vestigiis, quæ subinde occurrũt, cribrus quàm libri paginis

ſimiliora videntur. Verùm quia de hoc ex professo ago epiſtola illa, quam duodeuigeſimum ante annum (quo tempore Nicetam auſpiciis veſtris in optimi Typographi doctiſſimique viri D. Vaſcoſani ædibus trãſcripſi, & interpretationem à D. Choniatæ Athenienſis Epiſcopi Monodia, hoc eſt ἀπὸ τοῦ πίθου τὴν κεραμείαν, *ſeu à dolio figulinam, vt in prouerbio eſt, exorſus ſum) ad te clariſſ. vir D. Ioan. à S. Andrea miſi, iccirco cùm bona veſtra venia ex Hiſtoriæ Byzantinæ corpore (cui vnà cum Monodia, quam in Nicetæ fratris funere Athenienſis ille Præſul habuit, à doctiſſimis viris DD. Franc. Balduino, & Ioanne Ayminio inſerta eſt) eductam huic ſubiunxi, ea præſertim de cauſa, quia Nicetæ veſtri vitam continet, quam* αὐτοσχεδιαστὶ *tunc ex eadem Monodia & aliquot huius Orthodoxiæ Theſauri locis collegi. Qua quidem ex vita mira duo* τῆς φιλαδελφίας *exempla velut è re nata mihi proferenda video, vt doctiſſ. virorum, DD. Aurati, Gulonij, Ioannis à Reberteria, velut ſuccenturiatus,* τῶν εὐφημισμῶν ἀπηχήμασιν *accinam. Perappoſitè ſanè* τὴν φιλαδελφίαν *veſtrã,*

mutuúmve fraternitatis amorem celebrant omnes, quæ duobus his exẽplis ex Monodia petitis illustrari queat. Prius est de Michaëlis & Nicetæ Choniatarũ, posterius de Michaëlis & Iannis Belissariotarũ φιλαδελφίᾳ, Siquidẽ quæ de clarissimis illis viris in Monodia dicuntur, ea in vobis hodierno die ita elucescunt, vt duo illa Colossensis & Byzãtinæ φιλαδελφίας paria vestræ quædã quasi symbola fuisse videãtur. Quid autẽ ab exteris peto, quod domi vestræ natum est? Quasi verò quis huiusmodi fraternitatis amorem, & cæteras animi dotes vobis auitas & ab antiquo familiæ vestræ insitas esse ignoret. Nemini certè, cui cõtinua Fastorũ Gallicorum series nota sit, dubiũ esse potest, quanta virtutũ omniũ, ne dum τῆς φιλαδελφίας ornamenta in auo vestro (ne altiùs nobilissima gentis vestræ stẽmata repetã) clarissimo, inquã, viro D. Petro à S. Andrea refulserint, quẽ Christianissimus Francorũ Rex Ludouicus duodecimus multis ex millibus vnũ delegerit, reíque publicæ Genuẽsiũ (qui paulo ante Venetorum armis attriti ad Mediolanos cõfugerant) ipse Mediolani, vtinã perpetuus vt legitimus, quemadmodum &

Neapoleos & Siciliæ princeps, præfecerit, vt ibi primũ, tũ deinde Tholosæ, primi Præsidis munus obiret. Iã quæ maior φιλαδελφία proferri potest ea, quæ in eius patre vestróque proauo D. Bertrando à S. Andrea Maiore Carcassonensium iudice fuit? (quamuis is à me ὑπεροπτρώτως proferatur) & ad D. Petrum eiúsque liberos velut hæreditario iure transiit? quorũ alter D. Martinus à S. Andrea Carcassonensium Episcopatui præfuit, alter D. Franciscus à S. Andrea, optimus ille parens vester, secundum in supremo Parisiorum Senatu, hoc est in sacris Themidos ipsius adytis, Præsidẽ egit, beata cuius memoria, quamuis ἔπαυλος, doctissimi cuiúsque scriptis ita posteritati commendata est, vt nulla vnquam obliuione à piorum animis obliterari queat. Cuius quanta pietas vitæque integritas fuerit, testantur, & in æternum testabuntur cùm pleraque alia, tũ pulcherrimum illud templum, quod D. Mariæ Virginis Euangelismo, vt Græci vocãt, seu Annuntiationi, iuxta castellum vestrũ Tygeriacum, ad vnum aut alterum ab oppido vestro Corbolio lapidem in vicinorum gratum extruxit. Addo augustissimum

illud Sanctandreanorum ſacellum, quod in ſuburbano Pariſienſium Minimorum, quos vocant, fratrum viſitur. Huic in rebus, quæ ad cultum diuinum ſpectant, propagandis zelo accedit non minor in familia conſtituenda dexteritas & ſolertia, quæ non tam in augendis facultatibus, quas ab auis ἀνέκαθεν ampliſſimas habuit, vobíſque cum cæteris omnibus ornamentis, tãquam λαμπάδουχῶν, abſoluto vitæ ſtadio, tradidit, quàm conſeruandis apparuit. atque potiſſimùm in ipſis Oeconomiæ, vel Heſiodo, Ariſtotele, Xenophontéque teſtibus fundamentis, hoc eſt nobiliſſima primariáque vxore ducenda, quæ diuino nutu proletaria clariſſimas Pariſienſium εὐπατριδῶν ſeu Patriciorum claſſes non pauca primariorum liberorũ acceſſione cohoneſtauit. Quis verò hîc iudicium viri non admiretur, quod in deligendis & generis & nuribus adhibuit? Parcant mihi clariſſimæ Budæorum, Clericorum, Tilliorum, Vallenſium, Floridorũ, &c. familiæ, quas omnes Virtus dux, fortunáque comes ad ſummos honorũ gradus prouehere pergũt, quarúmq; ſingulæ vix ſingulis libris, nedũ epiſtolæ vnius ſingu-

ſtiús ex merito deſcribi poſsint, vt conſultiùs tacere, quàm pauca de iis dicere mihi videatur. Quò enim, quæſo, ferar, ſi vel in Budæi, vel Nicolai Clerici, cæterorúmve laudes, quibus deſcribendis imparem me fateor, effractis verecũdiæ repagulis, egregiè vel iudicio Ciceronis impudẽs excurrã? Indefeſſã Budæi bonis in literis præſertĩ Græcis operã innumera Muſarum μυροθήκια totũ iampridem orbem peruagata teſtantur. Non minorem D. Nicolai Clerici (à cuius immatura morte, nobiliſsima ſoror veſtra D. Clara Sanctandreana turturis more à ſecundis abhorrens nuptiis ingenuorum nepotum veſtrorum DD. Franciſci, Nicolai, & Petri Clericorum, educationi cõſtanter inuigilat) non minorem, inquam. D. Clerici operam in re literaria Plinius vndecim, duodecím ve codicum manuſcriptorum collatione, non innumeris dicam ſed omnibus in locis, emendatus propediẽ σὺν τῷ θεῷ teſtaturus eſt. Eum, enim D. Nicolaus Clericus eiúſque fratrès, non ſolùm paternarum opum, ſed etiam virtutum hæredes, veſtris auſpiciis parturiunt. Quod opus cũm in lucem exierit, Lectores candidi, vltro Beati Rhenani voto factum

satis esse fatebuntur. Sed ne maius thylaco τουπεισαγμα sit, Clarissimi viri, ad Nicetam vestrum redeo, cuius vitam epistolæ proximè sequenti, anno 1561. ipso Poßiaci conuentus tempore inserui, quam cum bona vestra gratia, quæso, cuiuis candido Lectori cum quinque prioribus Orthodoxiæ Thesauri libris, Michaëlisque Monodia, proponere mihi liceat. cæteros ad 27. vsque libros ἐφεξῆς, cùm Deus volet auspicibus vobis subiuncturo, qui certè iampridem Typographis commißi fuissent, nisi tempestas à Poßiaco conuentu oborta Nicetam vestrum ἐν γωνίᾳ τῆς γῆς mecum delitescere,


Dum desæuit hyems, & dum modus additur vndis,

coëgisset. Vt taceam Bibliothecam Græcis & Latinis autoribus instructißimam nondum meas in manus peruenisse, quam mihi testamento legauit D. Guil. Maïnus, Magni Budæi (in procurãdo trilingui Musarũ Iudæa Helladéque profugarum Cameracẽsi Xenodochio, ipso in Academiæ Parisiensis meditullio) Achates, Benedicti Theocreni in Regiis Francisci Magni literarũ & artium liberalium parentis, liberis Francisco,

Henrico, & Carolo instituendis successor, Academiæq; Pictonidos cācellarius magni Hērici secūdi auspiciis, qui solus è tribus fratribus Frācorū regno Christianissimo regūdo superfuit, illius inquā Henrici, qui Franciscum secundum, Carolum nonum, Henricum tertium Christianissimum Francorum Polonorúmque Regem, atque Franciscū eius fratrem, Serenissimum Andegauorum, Turonensium, Biturigum atque Alenconiorum Ducem, magno Christiani orbis ornamento protulit. Eam bibliothecam D. Maïnus perlectis Nicetæ Thesauri, Pisidis Cosmurgiæ, Octoëchi seu Anastasimorum D. Ioan. Damasceni Canonū, Ioannísque Tzetzis Homericorum lemmatis, in gratiam optimi parētis vestri D. Franc. à S. Andrea mihi anno Christi 1564. legauit, vt Latinam tantorum operum conuersionem accelerarem. Quibus autem Μισελλήνων *quorūdam collusionibus, quibus tamen ab anno Christi, 1547. inseruij, iactatus sim, Iouis auribus relinquo, & ad priorem Epistolā meam Nicetæq; vitam trāseo. Valete, Clarissimi viri Lutetiæ ad 15. Cal. Decemb. 1579.*



AD CLARISS. VIRVM D. IOANNEM A S. ANDREA, CARCASnẽsis Ecclesiæ Decanũ, P. Morelli Epistola, quam quia Nicetæ Choniatæ vitam continet, corpori vniuersæ historiæ, præsertim Byzãtinæ, ante 12. annos inserendam doctiss. ille I. C. Fr. Balduinus, idque pag. 73. eique ἀμέσως Michaëlis Choniatæ de Nicetæ fratris funere Monodiam subiungendam curauit.



EVICI tandem, Ornatissime vir, quod iampridem votis omnibus exoptabam, atque ad vmbilicum perduxi monodiam illam Michaëlis Choniatæ Præsulis Atheniensis, qua Nicetæ fratris exequias cohonestat. Ea certè, vt dicam quod res est, diu me suspensum tenuit, propter salebras illas penè continuas: cursúmque hactenus remorata est, quo in Nicetæ thesauro satis feliciter procedebam, quamuis in eo quoque libros aliquot, præsertim priores & posteriores non paucioribus salebris scatentes deprehenderim. Quæ me causa permouit, vt eos primo quoque tempore transcribe-

rem, Latinóq; sermoni donarem, ne si diutius differrem, à blattis ἀνηκέστως exederentur. Eos ad te mittere visum est, ornatissime vir, tanquam laboris, quem te authore anno Christi 1560. suscepi, primitias: qui si arriserint, operàm dabo vt reliqui sigillatim subsequātur, iustúmque thesauri librorum numerum, nempe 27. adimpleant, atque ita Nicetas ille, quem vel ex Annalibus, qui nō ita pridem ab Oporino editi sunt, tanquam ex vnguibus leonem, facilè cognoscas, nunc tandem tuis auspiciis & sumptibus à tenebris vindicetur. Cuius beneficij nomine bona posteritas tibi gratias immortales habebit, vbi resciuerit vetustissimum Thesauri Orthodoxiæ beati Nicetæ Choniatæ exemplar (vt quod à Niceta ipso descriptum sit) post authoris mortem ad Michaëlem Choniatem Atheniensium Præsulem velut hæreditario iure transiisse, quo item mortuo in manus Theodori Scutariotæ Leuitæ Cyziceni venisse, Cyzicóque à Turcis vastata in frequentissima illa καλοιερῶν ἁγιορειτῶν, monasteria, quæ sunt in Atho mōte, deportatum: atque inde tandem Lutetiam aduectum, Venaléq; à Græco quodā expositum nullos aut paucos admodum emptores nactum (propter deformitatem nimirum, vt Æsopum illum fabulatorem olim) præter vnum Ioānē à S. Andrea, cuius è bibliotheca boni authores, hodie præsertim Græ-

ci, non aliter exire possunt, atque ex equo Troiano boni milites,& ex Isocratis schola oratores exiisse feruntur.

CERTE tu de vetustissimo illo exemplari idem subodoratus, quod Xanthus ille de Æsopo, pretium Græco numerasti, exēplárque mihi commissum euoluendum curasti. tandem deprehensa ἐπιγραφὴ non carbonum, vt in prouerbio est, sed orthodoxæ fidei thesaurum in paginis illis situ & squalore ita obductis,vt nisi post multas vigilias legi potuerint, delitescere ostendit. Mox se index quoque aperit, seu elenchus, quo summa librorum Thesauri capita notantur, à Niceta ipso & compositus & scriptus, quemadmodum & libri omnes huius operis,exceptis duobus vltimis,qui à Theodoro Scutariota scripti sunt, qui Monodiā quoque Michaëlis scripsisse videtur. Theodori αὐτόγραφον ex appendice ad indicem libri 25. colligo.

Exemplar Græcum vnicum illud & miris cōpendiorum scripturæ labyrinthis exaratum, Nicetæ ipsius αὐτόγραφον est.

VARIA alia opuscula, vt Alexij, Michaëlis, & Iosephi Constantinopolitanorum Patriarcharum, Eustathij, & Germani Nicenorum Præsulū,Eustathij Patricij Romani, περὶ δύο ἀδελφῶν λαβόντων δύο ἀδελφάς, hoc est de duobus fratribus duas sorores ducētibus,Alexij Comneni Imperatoris χρυσόβουλλος,seu Aurea bulla:Sacerdotis cuiusdam ad Eliam Cretensem περὶ τρὶς κομιδῆς,&c.(quibus exemplar velut

μυροθήκιον quoddam refertum est) quis trā-
scripserit, nulla coniectura prorsus assequi possim Idem de Philosophico quodam περὶ τῆς τῶν ψυχῶν εἰσκρίσεως, & Ecclesiastico De Armeniorum hæresi commentario, idem etiam de appēdice illa sentio, quę libro secundo adhæret: cùm tamen ad 25. pertineat, vt ex verbis pauculis Scutariotæ Indici Nicetę additis videre est, qui appendicem illam quæ anteà desiderabatur in fine 25. libri alicubi repertam se attexuisse affirmat.

IAM vt pauca de vita obiter addā, quæ tum ex monodia Michaëlis, tum Thesauro ipso colligere potui,

D. Nicetæ Choniatæ vita.

COLOSSÆ Asiatica illa CIVITAS quā D. Pauli Epistola nobilitauit, hoc Choniatarum fratrum par Michaëlem & Nicetam tulisse videtur, vt colligo ex 22. capite libri 4. vbi in τεσσαρες καὶ δεκαςῶν hæreseos antithesi Pauli locum ex Epistola ad Colossenses citaturus, ita scribit: ὡς ὁ Παῦλος ἐν τῇ πρὸς τοὺς πατριώτας μοι Κολοσσαεῖς ἐπιστολῇ θεολογεῖ. Vt taceam quod Choniates Colossēsem significare videatur. quæ enim ciuitas Colossæ olim, posteà mutato nomine Χῶναι dicta est, vt in manuscripto quodam Lexico legi, quod D. Vascosanus Typographus de literis & literatis optimè meritus, inter multa alia vetustissima exemplaria habet, manibus cuiusdam

Vascosani lexicum Græcum manuscriptum.

ex Michaëlis Pſelli, auditoribus deſcriptũ. In eo ſic ad verbum habetur. Κολασσαὶ, πόλις Φρυγίας, αἱ νῦν λεγόμεναι Χῶναι, ὅθεν καὶ Κολασσαεῖς.

Frater fratris preceptor.

MICHAEL Choniates natu maior à Patre ex Aſia Byzãtium deductus eſt, vbi cùm poſt prima literarum tyrocinia maioribus diſciplinis animum ita excoluiſſet, vt iam inter profeſſores cenſeretur, Nicetam fratrem paruulum, vt qui nouem annos natus eſſet, & ipſum à patre deductum literis & moribus informandum accepit, quod tanta cura, ſtudio, & labore perfecit, vt Nicetas artes omnes quæ ſunt in diſciplina mediocriter edoctus, temporum ſucceſſu ad tantum dignitatis faſtigium conſcendit, vt nec Michaëlem fratris & diſcipuli, nec Patriam ciuis Nicetæ pœniteret. Tandem verò cùm Michaëlem Pontificem Athenæ ſortitæ eſſent, Nicetas in Scribarum Imperatoriorũ numerum, Imperante tum Manuële Comneno, allectus eſt.

Andronici Comneni tyrannis.

VERVM, prò dolor, ea in tempora inciderunt, quæ virtuti illorum ne emergeret, multùm obſtare videbãtur, quibus Conſtãtinopolitanum Imperium Principum plus quàm tragicis ſceleribus inclinari cœperat, Andronici præſertim Comneni tyrannide, qui Alexio nepote 13. agente annum clàm interfectò, Imperium inuaſerat. Huius tyrannidem fugiens Nicetas ad Iuris ciuilis

ſtudiũ ſeceſſit,in quo ita promouit, vt quadriennio pòſt cùm parricidam Andronicũ prælio fuſum Iſaacius Angelus populi ludibriis expoſuiſſet, camelæque ſcabioſæ impoſitum circumuectúmq; ignominioſè occîdi iuſſiſſet,Cõſtantinopolim velut poſtliminio reuerſus eſt,breuíque ad maiores honorum gradus euectus, quibus cõtinua Imperatorum ſerie perfunctus eſt, ad ea vſque tempora,quibus in Gallorum Venetorúmque manus Imperium Cõſtantinopolitanũ recidit.

CONSTAT enim (vt hiſtoriam cõtinua rerum geſtarum ſerie deducam) Iſaacium Angelum æquiſſimum principem ab Alexio minore fratre oculis priuatũ fuiſſe (per ſummum ſcelus eum excæcante,à quo magna pecunia redemptus è Turcicis manibus fuerat)atque adeò carceribus detẽtum donec Alexius Iſaacij filius opem Balduini Flandri, Gallorum, Venetorúmque Principum imploraret, pactus 3000.marcas auri commeatúſque copiam,ſi aut ipſe ſolus,aut cum patre Iſaacio carceribus tum detento Imperium recuperaret.

Ingratitudinis inauditũ exemplum.

GALLI Principes tam inſigni caſu moti Byzantium fracta catena quæ ab vrbe ad Peram extenditur,expugnant, fugientéque Alexio fratricida Iſaacium liberant,& Alexium poſt ſubitam patris mortem (ſqualore enim carceris obſitus, purum liberúmq;

Conſtantinolin expugnãt Galli.

cælum ferre non potuerat) Imperatorem dicunt. Hunc quoque paulò pòst Murſyphus quidam (vel vt alij Myrtilus) ignobilis fraude innocentem occîdit, qui tyrannus cùm fruſtrà ſe hoſtibus oppoſuiſſet, amiſſa tandem vrbe Conſtantinopoli ſub noctem mediam cum vxore, pellicibus & theſauro clàm aufugit, pauló que pòſt in Peloponneſo captus & in vrbem retractus interficitur. Vrbs itaque anno Chriſti 1202. Francis & Venetis ea lege ceſſit, vt Galli Cæſaré Gallum, Veneti Patriarcham Venetum dárent. Illi Balduinum Flandrum, hi Thomã Maurocenum ex pacto dederunt. Reliquiæ Græcorum Latini nominis odio Adrianopolim ſeceſſerunt, ibíque Theodorum Laſcarin Alexij generum, qui eam ciuitatem nomine dotis acceperat, Imperatorem elegerunt, quam cùm Galli capere conarentur, captus eſt Balduinus, & mortuus exacto imperii anno.

ET HÆC eſt illa clades, quam à Latinis perpeſſam Græciam toties conqueritur in Monodia Michaël Choniates, quo quidem tempore Athenis quoque expugnatis Beatæque Mariæ templo exterſo, eiectus eſt in Inſulam Ceo, ad Prodromi monaſterium. Nicetas anteà expugnata à Latinis Conſtãtinopoli, virginéque illa Beliſſariotide è manibus hoſtis erepta, quam poſteà duxit vxorem, (cuius facinoris ergô Michaël eum

Abrahamo, Isaaco, Dauidi, Leui & Simeoni præfert, ipsique Christo, ὑπερβολικωτέρως sanè, comparem facit) Nicæam, quæ Bithyniæ metropolis est, se contulerat, vbi quod supererat vitæ literario ocio impenderet. Quod quidem quanta diligentia laboréque præstiterit testantur, æternúmque testabuntur, diuinæ lucubrationes, quas in hoc in opus verè aureum congessit, tantóque artificio ab ipsis Adami primordiis ad sua vsque tẽpora deduxit, vt hæreseon quæ inter Iudæos, Græciæque Philosophos, ante Christum natum exarserunt, & à Christo nato inter eos qui, cũ ex diametro dogmatibus Christi aduersarentur, Christiani tamen, non secus atque veteres illi Socratici haberi contendebant, quasi hypotyposin quandam posteritati consecrarit: qua consulta, si quod aliquando dubium de rebus diuinis suboriatur, possit statim videre vtram in partem deflectendum sit. Hoc argumento multi fateor ante Nicetam scripserunt, sed Niceta, si errorem de Spiritus Sancti processione demas (quem contra Latinos mordicus tuetur) feliciùs nullus. Hic enim præterquàm quòd ex authoribus prophanis Græcorum hæreses, Iudæorũ ex sacris Bibliis, Christianorum ex Ecclesiasticis scriptorib⁹ Dionysio Areopagita, Athanasio, Eusebio, Tertulliano, Epiphanio, Irenæo, Chrysostomo, Basilio, Philostorgio,

Theodoro Mopſuheſtiæo, Socrate, Sozomeno, Theodorito, Gregoriis, Photio, Damaſceno, Cyrillo, Euthymio, Euſtratio, Nicolao Methonenſi, Maximo, Amphilochio Thoma Indicoplaſta, Leone, &c. tanquam mel apes variis ex floribus in hanc floridiſſimam Anthologiam collegit, anthitheſes quoque ſubiecit, quibus plumbei hæreticorum pugiones nullo negotio retunduntur. Supereſt, vir ornatiſſime, vt ex hoc quaſi diuerticulo in viam rediens, etiam atque etiã te rogem atque obteſter, vt has Theſauri tui primitias, primámque meam in Græcis vertendis experientiam boni conſulas, nam vel prouerbio συγγνώμη τῷ πρωτοπείρῳ, ſic enim ad reliquos Nicetæ libros tibi, & per te piis omnibus conſecrandos alacrior accedam.

Vale, vir clariſsime. Lutetiæ, ex Doctiſsimi iuxtà & humaniſsimi viri D. Michaëlis Vaſcoſani Typographia, ad Idus Octobris. 1561.

IN NICETÆ THESAVRVM A Sanctandreanis opera Morelli è situ erutum.

QVæ bona condiderat Deus optimus, omnia labi
In peius faciunt secula quaq; fidem.
Farre sua ille bono conseuerat arua colonus
Per se, discipulos, & per Apostolicos.
Nocte sed insidians lolia inuidus improba seuit,
Vnde oculis vitium nunc tot in Hæreticis.
Nunc, quæ mira Dei clementia, degener ætas
Quot mala produxit, tot dat & auxilia.
Sicut &, impia qui contra omnia dogmata pugnat,
Istum Nicetam, nomine réque parem.
Nicetam veteres qui cunctos atque recentes
Errores vicit, nomen & inde tulit.
Cuius cùm Thesaurus in agro fortè lateret
Antiquo nullis effodiendus adhuc:
Emit agrum pretio quantóuis clara propago
Sanctandræorum, qua pia nulla magis.
Conduxítque sua iusta mercede Morellum,
Hùnc qui thesaurum sedulus erueret.
Vnde Dei domus ornetur per tempora pacis:
Armetur belli tempore in Hereticos.
Gratia magna Deóque Deúmque colentibus ipsis
Fratribus, hac per quos gaza reperta fuit.
Qui genitore pio prognata piissima proles,
Iura Fori pariter sacra Deique colunt.

Io. Auratus Poëta Regius.

ΕΙ'Σ ΦΙΛΑΔΕΛΦΙ'ΑΝ ΤΟΙ͂Ν Σαγκτανδρεάδαιν.

Κάστωρ ἱππόδαμος, καὶ ἀμώμητος Πολυδεύκης,
  Αὐτοκασιγνήτων πρῶτον ἄραιτο κλέος,
Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε
  Τεθνᾶσιν, κασίων τῶν ἀγαθῶν ἰδέη.
Εὐχομένων ἐπὶ γῆς σωτῆρες, ἀμύντορες ἄμφω
  Πολλάκι ναυηγοὺς σῶσαν ὑποβρυχίους.
Σφὼ Σαγκτανδρεάδα τοίω γινώσκομεν ἡμεῖς,
  Ἀστέρε λαμπροτάτω τῆς ἀγανοφροσύνης.
Εὐνομίην σὺ μὲν ἀμφαγαπῶν, Ἰάκωβε, δικάζεις,
  Ἰθυδίκης κραδίην, χεῖρας ἀδωροδόκος.
Καὶ σὲ δ' Ἰωάννη θρησκείης ἐσθλὸς ἔχηε
  Ζῆλος, ὑπερβασίην αἱρετικῶν στυγέων.
Τὸν ποτε Νικήτης ῥαιστὴρ, θησαυρὸν ἄριστον
  Ἔλλιπε τῆς διδαχῆς πίστιος ἰθυπόρου.
Νῦν διὰ σφῶν προφάθεν μέγας ὄλβος ἄϊστος, ἄπυστος,
  Νόστιμος ἐκ δνοφερῆς νυκτὸς ἐσεῖδε φάος.
Μνήμονες, ὦ λόγοι, καλῶν εὐεργεσιάων,
  Τῶν Σαγκτανδρεαδῶν ᾄδετε κῦδος ἀεί.

Ν. Γυλώνιος.

AD ILLVSRISS. I. C. D. IAC. A S. Andrea libellorum Regiorum Præsidem, Sanctiorísque Prętorij Senatoré ęquissimum. & D. Ioā. à S. Andrea Ecclesiæ Parisiēsis Canonicū.

IOANNIS A REBERTERIA TVRONensis I. C. & in alma Parisiensi Academia Iuris Professoris, Carmen.

Factus erat Flauius Romana à Plebe tribunus,
  Atque Senatoris munere functus erat.

Quòd librum his summa motus pietate dedisset,
Monstrantem quibus est actio danda modis:
At Sanctandreadæ multò maiora dedistis,
Et vobis maior iure ferendus honos,
Quo subiecta tenet diuum maiora caducis
Hoc opus, & vestrum nomen ad astra feret.

Νικόλαος ὁ Κληρικὸς κυροῖν Σαγκτανδρεάδαιν
ἀνεψιὸς, εἰς Μόρελλον Νικήτου ἑρμηνέα.

ΝΙκήταο Θεοῦ Νικήτης ἔγραφε νίκην,
Νική του νίκας σὺ γράφες ἀμφοτέρου.

Εἰς κῦρον Νικόλαον Κληρικὸν εὐπατρίδην
Παρίσιον, Πέ. ὁ Μόρελλος.

Αἰδίη Χριστοῦ καὶ οὐχ ἑτεραλκεῖ νίκη
Νείκεα Νικήτης νικᾷ ὅδ' αἱρετικῶν.
Οἷν Σαγκτανδρεάδαιν Μουσεῖον ἔδωκε τύποισι,
Βιβλία Χριστιάδαις χρήσιμα πολλὰ πορουῦ.
Κληρικὲ, τίπτε μ' ἀνάξιον ἀθανάτοισιν εἴσκεις;
Το κλέος ἐστὶ Θεοῦ, θείοιό τ' ἀμφοτέρου.

TRIVM INGENVORVM ADOLEscentum Lochiensium, Morelli anteà in patria discipulorum, De Nicetæ Thesauro Epigrammata.

NICOL. FIL. D. NIC. SALVAgij Iudicis Lochiensis.

QVæ Sanctandreadûm nobis gratißima fratrum
Munera dat pietas, sors inimica negat.
Obuius ast ingens doctrina atque arte Morellus,
Hac profuga, Latio dogmata sancta dedit.
Illis summa quidem laus est. sed quanta Morello,
Quo duce Nicetæ ad scripta paratur iter?

IVLIANI FILII D. ANT. DAlonæi Proprætoris Lochiensis.

SI leuia autori toties monumenta caduco
Immensum quondam promeruere decus,
Quanto hæc, Christicolæ, iam propugnacula nostræ
Sunt fidei cultu sacra tenenda piis?
Et Sanctandreadas tanta pietate decoros
Posteritas merita qua bona laude feret?
Quanta etiam notum grato sudore Morellum,
Cuius ope excultum prodiit istud opus?

CL. HAMELIN NEPOTIS D. Nicol, Branchuti I.C. Propræfecti Lochiensis.

HIcce diu latuit Chonœn Thesaurus alumni,
Alite qui fausta nunc tibi, lector, adest.
Antè sacrum squalebat opus rubigine tetra,
Tempore quod nostro confodit hæreticos.
Viue, Morelle, diu, qui condis munera tanta,
Et Sanctandreadas tollito ad astra pios.

ΣΥΝΟΨΙΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΤΗΣ ὀρθοδοξίας Θησαυρὸν Νικήτου τοῦ Χωνειάτου, Αλεξιφάρμακον συνέχουσα κατὰ πασῶν τῶν αἱρέσεων, τοῖς εὐγενεστάτοιν Κυροῖν Σαγκτανδρεάνοιν στέμμασιν οἱονεὶ ἀντίστροφον.

Πύργος ἐρυμνωθεὶς, κακιῶν ἐς ἀπώλειαν, ἀνδρὶ
Κρησοφυγέτου κρατερῷ σύμβολον ἐστὶ Θεοῦ.
Οὗ φυλακὴ τὴν Ἀχριστίου μυθώδεα νικᾷ,
Καὶ τῷ ἀλήθεια ψευδεῖ ἀπεχθάνεται.

Τοὔνεκα Χριστιάδης πύργον ἐν πίστεος εἱρκτῇ
  Δόγμασι τοῖς Χριστοῦ Κράντορος ἐμμενέτω.
Νουθεσίαις τε Πατρῶν πίσυνος, καὶ Χωνειάταο
  Ἐσσυμένως τούτων ἴχνεσιν ἑσπομένου,
Ἐκτρεπέτω φιλεριστάων κακ' ἐλέγχεα. τῶν ἀπὸ πέτρας
  Χριστοῦ ἀποστάντων εἰς ἀΐδαο μυχούς.
Τῶν φιλεριστῶν γὰρ μισοῦσ' Ἐκκλησία νείκη
  Τῆς ἀγάπης πρόφρων ἀμμ' ὁμόθυμον ἐρᾷ.
Ἀλλὰ τί διστάζεις, φιλότης; Ἡρακλέα μιμοῦ,
  Ἐν διόδῳ Ἀρετὴν ἀμφαγαπαζόμενον.
Σὲ τρισὶ Νικήτης προτέραις εὐθεῖαν ἀταρπὸν
  Εἰς ἕδος οὐρανιδῶν ἐξεδίδαξε βίβλοις.
Ταῖσι χρῶ, ὡς Ἀριαδνείῳ γε μίτῳ ποτὲ Θησεὺς
  Χρήσατ', ὄφρ' εὐπρόσιτον τὸν Λαβύρινθον ἔχῃς,
Καὶ τὰ Μάγοιο Σίμωνος ἀπαίσια δόγματ' ἀλύξας,
  Αἱρέσεων πασῶν ἀρχέκακ' ἐνδόσιμα,
Σὺν Σακτανδρεάδαις τε, φιλοχρίστοισί τε πᾶσι,
  Τῶν δολίων κακιῶν φράδμοσιν ἀντιπάλοις,
(Οἵους Λευκετίη, μεγάλου Ἐρρίκου ἕκητι,
  Καὶ πινυτῶν Ἐφόρων εὐνομίαισι, τρέφει,
Λευκετίη Φράγκων ὀχύρωμ', ἧς οὔνομ' Ἀλάστωρ
  Θεῖον ἐνωπισθεὶς, φεύγει ἐπιτροχάδην)
Σπεῦσον ἐπουρανίαν Ἐσελαστικὸς εἰς πόλιν ἐλθεῖν,
  Δαυιδικῇ τ' εὐχῇ χρώμενος εἶπε Θεῷ,
Ἡμῖν, ὦ Κύριε, ἀντιβολῶ, ἔσο πύργος ἐρυμνὸς,
  Σωτὴρ, καὶ κακιῶν κραιπνὸς Ἀλεξίκακος.

Πέτρου Μορέλλου.

Εἰς λογιωτάτω ἄνδρε, Κ. Ἰωάν. Αὔρατον, καὶ Νικ. Γυλώνιον.

Αὔρατε, Ποιητῶν κορυφαῖε, χορηγὲ θεάων
  Ἐννέ', ἁγνή τ' ἴϋγξ τῶν Ἑλικωνιάδων,

Βάρβαρος ἃς πατρίου δαπέδου, φεῦ, νηλέϊ χαλκῷ
Ἐς μυχάτους Φράγκων τῆς χθονὸς ἐξέλασεν,
Ἠδὲ κεκμηκυίας Φράγκισκος ὁ πρῶτος ἔδεκτο,
Οἷά τε Ἑρρίκος νῦν τρίτος ἐκδέχεται,
Χ' εἵνεκα δὴ τούτων τὰ σοὶ ἄρμενα πάντα πορίζει,
Τόσσον σεῦ σοφίης Κράντορα θάμβος ἔχει,
Ἄϊδρις εἰμὶ ἐγὼ, πῶς σοι χάριν ἀνταποδοῦναι
(Ἔξοχα τῆς σὺ μὲν εἶ ἄξιος) οἷος ἂν ὦ.
Ἢ διὰ Νικήτου τὴν Σύστασιν, ἢ δι' ἐμεῖο,
Ἰω Σαγκτανδρεάδη στρατοῦ ἀμφοτέρῳ.
Ἢν μὴ ἅδῃ τὰ χυδαῖα τάδ'. Οὖλε, φέριστε
Αὔρατε, σὺν Μουσῶν ξεινοδόκῳ βασιλεῖ.
Σοὶ δ' ἄρα, σοῦ γαμβρῷ τε Γυλωνίῳ Ἑλλάδος ἔργῳ
Ὄλβια πάντα Θεὸς δῴη ἀπ' οὐρανόθεν.

Πέτρου Μορέλλου.

Νοεβρίου μεσοῦντος τῇ πέμπτῃ
αφοθ.

Ἀδικεῖσθαι κρεῖττον,
ἢ ἀδικεῖν.

Eadem Latinè, ad verbum.

SYNOPSIS IN ORTHODOXIÆ thesaurum Nicetæ Choniatæ, quæ Alexipharmacũ ctinet, aduersus omnes hęreses, q̄ Nobil. DD. à S. Andrea stemmatis velut ex aduerso respondet.

Turris munita vitiorum ad internecionem, viro
Asyli magnanimo symbolum est Dei.
Cuius custodia Acrisianam fabulosam vincit,
Quanquam veritas falsitati odio est.
Quocirca Christianus turris in fidei ergastulo
Dogmatis in Christi Principis perseueret.

A

Monitísque Patrum credulus, & Choniatæ
Studiosè eorum vestigia subsecuti,
Auersetur contentiosorum mala iurgia. qui à petra
Christi defecerunt ad inferorum penetralia.
Contentiosorum enim exosa Ecclesia lites
Charitatis prouida nodum vnanimem amat,
Sed quid hæsitas, amice? Herculem imitare
In biuio virtutem amplexatum.
Te tribus Nicetas prioribus rectam viam.
Ad sedem cælestium edocuit libris.
His vtere, vt Ariadneo Filo Theseus
Vsus est, quo peruium Labyrinthum haberet.
Et Magi Simonis execranda dogmata fugiens
Hæreseon omnium mala exordia,
Cum Sanctandreadis & Philochristis omnibus
Fraudulentarum technarum consultis hostibus:
(Quales Lutetia Magni Henrici auspicio
Et prudentum Ephororum bonis legibus alit,
Lutetia Francorum propugnaculum, cuius nomine Alastor
Diuino audito, fugit velociter)
Festina, Cælicolarum Iselasticus in vrbem aduentare,
Dauiticáque prece vsus dic Deo,
Nobis, ô Domine, quæso, esto turris fortis,
Seruator, & malorum citus Auerruncator.

Εἰς Πέτρον Μόρελλον.

Ἡδὺ κλέαρ χρυσοῦ, πολὺ ἥδιον ἐστὶ τὸ χριστοῦ.
Φέρτερος ἀφνειῶν χριστὸν ὁ κτησάμενος.
Ἐσθλὸς ἀνὴρ ἄδολος, πινυτόφρων, ἠδὲ δαήμων,
Μάρτυς ἀληθείης ἐστὶ Μόρελλος ἐμοί.

Ν. Γυλώνιος.

EXTRAICT DV PRIVILEGE du Roy.

PAr grace & priuilege du Roy, il est permis à Guillaume Chaudiere, Marchant, Libraire Iuré en l'Vniuersité de Paris, imprimer ou faire imprimer, vne ou plusieurs fois, vn liure intitulé. *D. Nicetæ Choniatæ Magni Logothetæ Secretorũ inspectoris & iudicis Veli Præfecti sacri Cubiculi Thesaurus orthodoxæ fidei Petro Morello Turonẽsi interprete* Et faict ledit Seigneur deffence à tous autres de ce Royaume de quelque qualité qu'ils soiẽt, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre ny distribuer en ses pays, terres & seigneuries, ledit liure sans consentement dudit Chaudiere, iusques au temps & terme de six ans entiers & cõsecutifs, apres la premiere impression qui en sera faicte dudit liure, sur les peines contenues és lettres patentes dudict Seigneur. Et veult que au vidimus d'icelles, faict souz seél Royal, foy soit adioustee, comme à l'original ey donné à Paris, le quatorziesme iour de Nouembre 1579. & de nostre regne le septiesme.

Par le Conseil.

DESPORTES.



D. NICETAE CHONIATÆ, SEV COLOSSENSIS, THE-*ſauri Orthodoxæ fidei Liber Primus, de Philoſophorum Ethnicorũ & Iudæorum hæreſibus.*

Petro Morello Turonenſi Interprete.

PROEMIVM.



EO, Deique cultoribus quid ad ſui, quęſo, perfectionem accedere poſſit? Ille enim cũ expetendorum omniũ primum & ſummum ſit, eorũ certè quæ ſunt in rerum natura nullius indiget. Siquidem & ex ipſo, & per ipſum omnia hoc ipſum, vt eſſent, ſortita ſunt. Hi autem virtutis beneficio, quoad eius humanitus fieri poteſt,

ad Deum proximè accedentes, diuinitatísque participes effecti, ex eius copia suá suppleuerunt inopiam, imò verò Deus ipse ad hominum vota seipsum accommodans, si quid eorum quæ largitus est, ab illis offeratur, id ei per gratum, tanquam certum fidei specimen, pérque iucũdum est. Ille sané neque offerẽtem auersatur, neque rarò se precibus ipse placari iubet. Vt hoc pacto in die afflictionis mala procul aspellat, & meritis deinceps laudibus celebretur. Cæterùm qui ad Deum per virtutem proximè accedunt, nec humanæ naturæ terminos transgressi,
„ nec omnino Martham illam, quæ corpori
„ curãdo necessaria satagit, auersari, rebus insuper cum Maria contemplandis intenti, & comi supplicantibus alloquio respondent, nec se prorsus implacabiles illis, inexpiabiléśque præstant; & quæ ad spiritualem vitam necessaria videntur, candidi petẽtibus impertiunt: vicissim etiam ipsi quæcunque virtutem non adulterant, benignissimè, si suggerantur, excipiunt.

Hac itaque de causa, vir animo meo lõgè charissime, ego quidem nihil eorum quibus ali corpus & sustentari solet, pietati tuę suppeditaui, ex quo tu communi mecum iactura gẽtibus ab Occiduis natale solum vertere coactus es. Atque hæc eò sanè non dico, quia nullius eorum quæ sunt in rerum natura ipse indigeam (hoc enim ne Elias qui-

dem, ſobriorum alioqui ieiunátiúmque pri-
mitiæ, præſtitit. Afferes enim mihi, inquit il- *3. Reg. 17.*
le viduæ, buccellam quoque panis, & facies „
mihi primùm ſubcineritiũ panem, filiis au- „
tem tuis poſtea. Imò verò, ne meus quidem „
ille idémque tuus Ieſus: qui tantiſper dum
in terris verſatus eſt, iis opus habuit, quæ a-
lendo corpori neceſſaria ſunt, ſed cùm ieiu-
naſſet, poſteà eſuriit: vt humanitatis aſſum- *Matth. 4.*
ptæ fidem faceret) verum quia beneuolen- „
tiæ, qua te proſequor, ſpirituale tibi quàm „
corporale ſpecimen edi mauis, vt qui ſatis
ipſe per te cõmeatum vix mihi ſupereſſe no-
ueris, qui comitibus meis & miniſtris alen-
dis ſufficiat, cùm præſertim peregrinam in
regionem commigrauerim, & ad Bithyniæ
metropolim Nicæam tabernaculum fixe-
rim, vbi vitæ, quod ſupereſt, velut inutilis,
exul, aduenáque deſpicatus agitem. Cæte-
rùm quod à me ſæpenumerò requiſiuiſti, &
flagitaſti, id verò tibi perlibenter exhibeo,
elucubratam ſcilicet & elaboratam Hære-
ſeon omnium Farraginem, munus quidem
certè, quod nulli eorũ quæ homines in pre-
tio habent, poſtponitur, ſed vt longè omniũ
precioſiſſimum & excellentiſſimum iudica-
tur, cùm ab iis qui pietaté eorúmque adeò
cognitionem, quæ de numinis cultu ſentire
atque pro ratis habere oportet, cæteris re-
bus omnibus anteferre ſolent: tum verò vel
maximè ab iis qui non multos euoluere li-

bros, nedum hęreſeon cognitionem adipiſci poſſunt, vel quia lectioni vacare commodè illis integrum non eſt, vel quia alio artificio exploratoris Satanæ dolos à ſe amoliri didicerunt.

Hippocrates igitur ille Cous de arte diſſerens, quæ hominum valetudini conſulit, hunc in modũ perappoſitè ratiocinatur, Si homo vnum ſimpléxve quid eſſet, dolore certè nullo aut morbo afficeretur. at quiſquis pietatis ſtudioſus eſt, & multifidas hæreſeō formas ægrè fert, non abſurdè ſanè ita ratiocinaturus ſit. Si in priſtina illa conditione acquieuiſſemus, nec ea deſpicatui habuiſſemus, quæ præſcripta nobis & imperata fuerant, vnum vtique Deum nouiſſemus, atque ita ex eius nutu dependiſſemus, vt nullus ab eo nos vnquam tranſuerſos agere diſtraheréque potuiſſet, eo, inquã, qui nos luto finxit & efformauit, qui verbo ſuo corpus hoc vniuerſitatis fundauit & extruxit, nunc autem conſilio eius vſi, qui nequitię omne genus autor eſt, laxa illa & magnifica Paradiſi habitatione eiecti, & à grato Dei conſpectu procul abducti ſumus: mala denique priſtina deterioribus cumulantes, diuinum illum, qui ſoli Deo peculiaris eſt, cultum, gloriam, & adorationem, clementis, brutis, atque hominibus nullius non turpitudinis nota inſignibus, in ſenſum ſcilicet reprobum lapſi, ad eáque facienda, quæ mi-

Hæreſeon origo.

Satanas.

Rom. 1.

nimè conueniunt, procliues impertiuimus. Ex quo euenit, vt vna omnium eadémque vox, vnū idémque labium, in varias & multiplices linguas euaserint. atque eadem opera vnicus ille Dei cultus in diuersa linguarū idiomata multiplicatus dissectúsque sit, vt vix quicquā reperias, in quo maiores quàm in ea quæ de Deo instituitur ratione varietates existant. Siquidem alij alia, alij item ab his diuersa, aliíque rursus sibiipsis, contraria, deniq; ab hisce alij dissentanea cōmēti sunt & docuerunt. Quocirca vt veterum etiam Theologorum plerique de hæresibus scripserint, non tamen vniuersas singuli sunt vno commentario complexi, nec sigillatim percurrerunt. Theodoretus enim, vir in diuinis exercitatissimus, illarum catalogum contexuit, quod ante eum alij quoque fecerunt, illásque velut è procinctu dissecuerūt, & tanquam fœnum tectorum flammis iniecerunt, quotquot suis cuiusque temporibus exortæ sunt, velut aconita scilicet, quibus syncera quæque corrumperentur.

Alludit ad illud. Act 4. multitudinis credentiū erat cor vnū &c. & ad turrim Bab. Gene. 11.

Theodoretus.

Liber autē, qui dogmatica Panoplia inscribitur, vt priscas hæreses compēdiosè sanè recensuerit, atque à Sabellio Afro, & nonnullis, qui tempora illius præcesserunt, initium duxerit, quæ certè à patribus ad illarum euersionem dicta sint, permultis in sectionibus prætermisit. neque mentionem vllam fecit. vndénam earundem authores

Euthymio monacho Zygabeno authore. qui extat. sed mancus.

ortum habuerint, cuiusmodíque vitam vixerint.

Ego verò pietati tuæ gratificatus, facilé-que coniiciens quid tibi super ea re propositum & iam constitutum sit, hæreses quæ iam olim emerserunt, in commentarios redigam, nostras aliquot Confutationes, perspicuas quidé illas & dilucidas subiuncturus. Deinde eas quoque agglutinabo, quarũ Dogmatica Panoplia meminit, illos interim non prætermissurus, qui de hæresibus scripserunt, vt non solùm blasphema illa cõuicia tibi innotescant, quæ seculi huius sapientes ore in cœlum protento, aduersus Deum eructauerũt: sed etiam vndénam ortum duxerint, cuiusmodíque Spartam nacti sint. Qua in consequẽtia nonnulla quoque attexam, quæ proposito argumento perapposita videntur: Vt multiplici voluminis vnius historia gaudeas, ex eóque panaceam excerpas, qua velut amuleto te à perniciosis dogmatis integrum sartúmque tectum conserues.

Operis huius synopsis.

Panacea.

Mosaica Geneseos synopsis, ab Adamo ad Mosem. Cap. I.

Gen. 1. & 2.



Damus omnium primus à Deo ex humo formatus est, atque vitali spiritu afflatus, ex costarum suarum vna Euam sibi similem emisit: tum nongentos triginta annos, posteà quàm ob transgressum Domini præceptum

paradiso exturbatus est, Caïmũ, nec ita multò pòst Abelem genuit. Cæterùm Caïmus Abeli insidiatus illũ tandẽ in agri solitudine deprehẽsum interfecit. Pòst Abelis cædem Sethus Adamo nascitur. Itaque ab Adamo trãsgressio, à Caimo cædes initiũ habuit: vt & à Iaredo, qui quintus à Setho fuit, spurcitia, veneficiũ, præstigiæ, & adulteriũ. Iaredi filius fuit Enochus, qui Deo gratus & acceptus à corrupto parentis instituto desciuit. Hic genuit Mathusalemum, qui Lamechũ suscepit, Noæi illius patrẽ, cuius tẽporibus diluuio totus terrarum orbis obrutus est. Ex omnibus porrò mortalibus solus hic vnà cũ tribus filiis, Semo, Camo, & Iapheto, arcæ quã Dei iussu ex incorruptis lignis extruxerat, & vndique picauerat, adminiculo saluus euasit. Cęterũ sextus à Semo Phalecus exortus est, cui⁹ tẽpestate turris extructa, linguæque cõfusę sunt. Cõfusis orbe toto lĩguis, primus omniũ Nebrodus Æthiopię se regẽ tyrãnúmque dixit. Huius & Phaleci posteritas statuariam è figlina excogitauit. Porrò ante Tharęi tẽpora nullus patre prior viuis excessisse legitur. Quia autẽ hic idola luto effingere primus adinuẽnit, suíque seculi hominibus huiusmodi sceleris autor fuit, iccircò iustas atque graues pœnas Numini tandem persoluit, Qui nimirũ filius Arras immatura morte præreptus est. Vt his quoque verbis scriptura testatur, Et mortuus est Arras an-

Caimus. Abel. Ge. 4. Ibidem. Sethus. Iaredus impius. Gene 5. Enochus pius. Mathusalemus. Lamechus. Noæus pius. Diluuium. Gene. 7. Semus. Camus. Iaphetus. Gene. 8. Phalecus. Turris Bab. Gene. II. Nebrodus. Gene ibid. Statuaria. Thareus idololatra. Arras primus ante patrem mortuus Gene. II.

te Tharæũ patrẽ ſuũ. Colorũ præterea pigmẽta à Serucho excogitata ſunt, quibus ex figmentis improborũ quorundã tyrannorũ, hominũque ſceleratorũ ἀποθέωσις in orbe terrarũ inoleuit. Primíque adeò omniũ Ægyptij & Aſſyrij ad opus tam vile & abiectũ ſpõte prouoluti ſunt. Paulò pòſt in Græcos etiã morbus hic graſſatus eſt, quo tẽpore illis Cecrops, Aſſyriis Ninus & Semiramis præerant. Nam Ninus & Cecrops eodẽ quo Abrahamus tẽpore vixiſſe ferũtur. Abrahamus hic ſex filios ex Chetura ſuſcepit, à quibus fœlices Arabes, Madianæos, aliáſque gẽtes, vt ab Agare Iſmaëlitas, originẽ duxiſſe memoriæ proditũ eſt. Abrahamo tandẽ annũ circiter centeſimũ agẽti, prout promiſerat, Deus Iſaacũ donauit. qui vt bonorũ, ita & virtutis paternæ hæres extitit. Huic liberi duo, Eſaus & Iacobus nati ſunt. quorũ Eſaus craſſo piloſóque corpore deliciis gaudens, cæteríſque voluptatibus deditus, ciuitatem extruxit, quã Edomã, nomine nimirũ inſtitutę viuẽdi formę perappóſito vocauit. Edõ enim carnis inflammationem, ſeu pruritum ſignificat. Quintus ab hoc pius ille iuſtúſque Iobus floruit, Iacobus contra leuitate continua glaber Deo longè acceptior erat, quàm piloſus ille venator Eſaus, cuius ſpes omnis ab arcu & gladio dependebat. Cæterùm Iacobo duodecim filij nati ſunt, quorũ vnus Leui, quẽ tertia generatione ſubſe-

Seruchus. filia Ragau Tyrãnorum ἀποθέωσις. Cecrops. Ninus. Semiramis. Abraham. Chethura. Gene 25. Agar. Iſaacus. Gene 21. Eſaus. Iacobus. Gen. 25. Edom. Iobus. Iſraelitæ. Gene 29. Leui. 29. & 30.

cutus est Moses, quo duce & authore Israël duras Ægyptiorum manus euasit. Mosis porrò temporibus Io in Græcia florebat, quam Ægyptij Isin dicebant,& vt Deam venerabantur. Atthis quoque temporibus illis apud Athenienses celebris erat. *Moses. Exod.13. Io. Isis. Atthis.*

Græcorum mysteriorum origo, Philosophorúmque secta. Cap. 2.



VOD Ad Græcorum mysteria pertinet, apud Phrygas, Phœnicas, & Ægyptios illa fuisse priùs, atque adeò à Babyloniis inuenta, Cadmíque temporibus in Græciam translata memoriæ proditum est. Imò nonnulla ex illis Orpheus excogitasse fertur, quibus post eum alij quoque per multa adiecerunt. Diuisa porrò inter se Græcorum quoque mysteria, & in plurimas hæreses dissecta fuerunt. Philosophorum enim alios Epicureos, alios Platonicos, alios item à Samio Pythagora, alios à Zenone Cittiæo,alios denique ab aliis denominatos fuisse, inter omnes planè cõstat. *Orpheus. Philosophorum secta.*

Plato de trium rerum causis. Cap. 3.

EX quibus Plato quidem in Attica natus &adult⁹,à Deo qui solus est, omnia creata,ipsumq; adeò materiã primã:potestates verò quasdam ab ipso productas, secundam: eam denique quæ & ab eodem & à potestatibus ipsis fluit, tertiam eorum quæ in rerum natura sunt causam esse dicebat. *Platonis Deus. Rerum causa tres.*

Mundus. Mundum verò vt genitum, ita& corruptioni obnoxium pronuntiabat. Idem animorum μεταγγισμὸς tradidit: quo vocabulo vna & eadem anima humano resoluta corpore in aliud corpus vel hominis denuò, vel bouis, vel aliorum animantium, etiam ferarum alicuius migrare significatur. Idem impudentes quoque de puerorum amoribus, nuptiarúmque communitate leges tulit.

Animorum metâgismi.

Paderasta. Nuptia cões.

Pythagora futilis nugatoris deliria.
Caput. 4.



SAMIVS Autem Pythagoras integri quadriennij silentium docebat. Adhæc suos hortabatur, vt Græcorum diis animatum aliquid sacrificarent. Idem lege lata ab animalium & fabarum esu abstinendum edicebat (quod esculenti genus alioqui plerisque nostrûm gratissimum est, & inter prandiorum apparatus ferè apponitur) quasi tantundem flagitij committat, qui fabis, quantum qui paterno capite vescatur. Etsi nonnulli ad allegoriam trahentes, Pythagoram sub fabarum inuolucro dicas seu iudiciales sententias intellexisse affirmant, vt μὴ δικοφαγεῖν, seu sententias non esse vorandas, sed ius ex æquo & bono prosequendum esse significaret: vnde etiam κυαμοτρῶγες seu fabiuori iudices olim dicebantur, quorum sententiæ

Silentium. ἐχεμυθία.

Sacrificium ἔμψυχον.

Carnium & fabarũ absti.

Fabarum allegoria.

venales essent, insuper placita sua nullo modo discutienda, neque quid ea sibi vellent curiosiùs inquirendum esse monebat. Ex quo fiebat, vt Pythagoræ sectæ initiati dogmatum præceptoris sui rationes anquirẽtibus nihil aliud respõderent, quam ita dixit: seu Pythagoras ita docuit. Hic prętereà cœlum corpus, eiusdémque sydera lunam & solem oculos esse dicebat. Cæterum cum magicen quoque exerceret, in conferta populi turba femur aureum aliquando ostentauit. Piscium quoque qui fortè in litore iacebant, &, quia recẽns capti, palpitabant, numerum ariolatus est. Primus denique εἰσωματώσεις, seu animarum in alia corpora migrationes, quæ σωμάτων μεταγγισμοὶ, seu corporum elutriationes & transfusiones à Græcis dicebantur, delyrus ille futilísque nugator excogitauit.

αὐτὸς ἔφα.

Femur aureum.

Epicuri mellitarum placentarum helluonis nugæ. *Capite 5.*


T Epicurus Deum & prouidentiam esse negabat, corpus hoc vniuersitatis ex atomis cõstare, quales vnà cum solaribus radiis apparent, rursúsque in easdem resolui asserens: quasi natura perpetuitate quadam generet, denuóque in illa ipsa resoluatur, ex quibus composita est. Porrò hoc ipsum vniuersitatis corpus ab

ima sede & fundamento oui formam exprimere, naturámque adeò ipsam spiritu, qui coronæ aut coaguli instar ouúm ambit, cõstringi & coartari: vniuersam insup naturæ molẽ nimio violenti spiritus impetu in duo hemisphęria diduci, quorũ alterũ cœleste alterũ terrestre sit: quinetiã ea quæ in vniuersa rerum natura leuissima sunt, sursum scilicet in lucem, ætherem, & auras tenuissimas superfluitare: quæ contrà grauissima, quisquiliisque & ramentis simillima sunt, ea deorsum in terram, & humidam aquarum substantiam subsidere: omnia denique per seipsa suáque spõtè cum axis astrorúmque circũnuectione moueri affirmabat. Idem beatitudinis finem, seu summum bonum, in voluptate consistere ratus, mellitis placentis, impensiùs quàm mures adipalibus, oblectabatur.

Hemisphæria duo.

Voluptas.

Moses Philosophis certior. Principia rerum Elemẽta. Ecquod elementorum primò productum. Cap. 6.



VT Autem generatim quid externi Philosophi de vniuersæ naturæ fabrica senserint, explicem (vt cùm illos inter se dissentire cognoueris, inde quæcunque de rerum generatione prolocuti sunt, vt plurimùm à vero aberrantia perspicere possis) Moses quidem simpliciore ma-

gísque compendiario, imò potiùs copiosiore ſtylo de mundi creatione differens, In principio, inquit, fecit Deus cœlum & terram. Deinde ea ordine quæ ſunt in cœlo percurrit. At externorum Philoſophorum nonnulli principia rerum materiam & formam dixerunt. Primámque adeò materiam quæ ſub ſenſum quidē minimè cadat, ſed ſola cogitatione comprehendatur, formæ ſubſtantíæque prorſus expers. Nam ſi fortè quantitates, qualitates, relationes, habitus, conuerſiones, motus, alterationes, mutationes, & cætera id genus abſtrahas: quod ſupererit, materia dicetur. Cuiquidem ſi facies aut figura quæpiam, quam formam vocant, imprimatur, ſic tandem in elementū, ætherem videlicet, vel aquam, vel ignem, vel terram euadit: ex quorum deinde commixtis elementis compoſita corpora, & animata & inanima naſcantur. Maiorem itaque materiæ & formæ principiorum, quàm elemētis quatuor: híſque viciſſim elemētorū, quàm reliquis corporibus rationē ineſſe tradūt. Atque eorū quidē nōnulli eodē quo Deum in gradu materiam quoque collocāt, vt pote quæ omnium quę ſunt in rerum natura prior ſit & antiquior, imò verò corpora omnia ſucceſſione continua producat (cùm nos interim Deum rerum omnium principium, principiíſque adeò ipſis antiquiorem eſſe profiteamur) quę denique poſt

Gene.1. *Materia prima.* *Forma.* *Elementa.* *Corpora cōp.* *Materia Deo par.*

ſuſtantias materiæ expertes materiam ipſam protulerit, atque ita demum vniuerſum naturæ corpus fabricata ſit. Alij verò phyſiologiæ arcana diligentiſſimè rimati, ecquód nam elementorum primòproductum fuerit variis inter ſe concertationibus diſputauerunt. Atque aliis quidem primus omnium ignis emerſiſſe videtur, propter vim ei inſitam, qua cuncta conſumit: aliis aër, cuius afflatu & reflatu animantia conſiſtunt. Aliis aqua generandi facultatis ergô, quæ ineſſe illi fertur. Aliis denique terra, quòd ex ea animantia omnia ortum habeant, atque in eam denuò reſoluantur.

Ecquod elementum primò productũ. cap. de vacuo

De Idæis & Cælo. *Cap.7.*

Idea 1.



T Plato quidem Ideę primæ nomine intelligentiam & inenarrabilem phantaſiam, illámque adeò imaginationem qua mundum creauit: ſecundæ verò, beatarum mentium ordinem, mũ-
2 díq; huius, qui ſenſibus patet, exemplar: ter-
tiæ denique, generales illas rationes intelli-
3 git, quibus res à ſuis corporibus abſtractas contemplamur, vt cum de homine, vel equo, vel boue ſermo inſtituitur. At Ariſtoteles Idæis ſubſtantiam tribuit, nec eas, vti Plato, per ſe víque ſua ſubſiſtere cẽſet. Idem ipſe cœlum quintum corpus eſſe longè diuerſa ab elementis natura præditum autor

Cœlum. De vacuo.

est.Cælũ certè Platoni id esse videtur,quod in quatuor elemẽtis maximè prælucet.Terrestria enim corpora ille infima elementorum parte, vt quæ omnium crassissima sit, materieíque plus habeat,cœlum autem maximè luminosa eorundem parte cõstare autumat.Cæterùm Aristoteles rationem quoque adfert,quare cœlum corpus esse quintũ sibi videatur, quippe quia directus elementorum sit motus, cùm cœlum in orbem feratur. Itaque diuersi motus ergô diuersam illi quoque à quatuor elementis substantiã assignat. *Cur cœlum 5. corpus.*

De Stellis.Sol & Luna an Planetæ.Planetarum ordo,motus,& concentus. 8.

DE Stellis etiam errantibus & fixis vterque differit. Et Plato quidem vnam omnium eãdémque substãtiam,id nimirum quòd in quatuor elementis maximè per luceat, esse ait. Aristoteles autem quinti corporis nomine & cœlum & stellas omnes complectitur, propter motum scilicet, quem diuersum à quatuor elementis habent.Porrò cœlum istud, quod quintum corpus appellat, quid re vera sit, nequaquam definit. Sed ex opinione & coniectura tantũ loquitur. Verumenimuerò quamuis septem errantes vulgò vocẽtur, quinque tamen duntaxat re vera sunt. neque enim Solis & Lunæ cursus erraticus *Planetæ quinque.* *Sol & Luna cur planetæ.*

eſt.at errantes ſtellæ ideò appellantur, quia nunc ſtare,nunc progredi,denuóque regredi videntur. Atque inerrantium quidem ordo longè ſublimiùs quàm errantium eminet. inerrantéſque adeò ipſæ non in vna & eadem corporis ætherei ſuperficie ſitæ ſunt & feruntur.imò aliæ aliis ſublimiores apparent.

Planetarum ordo.

Fixis errãtes ſuccedunt. in quibus prima Saturno,ſecũda Ioui,tertia Marti, quarta Soli,quinta Veneri, ſexta Mercurio, poſtrema Lunæ ſedes aſſignatur. Infra Lunam quatuor elementa,nimirum ignis,aër,terrà, & aqua, ordine ſuo ſingula iacẽt.

Planetarum motus.

Sunt autẽ cuilibet errantium præfinita tempora, quibus moueantur.Saturnus enim,cui vt cæteris altiori maximus orbis permetiendus eſt, curſum ſuum triginta annorum ſpatio conficit. Iuppiter celeri curſu ſphæram ſuã annis duodecim. Mars duobus ac ſemiſſe permeat.Solis,Veneris, & Mercurij curſus idẽ, íſque annuus eſt.Luna poſt viceſimum nonum diem & ſemiſſem curſum redintegrat.

ſic & Vitr. lib.9.cap 4. in fin.
633.diebus.
anno integro.
485.diebus.
360.dieb.
28.in & horam Vitr.

Concentus in planetis.

Quòd ſi quis huiuſmodi numerorum arcana rimari velit, hinc facilè quanta ſit architecti ſapientia deprehendet.quòd nimirùm concentuum rationes omnes in his eluceſcant.eorum,inquam, qui vulgò διὰ πασῶν, διὰ πέντε,& διὰ τεσσάρων appellantur.

Iudicij

Iudicij supremi tempus. Plātarum ἀποκατάστασις. Astrorum Synodus, Diluuia. Cap. 9.



TAmetsi autem ex Euangelij oraculo, diem & horam supremi iudicij nemo cognoscat, prętet patrem, & patri coæternum filiū, atque adeò spiritum, qui ex patre [filióque] procedit: Græci tamē nouis quibusdam demonstrationibus perspicuam facere connituntur. Quo id autem modo, sic accipe. Saturnus maximam suam ἀποκατάστασιν ducentis sexaginta quinque annis: Iuppiter, quadringentis viginti septem: Mars, ducentis * quatuor: Sol, mille quadringentis sexaginta vno: Venus, mille centenis quinquaginta vno: Mercurius, quadringentis:* Luna, viginti quinque conficit. Cosmica verò ἀποκατάστασις exactis ter mille ducentis supra centies & septuagesies quinquies dena annorum milia peragitur. túncque adeò synodus quædā cōuentúsque stellarum omnium ad tricesimā Cancri māsionem, siue Leonis primā celebratur. nec ita multò pòst generali diluuio mundus obruitur. Aiunt præterea in annorū stellæ cuiuslibet minorū apocatastasi specialia quædā diluuia obtingere. Cuilibet enim erraticæ stellæ suos annos, maximos, medios, & minimos esse.

Matth. 24. *Ioh. 14.* *Planetæ.* *Cosmica.* *Stellarum synodus.* *Diluuium quando generale, quando speciale.*

De Solis, Lunæ, Terræq; magnitud. et interuallo. c. 10

PHilosophorū porrò nōnulli, inter quos Aristarchus astronomus, aiunt maiorem

Aristarchus astronomus.

Soli cũ terra rationẽ esse, quàm sex millibus octingẽtis cum quinquaginta nouem. eiusdémque diametro vicissim maiorẽ cum terræ diametro rationem esse, quàm nouẽdecim cũ tribus. Ad hæc Solis diameter octuplo Lunæ diametrum superat, interuallũq; adeò quo Sol à terra distat, octuplo maius est, quàm interuallum quo Luna ab eadem disiungitur. Quinetiam Soli cum Luna ratio maior est, quàm quinq; millibus octingentis duobus cum vno.

De Solis & Lunæ eclipsi. Cap. II.

CÆterùm ad Solis & Lunæ defectus qđ attinet, qui paulò subtiliùs ista rimati sunt, eclipsin in Sole propriè dici posse negant (cùm Solis lumẽ nullo tẽpore deficiat) caliginem autem & obtenebrationem admittunt, quæ tum demum percipiatur, cùm in ecclipticis coniunctionibus Luna illi ad perpendiculum opposita fuerit. tunc enim oculos nostros, qui sublunarem regionẽ incolimus, tenebricosum Solis lumẽ obũbrat.

Caligo seu obtenebratio Solis.

Astronomi prætereà digitis duodecĩ Lunæ corpus dimetiẽtes, aliàs quidẽ toti ipsius corpori Solis radios aduersos, aliàs verò etiã paucioribus duodecim obiiciũt. Cùm enim Luna sublimiore orbe circunuehitur, eo scilicet qui Soli propinquior est, parum abest, quin tenebras illi offundere videatur. cùm autem pleno orbe, iustáq; sui magnitudine constãs inferiora permeat, tũc scilicet ocu-

los illa nostros splendore suo perstringit, & integro Soli opponitur. Iidē obiectu atque interuētu vmbræ terræ Lunā deficere dixērunt. Nā terra lumine Solis illustrata vmbrā non eā quidē cylindricā, seu rotundā, qualis est colūnæ figura, sed conoïdē seu turbinatā facit. Κῶνος enim, qui & στρόβιλος, id est turbo, dicitur, ex lata planitie in mucronē exacuitur. Vmbra terræ ita proculdiò se habet, cuius rei causa perspicua est. Quoties enim corpus aliquod ab eiusdē corporis magnidine lumē accipit, cylindrica: quoties verò à minoris, conoïdes vmbra, seu turbinata, cōsurgit. Vnde efficitur, vt cùm Sol tellure sit maior, eámq; suis radiis illustret, turbinatā quoq; vmbrā efficiat. Itaq; Luna tunc nobis obscura, deficiētiq; similis videtur, cùm in vmbrā telluris inciderit. Quòd si in vmbræ ipsius radicē seu meditulliū incidat, omnino deficit. si verò in verticē, obscurior efficitur. quia nimirū quo conoïdis vmbræ planities latior, eo vertex contractior est.

Eclipsis Lunæ.

Vmbra terræ turbinata.

Cylindrica & conoides vmbra.

De Solis Lunæ Astrorumq; qualitatibus. Cap. 12.

HÆc Quoque scitu nō indigna sunt, vt quæ à primi nominis Philosophis sancita fuerint. Plato certè corpus ætheris vniuersum ex igne, terra, cæterisque duobus elementis constituens, calidum Solem esse dixit. Aristoteles autem corpus huiusmodi diuersum quoddā à quatuor elementis statuens, neque calidum Solem, neque alia vllā

qualitate præditũ esse ait.sed & λεῖκνον φωτὸς, seu canistrum luminis, eum appellat. At verò hîc roget quispiam, quî fieri possit, vt Sol caloris expers calefaciat? quoniã mouet, quamuis moueatur & ipse, exhalationẽ, & aëra qui terræ circunfluus est, atque exinde in causa est, vt subiecta corpora incalescant.

Exhalatio.

Exhalationis porrò & naturam & nomen primus inuenit atque indidit, exhalationem inquiens vaporem eum calidum & siccum, velutique fumosum esse, qui à terra sursum emittitur. Hęc itaque ipsa exhalatio fumosa, cùm iam præ leuitate ad Lunã vsq; peruenit, deinde in partes diducta est, succenditur, ignique persimilem se nostris oculis exhibet. atque adeò subiectã sibi substantiam calefacit.

Calor ex motu.

Quòd autem ex motu calor nascitur, id ex iaculorum cuspidibus perspicuum est. Plumbum enim, quo communitæ sunt, ipso motu soluitur, & colliquescit. Atque Græci quidem soli lumen ab initio, & quidem natura ipsa inesse aiũt. Anaxagoras verò solidum lapidem ex vniuersi circũnuectione elisum & inflãmatum denuò leuigari, & in stellas cęlestes coalescere tradit. Idẽ foraminibus instar pumicis, & spiraculis scatere stellas, atq; nonnunquã cælo delabi auctor est: quibus dictis fidẽ cõciliaturus, adfert corpus illud ignitum rotunda forma, quod cœlo quondã in αἰγὸς fluuium decidit. Alij solẽ & Lunã nubes æthereas inflãmatas. alij

Solem ipſum maſſam candefactã eſſe dixerunt. Verumenimuerò cum Moſis hiſtoria Solẽ Lunã & Stellas à mundi opifice Deo primum creationis initiũ habuiſſe dicimus, non quòd ille alio lumine egeret, ſed ne lumen illud iners otioſúmque maneret, quod iccircò primo ſtatim die creauit. Inquit enĩ ſcriptura. Dixit quoq; Deus: Fiat lux, & facta eſt lux. Cæterùm nihil aliud ignis eſt, quàm lumẽ ipſum. Luminaria verò nõ ſunt lumen ipſum, ſed luminis receptacula. *Gen.1.*

De Solis & Lunæ curſu, anniq́ ratione. Cap.13.

SCiendum præterea eſt, Lunam integrã, hoc eſt quidenariã ab opifice creatã, ſuis enim numeris abſolutam eſſe conueniebat. Quarto autẽ die creata eſt. Itaq; diebus vndecim ſolem præuertit. Siquidem à quarto ad decimum quintum vndecim dies intercedunt. Quo fit, vt vnoquoq; anno duodecim menſes Lunæ, vndecim dierum ſpatio, duodecim ſolaribus menſibus minores deprehendantur. Solares enim diebus trecẽtis ſexaginta quinq; cum quadrante conſtant, *Solares anni.* ex quo per quatuor annos cõpoſito dies vnus abſoluitur, quẽ Biſſextum vulgò dicunt. *Biſſextus.* illéq; adeò annus diebus trecentis ſexaginta ſex conſtat. At Lunares anni trecentorum *Lunares anni.* quinquaginta quatuor dierum ſunt. Ex quo enim Luna emerſerit, ſeu orbi ſuo reſtituta fuerit tãtiſper augebitur, dum ad dies quatuordecim atque quadrantis ſemiſſem per-

uenerit, à quo nimirum tempore deficere incipit, ad nonúmq; & vicesimũ diem cum semisse deficiendo progreditur. Perfecta igitur, iustáq; sui magnitudine cõstãs, luminis expers est, denuóq; Soli coniuncta rediuiua cõsurgit, & redintegratur. quod certũ proculbiò resurrectionis nostræ monumẽtum est. Itaque singulis annis dies vndecim Soli rependit, ita vt Hebræis tertio quoq; anno mensis ἐμβόλιμος, seu intercalaris, conflетur. annusq; adeò ille tredecim mensibus, ex vndecim dierum adiectione, cõstare deprehendatur.

De Solis, Lunæ, & Stellarũ materiá, Ignis natura. Cap. 14.

PErspicuum autem est, Solem, Lunam, & stellas, ex Lunæ globo constare. Vasorũ enim instar lumẽ sibi posteà superadiectum exceperunt. Horum profectò cuiusmodi natura sit, nescimus. Sunt qui ignẽ, nisi in materiam aliquam agat, conspicuũ esse negent. vnde fit, vt extinctus euanescat. Alij extinctum in aërem mutari contendunt.

De Zodiaco, Planetarumq; domibus, & eleuationibus. Cap. 15.

ZOdiaci porrò circuli motus obliquus est, atque in sectiones duodecim diuiditur, quæ vulgus ζώδια seu signa vocat. quorũ singula denariis tribus trigintáque partibus constant. Pars autem quælibet sex minutas cõplectitur, ita vt cælum partes seu

mansiones trecentas sexaginta habeat. Hæmisphærij,quod supra terram extat,centum octoginta,totidémque eius quod sub terra est,partes enumerãtur. Cæterùm planetarũ domus hæ tradũtur, Aries & Scorpius Martis. Taurus& Libra Veneris.Gemini & Virgo Mercurij.Cancer Lunæ.Leo Solis. Sagitarius & Pisces Iouis. Saturni denique Capricornus & Aquarius. Eleuationes eorundem sic habent. Solis Aries. Lunæ Taurus. Iouis Cancer. Mercurij Virgo. Saturni Libra.Martis Capricornus.Veneris Pisces. *Domus.* *Eleuationes.*

De Lunæ figuris decem. *Cap.* 16.

LVnæ quoque figuras sic habeto. Synodus seu coniunctio est, cùm in ea parte fuerit,quam sol occupat: Conceptio cùm à sole ad quindecim partes abscesserit:Ortus, cùm μηνοειδὴς, hoc est falcata,lunatáve secundò apparuerit,vel cùm ad sex, septémve partes abscesserit: Διχότομοι duæ, hoc est diuiduę,cùm ad nonaginta:ἀμφίκυρτοι duę hoc est vtrinq; gibbosæ, cùm ad viginti supra centum:πλησιφαεῖς hoc est pleniluna res seu perluminosæ duæ, cùm ad centum quinquaginta:πανσέληνος seu plenilunium integráque Lunæ facies,cùm ad centum octoginta partes abscesserit. Duas autem diximus,hoc est vnã quæ crescat, alteram quę deficiat. Duorum porrò dierum & semissis spatio signorum vnumquodque Luna percurrit.

De septem Planetarum Zonis & cursu. vnà cũ loci Dauidici Psal.8. Lunam & Stellas, quæ tu fundasti, explicatione. Cap. 17.

EX ipsa cœlestium globorum vniuersitate septem planetas esse aiunt. qui motu à cœlesti diuerso mouentur: qua ratione planetarum quoque nomen adepti sunt. Nam cùm cælum ab Oriente ad Occidẽtem moueatur: illi contrà ab Occidẽte in Orientem rapiuntur: cælúmque adeò ipsum rapidissimo suo motu septem planetas circunuehit, quæ his vulgò nominibus cẽsentur: Sol, Luna, Iuppiter, Mercurius, Mars, Venus, Saturnus. In singulis autẽ cœli Zonis vnus aliquis è septem Planetis voluitur: In prima quidẽ, quæ & suprema, Saturnus: in secunda, Iuppiter: in tertia, Mars: in quarta, Sol: in quĩta, Venus: in sexta, Mercurius: in septima, quæ omnium quoque infima est, Luna. Irrequieto itaque & indesinenti cursu decurrunt, eo nimirum, quem eis mundi opifex præfiniuit, & pro, vt illos fundauit, vt diuinus ille Dauides exclamat, Lunam & Stellas, quæ tu fundasti. eo enim, quod fundasti dixit, soliditatem vtique nulli obnoxiam mutationi, ordine prætereà, & εἱρμὸν seu consecutionem illam significat, quàm à Deo acceperunt. Illas enim in tempora, in signa, & in annnos disposuit.

Zonæ cæli.

Planetarum cursus.

Psal. 8.

De quatuor Tropicis siue solstitiis.
Cap. 18.



VANDO quidem solstitia quatuor per Solem constituuntur, primum quidem vernum, in quo Deus vniuersa creauit, cuius quidem rei flores in eo etiamnum emergẽtes & pullulãtes certo indicio sunt: alio nomine solstitium æquinoctiale dicitur, quod certè diei noctíque duodecim horas ex æquo dispertiẽs ex Solis orientis medio constituitur. iusta temperie præditum est. sanguinem auget. calidi & humidi particeps. hyemi denique & æstati medium interiacet. illa quidem calidius & siccius, hac verò frigidius. Ea porrò anni pars à vicesimo primo die Martij ad Iunij vicesimum quartum. Deinde solis ortu paulùm exaltato, ita vt in Septemtrionalem plagam vergat, Tropicus æstiuus succedit, ver & autũnũ medius intersecãs, & ab illo calorem, ab hoc frigus percipit, nam calidus & siccus est, flauam bilẽ auget. Eius porrò maximus dies horis quindecim, nox minima nouem horarum interstitiis absoluitur. Ipse autem à Iunij vicesima quarta ad vicesimam quintam Septembris procedit: tum deinde sub mediũ Solis ad nos redeuntis ortum Tropicus autumnalis vicem æstiuo, rerẽta qua-

Vitr. li 9. cap. 5.

Solstitium vernum.

Tropicus æstiuus.

Autumnalis.

dam frigidi & calidi, itémque ſicci & humidi moderatione, rependit. atque æſtiuo quidem hybernóque Tropicis intermediis, ab illo calorē, ab hoc frigiditatē mutuatur: nā frigidus & ſiccus eſt, atrámque bilem auget. Hic alter æquinoctialis Tropic⁹ diurnis horis duodecim, totidémque nocturnis conſtat, atque à Septembris viceſima quinta ad Decembris viceſimam quintam protrahitur. Cùm verò Sol ad minimum infimúmque hoc eſt Meridianum ortum prolapſus eſt, tādem Tropicus hybernus emergit, frigidus quidem ille & humidus, quíque autūnali & Verno medius interiacet, illius quidem frigiditatem, huius verò calorem ex æquo referens. Tropici huius dies minima nouem horarum, nóxque maxima quindecim ſpatio decurrit. pituitam auget. à Decēbríſque viceſima quinta ad Martij viceſimam primam extēditur. Sapienter enim ab

Dei prouidētia. ipſo mundi opifice prouiſum eſt, ne ab extremo vel calore vel frigore, vel ſiccitate, vel humiditate, in extremam cōtrariarum qualitatum aliquam delati, in grauiores aliquot

Mutationes repentinæ periculoſæ. morbos incurreremus. Nam repētinæ mutationes periculoſæ & lubricæ vulgò ferūtur. Hoc itaque pacto ſol Tropicos, & per

Dies. Nox. eos annum, dies denique noctéſque digerit: illos quidem ortu ſuo ſupráque terram vectus, has verò, cùm ſubterranea loca permeat, aliiſque luminaribus, lunæ, inquam, &

ſtellis,fulgorem impertit.

Signa. Menſes. & προγνωστικά.
Cap. 19.

CÆleſtia porrò ſigna ex Stellis & ipſa cõflata eſſe,motúq; Soli,Lunæ,& reliquis quinque planetis contrario moueri aiunt, vt pote quæ ſeptem ipſi planetæ percurrãt. Itaque Sol in vnoquoque ſigno mẽſem integrum immoratur. duodecimque mẽſibus ſigna totidem percurrit, quorumquidem atque menſium illis peculiarium hæc nomina ſunt. Aries Martij menſis viceſima die, Taurus viceſimatertia Aprilis, Gemini viceſima tertia Maij, Cancer viceſimaquarta Iunij,Leo viceſimaquinta Iulij, Virgo viceſimaquinta Auguſti, Libra viceſimaquinta Septẽbris, Scorpius viceſimaquinta Octobris, Sagittarius viceſimaquinta Nouẽbris, Capricornus viceſimaquinta Decembris, Aquarius viceſima Ianuarij, Piſces denique viceſima Februarij ſolem excipiunt. Singulis autem menſibus Luna duodecim Zodiaci ſigna percurrit,vt quæ longè illis inferior & citatiſſimo ipſa curſu præteruehatur. Quemadmodum enim ſi circulo circulum inſeras,interior exteriore minor deprehenditur,ita & Lunæ,tãquam inferioris,curſus multò contractior eſt,citatiúſque multò cõficitur. Iam ex aſtrorum huiuſmodi ortu & occaſu, acceſſibus & receſſibus,imò etiã προγνωστικά.

progreſſionibus& regreſſionibus Chaldæorum & Græcorum, inſuper & impiorum Aſtrologorum alij quidem res humanas regi & gubernari, alij verò, qui & modeſtiores, Chriſtianiſmi ſcilicet prætextu, ex iiſdē futurorum ſigna elici affirmāt. Vnde etiam Arietinorum, Taurinorum, & cæterorum id genus nomina priſcis temporibus, ratione cuiuſque ſigni habita, quo quiſque perruptis alui maternæ clauſtris ſolem obiectū haberet, inoleuerunt.

Ethnophronas vocat infra lib. 4. ca. 42 hæreticiſque accenſet.

De Stellarum motu. itémque de Luna. Cap. 20.

QVIDAM Philoſophorum hæc quoque de ſtellis tradiderūt. Atq; inerrantes quidem ſtellas Ariſtoteles eúmque ſecuti, cœlo affixas eſſe, & ita cum illo circūuehi aſſerunt, vt ab illo diuelli nequeāt. Itaque cùm cœlum ab ortu ad occaſum feratur, eodem etiam illas cum cæleſti corpore moueri: errantes verò diuina moderatrice prouidentia contrario motu, paríque velut libramento obfirmatas contrà niti: ne fortè circunuectionibus & circunuolutionibus aſſiduis confringantur, proprij naturaliſque motus ratione, quo ab Occidente in Orientem rapiuntur, rurſúſque ab Oriente in Occidentem vnà cum cœlo reuehūtur. Ex quo fieri, vt ſol motu proprio nunc ad Septentrionem nūc ad Meridiem vergēs quatuor

anni tempora compleat: qui idem cum cœlo ab Oriente in Occidentem delatus dierum & noctium discrimina parit. Inerrantium porrò stellarum nullam esse, nullam quoque errantium, Luna duntaxat excepta, quæ lumen à Sole mutuetur. quapropter etiam pars eius illustrata solem semper aduersum habet. Neque verò vnquam Luna prorsus luminis expers est, sed semilunari lumine semper illucet. Igitur in synodis, seu cōiunctionibus gibbus eius ille nobis obiectus lumine caret. vertex verò superior luminosus est. In pleniluniis autem totum eiusdem quod in nos vergit hemisphærium collucet, nec superius lucis exors est. Illo verò tempore quod coniunctionem & plenilunium interiacet, pro vt à Sole distat, μηνοειδὴς lunata, διχότομος diuidua, & ἀμφίκυρτος vtrinque gibbosa & repanda est. Nam vel dimidia minùs, vel dimidia, vel etiam plus quàm dimidia sui parte illuminatur.

De vacuo. Cap. 21.

PHilosophorum prætereà nonnulli vacuum quoddam etiam introduxerunt, idque corpore prorsus destitutum, quasi quoddam chaos infinitum demonstrant, idémque ante mundum fuisse contendunt. creatis deinde elementis vniuersa corpora ambitu & circumuectione cœli concluse-

runt.nihil interius vacui relinquẽtes. Quod autem exterius eſt, atque adeò extra ipſam cœli circumuectionem, id demum omne vacuum eſſe,& infinitum, quantum quis in infin ito loco imaginari poſſit.

Ecquod elementum primò productum. *Cap.22.*

ADhæc Moſes quidem, cui ſe Deus videndum præbuit,in ortu mundi cœlo & terræ primas aſſignat.Græcorum verò ſapientes alia in hæreſi fuerunt. quorum alij terram primo loco, tanquam cœleſtis orbis centrum ſtatuunt. Quandoquidem in ſolido circulo centrum prius & antiquius eſt. Alij verò mundi vniuerſitatem in quatuor elementa & quintum corpus cœleſte diuidunt. elementorúmque tetradem,ſeu quaternionẽ, ab ipſo æthere moueri autumant. Ætheris porrò pulcherrimam partem cœlũ eſſe,quod primo etiam loco in rerum naturam productum arbitrãtur.Quicunque autem ingenitum eſſe mundum aſſeruerunt, idem quoque ex conſequentia de ipſa vniuerſitate ſenſerunt. Potior verò ſententia mihi videtur, vt cœlum tanquam corpus præſtantius & nobilius, quódque ambitu ſuo cætera complectatur,primo quoque loco productum fuerit.

Centrum.

Cœlum ſupra cap.7.

Mundus ingenitus.

De Cometis,& fulgoribus illis, qui διάττοντες ἀστέρες dicuntur. *Cap. 23.*

VT autem perceptis illis quoque paſſionibus ſeu affectionibus,quibus cœ-

lum affici Philoſophorum monumenta tradunt, multarum inde rerum experientiam, atque eorum etiam quæ ſunt cognitionem tibi compares, Cometas fieri aiunt, cùm exhalationis pars aliqua inflãmatur. Nã ſi cõcretio illa tenuior ſit, quod accẽſum eſt celeri curſu rapitur, íſque euadit, qui vulgò διάττων ἀςὴρ dicitur, hoc eſt ſtella traiiciẽs, quæ nihil aliud eſt, quàm ignis traiectio, ſeu fulgor cœleſtis emicans: ſi verò craſſior materia ſubſederit, ibi ſcilicet candentis ignis ſemina fouẽtur, cometámque ſeu crinitam ſtellam efformant. Cometarum porrò figuræ variæ, pro varia materiæ inflammatione, feruntur. Nam vel ſola ſui longitudine materia exardeſcit, vnde cometa gignitur, quẽ vulgò δοκίαν, hoc eſt trabem igneam, vocãt. vel lõgitudine atque latitudine, & tunc fit, qui propriẽ cometa dicitur. vel ab inferiori parte quędam velut micantes ſcintillæ promittũtur, túncque demum πωγωνίας, hoc eſt barbatus cometes appellatur. Atque de Cometis hactenus. *Cometa Pogonias.*

De pluuia, niue, grandine, & quæ ex vapore fiunt. Cap. 24.

VApor autem, cùm ſit humidi calidíque particeps, ſimulátque ſuperiora petit, mutatur, & in aquam colliqueſcit. & ſi quidem copioſior paulò denſiórque dę-

Pluuia. feratur, pluuiam:si verò rarior, stillam pro-
Stilla. creat. quòd si cõcrescat, in niuem: sin à mu-
Nix. tatione statim concretio fiat, in grandinem
Grando. euadit. Atque hæc quidem sunt, quæ vapor in superiore aëris regione leuigatus efficit. qui si deorsum, seu in infima terræque proxima, parte aëris præ crassitudine seu densitate restitet, aut in rorem mutatur, aut in ge-
Ros. lu concrescit. Cæterùm ros eo potissimùm
Gelu. tempore, quo cœlum serenum & sudum est, atque in locis maximè tepentibus: pruina
Pruina. verò in frigidioribus coalescit. atque ros quidem cùm Meridionalium ventorum: pruina verò, cùm Septentrionalium flatus præualet. Grando autem partibus anni calidioribus, Vere nimirum & Autumno, sæpe etiam Æstate condensatur. propterea quòd calidum & frigidum ita natura comparata sunt, vt se mutuò comprimant & coërceãt: adeò vt si exteriora calor occupet, in interioribus frigus delitescat, & contrà. Itaque in partibus anni calidioribus frigus calido extrinsecus obiectum grandinem conflat.

De Iride, Halone, Pareliis, & virgulis.
Cap. 25.

QVod ad Irin pertinet, qui à multis arcus appellatur, naturali quidem substantia prædita non est, quippe quæ simulacrum quoddam inane, phantasmáque sit, quod videntium oculis tunc obiicitur, cùm

solis

Solis radij quasi procidunt & reflectuntur, arcúsque adeò speciem præ se ferunt. Porrò quælibet Iris triplici colore distincta est. Eius enim zona interior, punicea: secunda, viridis: tertia cærulea & quasi purpurea est. Cõsurgit autem ex inæqualitate & dissimilitudine nubium. At halones seu coronæ, quarum rotunda semper figura, nec Iridum orbe minor apparet, circa Lunam sæpe noctu, sæpe etiam interdiu conspiciuntur. Addũt Physiologi, quíque naturæ arcana scrutantur, & Parelios, seu Solis imagines, & ῥάβδους, hoc est virgulas. atque has quidem ex nubium inæqualitate fieri, tricoloréśque, vt & Iridas, esse: Parelios autem albos, vt & Halonas, asserunt. ἅλωνες. ῥάβδοι.

Christiana & Philosophica terræmotus causa. Cap. 26.

CÆterùm terræmotus à Deo ideò fieri dicimus, vt hominibus terrorem incutiat, & ad saniorem mẽtem reuocet. quemadmodum ipse quoque Dauides canit. Qui despicit in terram, & concutit eam. Philosophi verò causam illorũm à ventis repetũt, si fortè cùm è terra sursum feruntur, contingat, vt flat⁹ aliquis, velut extrinsẽca quædam exhalatio, subterraneis reflans sese meatibus insinuet. qua etiam de causa serena tempestate terræmotus accidere, cáque adeò frequentiùs loca infestare solent, *Quæ loca terræmotibus obnoxia.*

in quibus mare rapidius fluit, tellúsq; mollis & laxa cauernis & cuniculis scatet. Porrò Solem ipsum terræmotus tempore tenebricosum & obscurum esse affirmant. quia nimirum ventorum tunc in terram remeare flatus incipit, à quo liquidior aër interim & serenior efficitur.

Sol tenebricosus tempore terræmotus.

De ventis. Cap. 27.

VErumenimverò de ventis idem quoque Dauides ita canit. Qui educit ventos de thesauris suis. Prisci verò Philosophi ventos in vniuersum quatuor esse affirmāt, Subsolanum, Zephyrum, Notum, & Boreā, quorum Subsolanus & Zephyrus non ita vehementes sint, Notus verò & Boreas infestissimam tyrannidem exerceāt. Quæ cur fiant, his rationibus innituntur, quòd Sol nec Australes nec Septētrionales plagas calefaciat: quia nec in Arctico nec in Antarctico polo semper versatur. (vnde fit, vt frigidæ ex ęquo & humidę sint. Multísq; adeò imbribus indidem exortis, multus quoque vapor, ísque fumosus consequatur. Quæ res in causa est, vt Boreas & Notus tam impetuosis flatibus ferantur.) Contrà vero cùm in regionibus, quę vel in Orientem vel in Occidentem vergunt, Sol crebris anfractibus moueatur, multum ibi frigoris suboriri non sinit.

Subsolanus. Zephyrus. Notus. Boreas.

De Fulmine, Turbine, Tonitru, Procella, &c.
Cap. 28.

FVlmen porrò nullam in se inflammationem habet, quippe quod aërem ingenita sibi leuitate & tenuitate referat. Vnde id etiam nominis sortitum est, vt sit κεραυνός quasi εὐκρατὴς, quia præ læuore suo minimè adurat. Prester verò, hoc est turbo accensus, cùm ex nube substantiam materia crassissima constantem habeat, eámque incendat & inflammet, inde fit, vt incendiis & conflagrationibus idoneus euadat. Presterem autem ventus etiam præcedit, cuius rei certo id indicio est, quod fulmine iamiam tãgendum est, quia priùs vento concutitur. Presteris enim vetus ferire, quia sulphureus, & concutere solet. Neque verò ventus ille Prestera solum modò præcedit, sed etiam comitatur & subsequitur. dispersúsque & in leuissimos flatus diffusus tonitrus & fulgetras excitat. et, si quidem inflammetur, vel fulmen, vel fulgur, vel prestera: sin secus, ἐκνεφίαν & τυφῶνα, hoc est procellam & verticem ciet. Porrò hæc omnia ad inflammationem & adustionem referuntur.

Prester. *Tonitrus.* *Fulgetra.* *Ecnephias.* *Procella.* *Typhon.* *Vortex.*

De corporum resurrectione & animorum immortalitate. *Cap.* 29.

DE corporum resurrectione nulla Græcorum placita, de animi immortalitate permulta reperiuntur. Illi enim & pœnas

Infra de Essenis sub fi.

apud Inferos pro iis quæ in vita malè quis gesserit, & λειμῶνας ἀσφοδελοὺς, hoc est prata Asphodelo virētia, & Elysios campos fingunt. quibus illi post mortem donentur, qui præclarè se in hac vita gesserint. Atque Græcorum quidem de iis quę sunt in rerum natura sententiæ, quoad ex multis paucas sermone percurrere licuit, ita se habent.

Elysii cāpi.
ἐπίλογος.

De Iudaïsmi autoribus.
Cap. 30.

Gen. 17. Abraham circuncisio. Moses. Lex Exodi. 19. 20. 21. Dauides 2. Reg. 2.

IVdaismus autem ab Abrahamo originē, circuncisionis interuentu, duxit. Auxit eundem Moses, qui septimus ab Abrahamo Iudaicis rebus præfuit, legis beneficio, quam à Deo in Sina monte acceperat. Ornauit posteà Dauides ex tribu Beniamin, vbi primùm Sauli successit, cúmque iá quadraginta annos Iudæis imperasset, virtute scilicet & sapientia præcellens, quippe qui numine diuino afflatus esset, suorum terminos dilatauit. Eius enim manum Deus in manu extendit, & in fluuio dexteram eius.

Hæreseon & seditionum Iudaïcarum origo. Cap. 31.

2 Reg. 5. Hierosyma. Salomon. Templum. 3. Reg. 6.

CVm ergo eo claritatis Iudaïcum genus excreuisset, Hierosolymáq; Dauides & Salomon mœnibus cinxissent, atque aggeribus ipsa mœnia circūuallassent, tēplū deniq; ybiuis gentiū percelebre Salomon ædificas-

ſet, quidam ſua Sione minimè contenti, Hebraicum Imperium propalam ſeditionibus ſuis adulterarũt. Vt maior in illorum Rep. perturbatio primis illis temporibus nõ fuerit, quibus nimirum Iudices tribubus Iudaicis iura dicebant.

Duodecim tribuum in duos Ducatus ſub Roboamo diuiſio. Cap. 32.

MOrtuo itaque Salomone duodecim tribus, quæ vnius anteà Imperio regebantur, in duos Ducatus diuiſæ ſunt. Cùm enim Salomonis filius Roboamus mortuo patri in Imperium ſucceſſiſſet, duráque ſenioribus & moroſa reſponſa daret, qui populi nomine ſupplices ad illum confugerant, diuiſæ ſunt tribus. Atque ſub eius Imperio vltima quidem tribus perſeuerauit. Vndecim verò reliquæ apoſtatam Roboamum, qui è Samaria in Iudæam inuaſerat, ſecutæ ſunt. Atque illi quidem qui Salomonis filio morem gerere perrexerunt, Iudæ: qui verò Ieroboamum Nabati filium regem ſibi creauerunt, Iſraëlis nomine dicti ſunt. Cæterùm Roboamus ſeptendecim annis Iſraëli præfuit, nimirum vſque ad Iechoniæ tempora, qui & Sedecias appellatus eſt. Temporibus autem illis quæ regem vtrunque interfluxerunt, à vero Dei cultu aberrantes Iſraëlitæ Diis alienis ſacra fecerunt. Cùm primum enim conflatiles auro

3. Reg. 12.

Ieroboamus.

Iſraelitæ idololatræ.

Vaccæ aureæ.

vaccas ignauis & hebetibus adorandas Ieroboamus proposuit, mox etiã in obscuris locis & lucis victimas multas obtulerunt, Baalémq; tanquã Deum colere cœperũt.

Nabuchodonosor.

Captiuitas. Esdras Babylone in Samariam idololatris inhabitabilem mittitur. *Cap.* 33.

4. Reg. 25. 2. Paralip. 35. & 36.

VErumenimverò cũm Hierosolymis expugnatis, templóque incẽso Nabuchodonosor victor populum, regnante tunc Iechonia, captiuum sibi mãcipasset, Iudæi per Legatos à Babyloniorum rege exorarunt, vt ex suis aliquot in Israëliticã regionẽ mitteret, ne fortè diutiùs deserta & neglecta sylnesceret, atque feris tantũ latibula prẹberet. Ille itaque gentiũ sibi subditarum quatuor, nimirum Cuthæos, Cuddęos, Sepharuræos, & Anegoganæos eò colonos misit. Qui simul atque cum tutelaribus idolis in Samariã peruenerunt, ibidémq; sibi domos extruxerunt, à feris absumpti sunt. Quocirca per legatos ab Assyriorũ rege petierũt, aut ad ferarum internecionẽ auxilium mitteret, aut colonia excedere sibi cum bona eius venia permitteretur. Admiratiõe interim summa ducti, quî fieri potuerit, vt quisquam retroactis temporibus Samariã incoleret. Rex ergo iis ad se accersitis, qui inter Hebræos excellere videbantur, interrogauit quid causæ esset, quòd Samaria tot à feris infestaretur, atque adeò coloni, quos illò amiserat, tam miserè perirent. Responderunt Hebræi fas

Samaria idololatris inhabitabilis. 4. Reg. 17.

non esse, vt regio illa idololatris cederet, cuius incolæ pristini Mosaicam legem obseruauerint. Illis itaque Rex integrum fecit, vt aliquem in Samariam mitterent, qui Mosis ibi legem profiteretur. Illuc ergo quidã sacerdos, Esdras nomine, secum legis exẽplar ex scriptum deferens, circiter annum à captiuitate tricesimum se contulit. *Esdras* 1. *Esdre*. 7.

Samaritanorum hæresis. Cap. 34.

POrrò Samaritani, si quis interpretetur, idem quòd custodes significant. Hique adeò primi exorti sunt, qui Iudæis consentanei essent in iis, quæ de Deo apud illos circunferuntur. Solam autem Pentateuchũ admittunt. Mortuorum resurrectionẽ improbant. Spiritum sanctum nullum admittunt. Et quãuis idololatræ re vera sint, summa tamen illis, ne tales videãtur, cautio est. Hierosolymis enim vnà cũ cæteris Hebræis adorare dedignati, in monte Garizin & sacra faciunt, & orãt. Eo in loco quatuor nationum, quæ (vt iam monuimus) illò coloniam ex Assyria deduxerãt, idola delitescere ferunt. *Garizin. Ioan*. 4.


In quibus quatuor Samaritanorum secta conueniant, in quibus non. Cap. 35.

EX his autem Esseni, Sebuæi, Sorotheni, & Dosithæi in quibusdam dogmatis consentanei, in quibusdam contrà dissen-

Esseni. tanei prouenerunt. Esseni enim Augusto mense Azyma(in quo cum Sebuæis conueniunt) Scenopœian verò, cùm Azyma Iudæi: Pentecosten denique in Autumno celebrant. *Sebuei.* At Sebuæi eodem ritu quo Esseni & Sorotheni dies festos colunt. à Dositheis *Sorotheni.* autem dissentiunt. Sorotheni vt in cæteris cum Essenis & Sebuæis conueniant, eundem certè ritum in festis celebrandis quem Dosithæi obseruant. Festorum enim celebrãdorum illis Sorothenísque & Dositheis *Dosithei.* eadem quæ cæteris Iudęis ratio est. Dosithei certè,vt resurrectioné fateantur, & in festorũ celebritate Sorothenis consentanei sint, priuatim certè apud illos plerique ab animatorũ esu,nec pauciores à nuptiis post liberos semel susceptos abstinẽt,nec desunt qui virginitatem profiteantur. Huius sectæ *Dositheus.* Dositheus autor fuisse perhibetur,qui Hebręus genere, singularique pręditus eruditione cùm frustrà cõtendisset, vt in iis quas δευτερώσεις illi vocant, primas consequeretur,ad Samaritanos desciuit, atque huius hæreseos autor fuit. Verumenimuerò cùm nimio Philosophiæ amore teneretur,in antrum quoddam secessit,vbi dum ieiuniis temerè vires attenuat & infirmat,tandem panis & aquæ penuria moritur.Omnes itaque huiuscemodi vitam suam ita instituerunt, vt circa res agendas paulò solertiores essent.

De Essenis in specie. *Cap. 36.*

ESseni insuper amore virtutis à nuptiis, ita vt qui maximè, abstinebant, diuitias pro nihilo ducebant, vnà denique vescebãtur. Priuata enim publicos in vsus comportabant, turpe rati, si quis priuatim quid diuitiarum possideret, apud quos scilicet fraternitatis nomine bona commiscebantur, & communes in vsus depromebãtur. Apud eosdem squaloris studio vsus olei nullus erat. candidus illis color arridebat. vestẽ aut calceos recentes non nisi prioribus detritis induebant. Vnum aut etiam alterum in cõmune procuratorem habebant. Nullus inter illos emptioni, nullus venditioni locus, sed expositis egenti suis omnibus quilibet id ab illo vicissim recipiebat, quod sibi deerat, imò verò alienis vti absque mutua gratificatione pòterant. Ante solis ortũ summa illis cautio erat, ne profani quid effutirent. Ad horam vsque quintam operabãtur. Deinde in vnum conueniebant, lotísque frigida manibus in cœnaculo conuiuabantur. Promus panes, coquus ex vno & eodem edulio ferculum, prǽeũte precibus Sacerdote, singulis apponebat. Non clamore ædes, non tumultu confundebantur. Alternis inter se pérque vices colloquebantur. Sua verò absque procuratorum assensu & præsentia nemini erogabant. Iræ vt promi, ita excãdescentiæ condi æquissimi. Fidei doctores.



Pacis ministri. Quicquid dixerant maioris quàm iusiurandum ponderis erat. Iuramentum ipso periurio deterius existimabant. Omnes scripturas euoluebant, eas verò maximè ex quibus præcepta ad animos bonis moribus informãdos vtilia elicerentur. Ad se adeuntes probabant, eósque tandem fortitudinis & constantiæ specimine celebres in consortium vltrò suum asciscebant. In iudiciis exactissimi iuxtà & iustissimi. In congressibus & colloquiis mutuis expuere illis religio erat. In primis autem mala obfirmato animo nihili faciebãt, atque dolores quidem meditationibus superabant. Mors illis quæ cũ laude & gloria obiretur, immortalitate ipsa potior erat. Quare multi si quãdo propter legẽ flagris cæderẽtur, neque lorariis adblandiebantur, neq; lacrymabãtur: imò verò & verbera ridebant, & tortores ipsos irridebant: animas profundere parati, ac si denuò easdem recepturi essent. Apud ipsos enim obfirmata hæc opinio inualuerat, Corpora quidem corruptioni obnoxia esse, periturámque materiam qua constant: animas autem in æuum sempiternum permanere, quæ certè nescio quo naturæ lenocinio, quibúsve illecebris ab æthere purissimo diuulsæ, atque in corpora demissæ, illis tanquam carceribus coërcerentur, tandem verò carneis hisce vinculis exolutæ, & quasi diuturna seruitute liberatæ, tunc vtique gau-

Mors gloriosa.

Animorum immortalitas

derent,& in ſublime ferrentur. Atque vt bo- *ſupr. infr.* norum quidem animæ(qua in re Græcis cõ- *Græciſmi.* ſentiunt)amœna quædam loca ſupra Oceanum incolerent,quæ neque imbribus, neq; niuibus,neque caloribus infeſtarentur: ſed quibus ab Oceano leuis aura Zephyri aſpiraret: malorum verò ad tenebricoſa & hyberno frigore rigentia, denique ſuppliciis omne genus nunquam deſituris ſcatentia loca protruderentur. Et mihi quidem Græci eodem conſilio fortibus viris (quos Heroas & Semideos illi vocant) Fortunatorum inſulas conſecraſſe, impiorum contrà animas Orco(quæ ſceleratorum ſedes eſt)addixiſſe videtur,vbi etiam Siſyphos,Tantalos,Ixionas,& Tityos quoſdam meritis affici pœnis in fabulis eſt. Primùm itaque perennes animas eſſe ſupponunt, deinde ad virtutũ perſecutionem vitiorúmque fugam hominibus conceſſas affirmãt, propterea quòd viri boni,quandiu viuunt,meliores euadunt, certa ſpe adducti, fore vt poſt obitum in honore habeantur,ſceleratorum contrà affectus ita metu præpediantur, vt etiam ſi in vita lateant, poſt mortem tamen certum ſibi exitum expectent. *Animi immortales.*

Iudæorum in ſeptem ſectas diuiſio.
Cap. 37.

EX huiuſcemodi Eſſenorum viuendi ritu, ni mea me fallit opinio, noſtrates

Nazarẹi pleraq; sua instituta deprõpserunt, quanuis & illa tempore interciderint. Cæterùm tandem Iudaïsmus in Saducæos, Scribas, Pharisæos, Hemerobaptistas, Nazarẹos, Essæos, & Herodianos diuisus est.

De Saducæis. Cap. 38.

ET Dositheorũ certè velut auulsio quædam fragmentúmve Saducæi sunt. Saducæi autem quasi iusti dicuntur. Sadoc enim Hebræis iustus est. Hi porrò mortuorũ
Act. 23. resurrectionem improbant, Angelos non admittunt, Spiritum Sanctum ignorant. In cæteris omnibus cũ Dositheis conueniunt.

De Scribis. Cap. 39.

SCribẹ autem legis δευτερωταί, hoc est secundarij denominantur, siue illi qui traditiones & ceremonias ad legem adiicie-
Marc. 15. bant. Siquidem seniorum traditiones δευτερώσεις appellabantur. Hi, vt in cæteris cũ Iudæorum vulgo conuenirent, superfluis tamen nescio quibus obseruationibus addicti, vrceos, pocula, patinas, & cætera id genus mensalia vasa pugnóque facto suas ipsorũ manus curiosiore superstitione abluebant. Vascula insuper antè perpurgabant,
Dalmaticia. quàm cibos ex illis caperent. Dalmaticia,
Colobia. quæ nunc colobia dicuntur, purpuráq; prẹ-
Phylacteria. texũntur, induti, phylacteria sua ostentabãt, breues nimirum chartulas, quibus inscripta

lex erat, quas illi pretiosis fasciis ornatas, auróque distinctas, tanquam Iudęorum magistri, deferebant. Fimbriæ præterea ab illorũ vestibus promittebantur, quatuórque stolæ eorundem alis aurei corymbi, malorum punicorum similitudine, affixi erant, quo tempore illorum quispiam continebat, aut virginitatem exercebat. *Matth.23.*

De Pharisæis. *Cap.* 40.

AT Pharisæi cultu religionis exteriore Scribas longè superabant, quorum alij tabulas sibi latitudine bipalmares subiiciebant, vt si quando sub noctem somno victi in pauimentum procumberent, confestim expergefacti Numen precarentur, Alij calculos aut spinas sibi substernebant, alij ad prȩfinitum tempus in virginitate degebant, atque ita alij ad decimum, alij ad octauum, alij ad quartum vsque annũ perseuerabant, donec in somnis ad Veneris furta stimularentur. Bis in Sabbato, secunda nimirum & quinta feria, ieiunabant. Porrò Pharisęorum nomen indepti sunt, vt qui ab aliis, præ huiuscemodi philosophiæ studio, seiuncti essent. Nam Phares Hebræis idẽ est, qui Græcis ἀφωρισμένος, & Latinis segregatus. Illi præterea mortuorum resurrectionem, Angelos, & Spiritum sanctum, cõtra Saducæorum dogma, confitebantur. Iidem fato & Astronomiæ intenti à grauidis coniugibus *Luc.18.* *Phares.* *Act.23.b*

nis & vilissimos significat. Illis Elxaï quidã Pseudopropheta, rerúmque laudabiliũ corruptor, Trajani Romanorum Imperatoris temporibus se coniunxit, qui Christi in carne aduentum negabat. Virginitatémque & continentiam detestatus ad nuptias exhortabatur. Elxaï huic fratrem fuisse aiunt, qui Iezæus diceretur, posteáque, magni scilicet Constantini temporibus, vnà cum duabus sororibus innotuerit, quæ eodẽ quo ille genere prognatæ ferrentur, Martho scilicet & Marthana, quibus errore delibuti homines, tanquã Deabus à diuino Elxaï semine prognatis, diuinum cultum exhiberent. Cæterũ Elxaï potentiam occultã & arcanam significat. El enim Hebræis potentia, Xaï occulta dicitur.

Elxaï à quo Sampsæorum seu Floreorũ heresis infr. lib. 4. cap. 25

Iezæus.

Martho.
Marthana.

De Herodianis. Cap. 44.

HErodiani ab Herode Antipatri filio nomen acceperunt. Antipater enim Ascalonites à Iudæis captus & abductus Herodem illum suscepit, qui Christi temporibus pueros interfecit. Tandem Demetrio familiarissimè coniunctus, Iudææq; procurator effectus, seipsum cum Herode filio circuncidendum curauit. Hic Herodes posteà cùm Iulio Cæsari, Antonio, & Augusto innotuisset, Iudæorum regno præfectus est. Nonnulli ergò illum esse Christum arbitrabantur, Iacobi scilicet vaticinio adducti, quod ita canit. Non deficiet dux neq; prin-

Luc. 2.

Gen. 49.

ceps de femore eius, donec veniat, cui repositum est, icircò Herodiani nominantur.

Libri primi Epilogus. *Cap.* 45.

Atque hæ quidem sunt hæreses, quæ Christi in carne aduentum præcesserunt, nec tamen omnes improbatæ sunt, ast illæ tantùm, quæ Mosis legem antiquabant, eiúsque placitis aduersabantur. Porrò Pharisæorum & Scribarum traditiones, si cum legis oraculis obseruarentur, nihil præiudicij pariebant. Nam quid alioqui detrimenti ex vrceorum baptismis, manuum ablutionibus, tintinabulorum sonitu, corymborũ aureorum appensionibus, tabulísque bipalmaribus ad somnum capiendum substratis, eiuscemodi obseruationum studioso cõflari potuisset? Idem de ieiunio iudicandũ est, & cæteris quibus Pharisæus designabatur, atque Scriba vel procul conspectus innotescebat, quibus hactenus ignotus fuisset. Quod superest, vera esse quæ dico, Christus ipse, qui veritas ipsa est, his verbis planè arguit. Dico enim vobis, nisi superabundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum &
Matth.6. Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Hypocriticus porrò traditionũ cultus, primorum accubituum amor, primæ sedis ambitio, preces mediis in plateis fusæ, priuatorum denique mandatorum præ diuinis obseruatio, atque adeò accuratissimũ
Matt.23.

dogma-

dogmatum suorum præ Dei præceptis studium, extremam proculdubio animis hominum perniciem exitiúmque adferunt: vt satis hęc supérque Theanthropi verba indicant: Vę vobis Pharisęi hypocritę, quia mũdatis exteriora calicis & paropsidis, interiora autem plena sunt rapina & iniustitia. Itẽ, Vę vobis, Scribę & Pharisęi hypocritę, quia decimatis mẽtam, anethum, & cyminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudiciũ, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Atque hæc sunt, inquam, in quibus ante Christi in carne aduentum à lege diuina aberratum est. Cæterùm posteà quàm ille corpus humanum assumpsit, à mortuis surrexit, in cælos ascendit, Apostoli denique per hominum nationes dispersi sunt, innumeræ opiniones ab Orthodoxæ fidei regula diuersæ, studio eius qui zizania disseminare solet, exortæ sunt. Operæ autem pretium me facturum existimo, si primùm de sancta Trinitate disseram, tum deinde hæreses ipsas attexam, vnà cum iis quæ aduersus illas à me conscripta sunt.

Matth. 23.

Libri primi Finis.

D

D. NICETÆ CHONIATÆ, SEV COLOSSENSIS, THESAVRI Orthodoxæ fidei Liber ſecundus, De ſancta Trinitate, Angelis, & hominibus, Petro Morello Turonenſi interprete.

[Quòd diuinitas triſypoſtata ſit, hoc eſt tribus perſonis conſtet.] *Cap. I.*



NDE Certè dicẽdi præludium faciemus, vnde dubitationis occaſionem pleriſque ſubortam video, nimirum Quid obſtiterit, quo minùs ſe natura illa rerum omnium fabricatrix ab initio trinam oſtenderit, ſed tũ demum, quãdo à Verbo caro aſſumpta eſt, idipſum ſibi placere perſpicuũ fecerit. Reſpondemus itaque perappoſitè id, próq; diuinæ magnificentiæ dignitate, factum ita fuiſſe. Illa enim cùm homines à monarchia, ſeu Dei vnius cultu alienos, & ad Deorum pluralitatem propẽſos, creaturarum potiùs quàm creatoris cultui addictos eſſe videret, tunc temporis ſe vulgò celauit, nec vnitatẽ illam, quæ trinitati perſonarum ineſt, cuiuis perſpicuam & explanatam eſſe voluit, vt imbecillæ peruerſorum cognitioni parceret, qui ſanè vel nullis huiuſcemodi propoſitis exemplis, aliàs ἀναρχίαν, hoc eſt nullũ prorſus Deum, reuerebantur, aliàs τῇ μοναρχίᾳ, hoc eſt vnius Dei cultui, Deorum pluralitatem præferebãt. Cęterùm apud Deo chariſ-

Idololatria obſtitit quo minùs Trinitas hominibus citiùs innotuerit.

ſimos Patres vnitate ſua Trinitas non caruit,imò verò Abrahamus, quo tépore Angelos hoſpitio excepit,obſcuriùs illã tacitus ſecũ reputauit,expreſſiùs autẽ ſpecimẽ illius edidit, cùm filiũ Iſaacum ſuppoſito ariete, viuentẽ è ſacrificio recepit. Ex iis enim quæ tunc vidit,Verbi incarnationẽ ariolatus eſt, futurúmq; adeò,vt Diuinitas minimè pateretur,ſed caro ſola, quã in mundi totius expiationẽ aſſumpturus eſſet. Porrò Moſi, dũ in monte obambulat,noua illa viſio obiecta eſt. Et Iacobus filiis benedicens vaticinatus eſt futurũ,vt is qui cũ colluctatus nocte fuerat,hominibus coniungeretur, & velùti catulus Leonis à ſomno reſurgeret. Quiſquis deniq; diuino fuit afflatus numine,quãtum hoc vel illo pacto mẽtis oculos cõtẽdere potuit,Trinitatis cognitionẽ tãquã in ſpeculo contẽplatus eſt. Alioqui vel ipſa de DEO Patre cõcepta notio,Filij quoq; & Spiritus eſſentiam cõmonſtrat & confirmat. Nam filij pater eſt,& patris filius, eóſque vna & eadẽ natura efformat. Spiritus itidẽ alterius cuiuſpiam ſpiritus eſt, eius nimirũ cuius & dicitur. Iis itaq; de cauſis Triſypoſtata, hoc eſt, tribus conſtãs perſonis Diuinitas animo ex ſymbolis primùm ab illis concepta eſt, qui rerum diuinarũ præſcientia claruerunt: Palàm verò & perſpicuè tum demum, cum ex Trinitatis perſonis vna nobiſcum in carne verſata eſt.

Vnitatis in Trinitate exempla. *Gene.18.* *Gen.22.* *contra Theopaſchitas.* *infr.lib.15.* *Exod.4.* *Gen.49.* *Gen.32.* *Ex Baſil. infr.eo cap.7 in princ.*

[Cur Trinitatis mysterium ministerio Verbi potius quàm hominis cuiuspiam innotuerit.]

Cap. I.

CÆterùm Verbo muneris id conueniebat, vt Trinitatis mysteriũ mundo patefaceret, vt homines à Deo ea quę Dei sunt edocti, hauddubiã de iis opinionẽ conciperent. Nã si à mortaliũ aliquo traditũ fuisset, nunquã id ponderis apud rerũ diuinarũ studiosos habuisset, vt facilè suscipiendũ videretur: quemadmodũ, verbi gratia, Mosaïcis scriptis vsuuenisse Sycophãtę affirmare ausi sunt, quorum alia quidem à Deo legislatore, alia verò à Mose populíque senioribus promulgata dixerunt. Atque huius posterioris opinionis ergô, ne legis quidem diuinæ cultum huiusmodi scriptis exhibuerunt. Nam si posteà quàm ipse Christus Theologiam illam professus est, quæ & in vnitate Diuinitatis, & in Trinitate personarum elucescit, nonnulli, velut adulterinæ quædam Dæmonis monetæ, exorti sunt, qui Dei maiestatem nullo modo reueriti, à fide diuerticula subintroducerent, à quibus, quæso, verbis sibi temperassent homines, si abstrusarum rerum, necdum à quoquam tractatarum Doctores fuissent?

Ptolemæus in primis inf. lib. 4. cap. 5.

[Incarnatio Christi certißimum diuinæ erga nos prouidentiæ argumentum.] Cap. 3.

DEi porrò maiestatis excellentissimum opus, eiusdémque prouidétiæ erga nos argumentum efficacissimum inde innotuit, quòd filius carnem assumpserit, & vsque ad mortem crucis sese exinaniuerit. Cùm enim ille Dei imago immutabilis & naturalis esset, nósque imaginis illius diuinæ, ad quam efformati fueramus, characteré corrupissemus, idem ille, qui vt in rerum natura essemus, effecerat, creaturæ suæ restaurationem in se recepit, atque adeò ἐνυπόστατον illud, hoc est per se subsistens Dei verbum, patre propriam gloriam nó exuente, incarnatum in terris apparuit, & eos qui à ratione deflexerant, ad brutámque vitam diuerterant, denuò ad rationis & intellectus dignitatem reuocauit. Pater autem ordine filium, filiúsque spiritum præcedere eadem ratione dici potest, qua res expetendas, & suos effectus causa præcedit, qui tamen diuersæ naturæ, posterioréſque tempore non sint, sed æterna potiùs coæternorum effectuum causa sit, eiusdem substantiæ, sola proprietate dempta, particeps. Primus enim pater, secúdus genitura, tertius processio dicitur.

Patris & Filij cũ causa: Spiritus cum effectu collatio.

[Cùm Diuinitas ineffabilis sit & incomprehensibilis, qui fit, vt à Christo in Patrem, Filium, & Spiritum diuidatur?]
Cap. 4.

QVòd si rem ipsam altiùs atque conuenienter Deo disquiramus, natura diuina omni ex parte ineffabilis est, & incomprehensibilis, nec id quod re ipsa est aut humana cogi ratione reuelari, aut oratione vlla exprimi potest. Et quamuis Trinitatem, quamuis Vnitatem, quamuis Patrẽ & Filium, & Spiritum, quamuis denique Diuinitatem illam incomprehensibilem, & naturam ineffabilem vel animo concipiamus, vel oratione pronuntiemus, illa non in iis rebus, sed supra eas consistit. Ex quo fit, vt diuinæ naturæ neque prior locus neque posterior accommodari commodè possit, sed omnium supremus duntaxat. vt pote quæ omnem numerum, & vnitatum excogitationem excedit, si saltem numerus & vnitas circa substantias versentur, Deus autem supra substantiam sit. Seruator tamen noster, vt nominibus & rebus nobis familiaribus ad ea nos deduceret, quæ supra naturam posita sunt, diuinísque adeò mysteriis initiaret, oratione sua patri primùm, Filio alterum, Spirituíq; sancto tertium locum attribuit, cùm sic discipulos suos alloquitur, „ Euntes docete omnes gen-

Numerus.

Matth. vltimo.

tes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. "

[Consentaneum fuisse, vt Dei filius hominis quoque filius diceretur, fierique non potuisse, vt vel ab homine humano, vel ab Angelo seruaremur.] Cap. 5.

HOc autem neque Patri à natura insitũ, neque diuino item Spiritui consentaneum erat, vt in terra videretur, & nobiscum coalesceret. Quî enim fieri posset, vt qui nullis non seculis insitam sibi paternitatem prædicabat, filius hominis audiret? vel etiã Spiritus ille coadiutor & perfector, eorúmque cõfirmator, quæ Filius ex nihilo ad id quod est in rerum natura produxit. pro vt plerique scriptis suis asseruerunt, imò vel ipse Seruator in Euangeliis, in quibus de spiritu sancto disserens discipulos his verbis alloquitur. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis quæcunque dixi vobis. Item, Cùm autem venerit paracletus, quẽ ego mittã vobis, Spiritus veritatis, qui à patre ꝓcedit, ille testimoniũ feret de me. Sed hoc à ratione nõ abhorrebat, vt qui Dei filius esset, hominis quoq; filius euaderet, & quẽadmodũ vitam hominibus largitus erat, ita nobis quoque non tantùm vitam, sed bonam etiam vitam

Ioan. 14.

Ioan. 15.

aduentu suo largiretur, saluis ambabus naturis: diuina, inquam, quæ eadem prima est, & hominis captum transcendit, nécnon humana, quam propter nos ad tempus speciali quadam proprietate assumpsit: præsertim quia hominis culpa factum fuerat, vt homo salute excluderetur, cui consequendæ nihil Mosaïca lex, nihil propheticæ prædictiones prodesse potuerat, nihil denique Angelorum quispiam nobis hac in re profore posse videretur: tametsi hoc Deo supra modũ arrisisset, quod rebus hominum deploratis præsens remedium & ad recuperandam salutem efficacissimum afferret. Quî enim fieri potuisset, vt simplex homo, nec vllius diuinitatis particeps, vnam eandémque in fidem gentes cõgregaret, illísque cerimoniis finem imponeret, quibus lex obnoxios nos efficiebat? vel etiam eadẽ potestate vti potuisset, qua Christus vtitur, his verbis. Lex quidem ait, Non » mœchaberis: Ego autẽ, Ne mulierem quidẽ » aspicies, ad concupiscendam eam, & quę sequuntur, eo quidem sensu accipienda, vt ad legis perfectionẽ non autẽ ad destructionẽ dicta & tradita intelligãtur. Sed ne malorũ quidem spirituum vires infirmare potuisset Angelus, præsertim cùm scriptura nos » moneat, Michaëlẽ Archangelũ cũ diabolo » quidẽ super Mosis corpore contendisse, eo » tamẽ audaciæ nequaquam euasisse, vt illum

Hominis ad salutem cõsequẽdam impotentia.

Matth. 6.

Angeli quoque ipsius impotentia.

Epist. Iude.

tanquam blasphemum condemnaret, sed « his duntaxat verbis vsum esse, Increpet te « Dominus. Quin & Angeli in Angelos insurgunt, quemadmodum vir ille desideriorum & prophetarum perspicacissimus, Daniel suis scriptis explicat. Quocirca pro vt oportebat, ita etiã creata sunt omnia, creata verò & facta sunt ita, vt & mundo salutifera, nec Deo indigna essent. Atque hæc hactenus, etiam si citra omnem orationis ornatum dicta sint. Iam quædam scriptis mãdanda supersunt, ex quibus sanctissimi Patres & Theologi nos docuerunt, quídnam de supersubstantiali Trinitate sentiendũ sit.

Angeli in Angelos insurgunt.

* *D. Dionysii Areopagitæ, ex 2. cap. De vnita & distincta Theologia, De Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Cap. 6.*

PAtrem quidem fontem diuinitatis esse, Filium autem & Spiritum Deigenæ diuinitatis germina, vt ita dicam, diuinitus pullulantia, & quasi flores, super substantialiáque lumina, sacris ex oraculis accepimus, at quónam id tãdem pacto fiat, nec oratione quisquam, nec intellectu consequi potest. Item, Proinde in omni ferè Theologica disputatione summæ diuinitatis sacras laudes intuemur, partim quidem, quia vnitas sit, propter simplicitatem & vnitatem supernaturalis eius impartibilitatis, ratione

Lib. De diuinis nominibus cap. 1.

Vnitatis ratio.

cuius, tanquam vnificæ potentiæ, vnimur, diuiduísq; nostri diuersitatibus, supra mūdi huius conditionem, complicatis, in Deiformem monadem, eámque vnitatem colligimur, quæ diuinam illam imitetur: partim verò, quia Trinitas sit, trium illarum personarum ratione, quæ ex fœcunditate supersubstantiali elucescunt, ex qua cœlestis omnis familia & est & denominatur. Item, Diuinitas illa, quæ rerum omnium præses, & Vnitas & Trinitas celebri nomine dicitur, non ea est vnitas & Trinitas, quæ vel nobis, vel alij cuiquam eorum quæ sunt innotescat. Sed vt ipsius vnitatem vnitate omni superiorem, Deigenámque fœcunditatem verè laudemus, illam trina & vna diuinitatis appellatione denominamus: cùm tamen omnia nomina transcendat, & eorum quæ sunt essentiam exuperet. Nulla porrò vnitas aut Trinitas, nullus numerus aut vnitas, aut fœcūditas, nullum denique aliud ex iis quæ sunt, quod quidem cognitioni scientiæque pateat, arcanum illud nulla oratione nullóque intellectu explicabile, retegere potest, quod in ea super diuinitate inest, quæ substantia sua nullam non substantiam multis parasangis exuperat. Ipsa verò neque vllo nomine, neque vlla ratione, aut oratione exprimi potest, sed in ipsis adytorum penetralibus, quasi de medio sublata delitescit.

Trinitatis ratio.

De perfecto & vno cap. 13.

Trinus & vnus Deus cur dicatur.

* *Magni Baſilij ex Epiſtola ad Gregorium fratrem, quæ De eſſentiæ & hypoſtaſeos differentia inſcribitur.* *Cap.* 7.

QVicunque in ſancta Trinitate Patrem intellectu aſſequitur, vna eadémque opera & ipſum per ſe Patrem intelligit, & filium cogitatione comprehendit. Qui autem Filium tenet, Spiritum quoque complectitur, & conſequenter quidem ſecundũ ordinem, coniunctè verò ſecundum naturam, trium in ſeipſo confuſam & commiſtã fidem expreſſit. Spiritum item ſolum qui dixit, huiuſcemodi confeſſione eum quoque, cuius & Spiritus eſt, nempe Christum, & eum ex quo procedit, nempe Deum, vt Apoſtolus ait, complexus eſt. Quemadmo- *Eph. 6.*
dum autem in cathena, qui annulum vnum *Cathena.*
attingit, ſimul etiam alterum extremum at- *κρίκου aliàs*
trahit, ita quicunque Spiritum traxit, vt au- *ἄκρου extremum quòd*
tor eſt Propheta, isverò per ipſum Filij quo- *& melius: vt*
que & Patris cõpos factus eſt. Quòd ſi quis *patet ex ſeq.*
apprehẽdat, ab vtroque eiuſdem latere, hoc quidem eiuſdem Patrem, illo verò propriũ eiuſdem Spiritum eadem hac inductione ſibi conciliauerit. Nec enim fieri poterit, vt is à Patre ſeparetur, qui ſemper in Patre manet, aut à proprio vnquam Spiritu diſiungatur, qui omnia in ipſo agit. Proinde nulla prorſus ſectio aut diuiſio excogitari poteſt, qua vel Pater ſine Filio, vel Filius ſine Spiri-

tu intelligatur. Imò verò ea in iis cōiunctio & diuisio est, quæ nulla oratione explicari, nullóque intellectu cōprehendi queat. cùm præsertim neque Hypostaseon differentia cōtinuitatem naturæ distrahat, nec essentiæ coniunctio proprietatem personarum, quasi fatiscens & perfluens effundat. Ita vt mirabili quadam ratione in his & coniuncta distinctio, & distincta cōiunctio dignoscatur. Vt autem huius rei obscuritati luminis aliquid accedat, aut potiùs veritas adumbretur, multicolor ille cœlestis Arcus, quem vulgus Irin appellat, exempli gratia proponatur. Omnium enim colorum eius splendores & distincti videntur, quia eminùs lucent, & coniuncti, quia mixtionum terminos non videmus, quibus colorum varietates distinguuntur. Vt discernere omninò nequeas quatenus extendantur, aut vnde initium ducat, vel rutilus, vel Smaragdinus, vel Glaucus luminis splēdor. Quo quidem naturæ exemplo nos ratio monet, ne nouitatis vitio laboremus in dogmatum rationibus exquirendis, si quando difficilem aliquem nodum disquirendo nacti, in vtram nobis partem inclinādum sit, addubitamus. Quemadmodum enim ea quæ sub aspectū cadunt qualia sint experiri, quàm iis temerè contradicere præstat, ita etiam in dogmatis illis, quæ de rebus arduis instituuntur, illi cognitioni, quæ ratiocinationibus compa-

Personarum differentia. Essentiæ cōiunctio.

Iris.

μὴ καινοπαθεῖν. interpres εuth habet ne frustrà laborem, vt legisse videatur μὴ κενοπαθεῖν.

Fides cognitionem præcedat.

tatur,fides antecellat oportet.

** Magni Gregorij Theologi De Patre,& Filio, & Spiritu Sancto,distincta simul & cōiuncta Diuinitatis ratio. Ex oratione prima De filio. Cap. 8.*

NOs autem vnius Dei principatum colimus. Principatum inquam, non vna circunscriptum persona (fieri enim potest, vt vnum à se ipso dissideat,& in multa euadat)sed qui æquali naturæ dignitate,eodem animi consensu, eadem motione, & omniũ quæ ab vno fluunt, in vnum concursu constituatur(quod quidem in natura procreata fieri nullo prorsus modo potest) ita vt etiã si numero differat, essentiæ tamen ratione non diuidatur. Icircò vnitas ab initio in binarium excrescens in ternario cōquiescit. Et hoc nobis est Pater & Filius, & Spiritus Sanctus.Ille quidẽ genitor & emissor(quod citra affectum,tempus, & corpus intelligo) horum verò alterum genitura,alterum autẽ emissio dicitur. Alioqui nescio quo illa nomine dicenda sint, cùm ab iis quæ sub aspectum cadunt abstracta fuerint. Et paulò pòst.Quocirca nostris nos in finibus continentes,vnũ ingenitũ,alterũ genitũ, tertium à Patre & Filio procedens introducimus. quemadmodum ipse Deus & Verbum testatur alicubi.Quando igitur, obiiciat quispiam, hi esse cœperũt?nimirum antequàm

Monarchiæ diuinæ descriptio.

Genitor.
Genitura.
Emißio.

Ioan.15.

Trinitas quando cœperit.

vlla temporis obſeruatio fieret,& ſi quid iuueniliter enunciandum eſt, quando Pater ipſe. Quando autem Pater non fuit?quando nec hi fuerunt.Sic ergo de Filio,ſic & de Spiritu Sancto ſentiendum eſt. Rurſum interrogato me,vt rurſum quoque tibi reſpõdeam.Quando Filius genitus eſt? nimirum quando Pater genitus non eſt.Quando denique Spiritus proceſſit? quando nimirum Filius non proceſſit. Sed genitus eſt nullo tempore,ſupráque quàm quis ratione conſequi poſſit. Et ſi ſupra tempus nihil quicquam ſtatuere poſſumus,quamlibet temporalem ſignificationem ſubterfugiamus (Nã voces hæ,quãdo,anteà, poſteà,& ab initio, temporis expertes nõ ſunt) etiam ſi vel maximè adnitamur,vímque verbis adferamus, niſi quia ſpatium illud, quod eadem cum ſempiternis duratione protenditur, nullóque motu aut ſolis curſu diuiditur, aut mẽſurabile temporis inſtar eſt,Seculum appellamus.Iam ſi coæterni ſint, inquies, quî fit, vt principij etiam vnà cum Patre non ſint expertes? quia nimirum ex illo ſunt, quãuis poſt illum non ſint. Quod enim principio caret, idem & æternũ eſt, quod verò æternum eſt,non omnino principio caret, quãdiu ſaltem ad principium ſuum,hoc eſt Patrem referatur.Filius ergo & Spiritus, ſi ad cauſam ſui reuocentur, principij expertes non ſunt(conſtat tamen cauſam non omni-

Quando, antea, poſtea, ab initio.

Seculũ quid.

Filius & Spiritus ἄναρχοι χρόνῳ non αἰτίᾳ.

no iis antiquiorem esse, quorum causa est. Nec enim solem luce antiquiorem dixeris:) at si temporis habeatur ratio, sine principio sunt. Quamlibet tu simpliciorum animos præstigiis tuis perterrefacias. Nec enim tẽpori subiiciuntur, à quibus tempus ipsum dependet. *Causa non omnino causatis antiquior.*

Eiusdem, ex oratione De dogmate & statu Episcoporum. Cap. 9.

ITa igitur Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum adoramus, vt diuisis proprietatibus Diuinitatem ipsam cõiungamus. Nec verò in vnum tria contrahimus, ne Sabellij morbo corripiamur, nec contrà vnum in tria, diuersa quidem illa & aliena diducimus, ne cum Arrio insaniamus. Cur enim, quæso, plantæ in alteram partem vergenti & prorsus incuruatæ similes, vi contrariam in partem distorqueamus, & peruersitatem peruersitate corrigamus, ac non potiùs ad medium aspirantes, intra diuinæ pietatis fines consistamus? Mediocritatis porrò nomine veritatẽ ipsam intelligo, ad quam solam si spectabimus, non aberrabimus: id autem fiet, si nec improbę illi cõtractioni, nec ea longè absurdiori diuisioni subscribamus. Ita vt neque nomina verbis in vnam contracta personã multiplicis Diuinitatis metu, nuda nobis relinquamus, dum eundem Patrem & Filium & Spiritum Sãctum exi- *Aurea mediocritas. In medio duorũ extremorum Sabellij & Arrij.* *In Sabell.*

ſtimamus, nec potiùs in vnum omnia conflari, quàm eorum vnumquódque nullum prorſus eſſe definimus (deſignant enim quod ſunt, ſi alternis ſibi cedant, aliáque in aliorum locum tranſeant) neque contrà in tres naturas vel peregrinas, diſſimiles, & inter ſe diſſectas, eam quam iure optimo inſaniam dixi, amplexati: vel principio & ordine carentes, atque, vt ita dicam, diuinitati contrarias. Eò quòd hinc in Iudaicæ paucitatis anguſtias contrahimur, ſi Soli ingenito diuinitatem adſcribamus: inde verò in contrarium quidem, ſed æquè malum, vitiũ incurrimus, ſi tria principia, trésve Deos ponamus, quod quidem prædictis lõgè abſurdius eſt. Præſtat enim ſi neque Patrem quidam ita complectantur, vt eum vel Patris nomine defraudent. (Nam cuius tandem Pater dici queat, ſi diuerſæ Filius naturæ cenſeatur, & creaturis accenſeatur?) neque Chriſtum tantoperè ament, vt eum Filij nomine ſpolient. (Cuius enim, quæſo, Filius audiat, niſi ad cauſam, ſcilicet Patrem referatur?) neque in Patre principij dignitatem minuant, qua nimirum Pater & genitor aſſeritur. Rerum enim parui momenti, nec ſe dignarum principium fuerit, niſi diuinitatis eius, quæ in Filio & Spiritu cernitur, autor exiſtat. Quandoquidem & vnũ Deum colere, & tres hypoſtaſes, ſeu perſonas, atque illarum quamlibet ſua proprietate præditam

In Arium.

Trinus & vnus Deus.

te præditam confiteri oportet.

Eiusdem, ex oratione in Arrianos, & pro seipso.
[Patrem, Filium, & Spiritum communi nomine Deum dici. Quorum expressa comprehẽsio vera demum, hoc est cœlestis, fœlicitas sit.]
Cap. 10.

AT verò nos Patrem & Filium, & Spiritum sanctum adoramus, atque Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum Sanctum denique Deum, nisi molestè feras, vnam scilicet eãdémque naturam in tribus proprietatibus, quæ intellectu percipiuntur, perfectæ sunt, per seipsas consistunt, & numero non diuinitate diuiduntur. His mihi vocibus vti per te liceat, quicunque minis nos hodie territas; cęteras verò persequatur qui volet. Fieri non potest, vt Pater subsistat, si Filij iacturam faciat, nec Filius, si Spiritu Sãcto priuetur. Priuatur autem, si aliquando *In Arriã.* esse cœperit, siq; creatura sit. Creatura enim Deus non est. Baptismum porrò imminui *Baptismus. Eph.4.* nec ego quidem fero. Vnus Dominus, vna " Fides, vnum Baptisma. Quod mihi si confe- " ratur irritum, vbi, quæso, alterum nanciscar? Quid dicitis? Heus vos, qui baptismum per- *In Macedonium.* uertitis, seu rebaptizatis: fieri ne potest, vt quis spiritalis sine Spiritu dicatur? An verò Spiritus particeps ille sit, qui Spiritum non veneratur? Is ne porrò Spiritum veneratur,

qui in creaturæ conseruíque nomine baptizatus est? Nunquam certè, quamlibet multa dicas, nunquam id persuadebis. Non te fallam, ô principij expers Pater. Non te fallã, ô vnigenitum Verbum. Non te fallam, ô Spiritus Sancte. Scio quid confessus sim, à quo desciuerim, quem secutus sim. Nõ committam, vt viua fidelis doctoris voce institutus, discipulus infidelis euadam. Veritatem cõfessus sum, non mendacium: non committã, vt qui baptismo perficiendus venerim, imperfectior abeam. Qui vt viuerem baptizatus sum, in aqua moriar, quemadmodũ illa, quæ in ipso partu pereunt, mortémque vnà cum ortu experiuntur. Cur me, quæso, beatũ & miserum, recèns illuminatum & luminis expertem, diuinum & impium, eodem temporis momẽto facis? Númnam vt hoc naufragio, vel spe reformationis excidam? Vt rẽ paucis absoluam, quid confessus sis, reminiscitor. In quem baptizatus es? In Patrẽ. Rectè hoc quidẽ, sed Iudaïcum. Deinde in Filium. Rectè & hoc, at quamuis Iudaïcum non sit, nondum tamen perfectum est. Et in Spiritum Sanctum. Optimè hoc certè, nam perfectum est. Age verò, númnam simpliciter in huiusmodi nomina baptizatus es, an etiam commune aliquod horum nomẽ nosti? Commune certè noui. Ecquódnam est? nimirum Dei nomen. In hoc commune nomen credito, gressus dirigito, & regnato. Iã

Confessio.
Exorcismus.
Catechismus.
Νυστικόν.
Deus.

ex hoc mundo ad beatitudinem illam cœlestem transmigrasti. Illa porrò, vt mea fert opinio, nihil aliud est, quàm expressior[quędam] horum comprehensio.

** D. Maximi, De Patre & Filio, & Spiritu Sãcto, Distincta simul & coniuncta Diuinitatis ratio. [Patris, & Filij & Spiritus eandẽ substantiam, potentiam, & actionem esse.] Cap. II.*

DEus vnus est, quia Diuinitas vna, principij expers, simplex, supersubstãtialis, impartibilis & indiuisibilis. Eadem vnitas & Trinitas: eadem tota vnitas, & tota Trinitas. Eadem tota vnitas, si essentię, eadẽ tota Trinitas, si personarũ ratio habeatur. Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Diuinitas eadem. Quæque Patri & Filio & Spiritui Sancto diuinitas inest, eadem tota in Patre toto, atque viciſſim eidem toti Pater totus inest. Eadem tota in toto Filio, atque totus in eadem tota Filius. Eadẽ tota in toto Spiritu Sancto, atque totus in eadem tota Spiritus Sanctus. Neque ex parte tota in Patre diuinitas est, vel ex parte Pater Deus est. neque ex parte Diuinitas Filio inest, vel ex parte Filius Deus est. neque ex parte inest Spiritui Sancto Diuinitas, vel ex parte Spiritus Sanctus Deus est. Nec enim partitioni diuinitas obnoxia est. Neque Pater aut Filius, aut Spiritus Sanctus Deus est imperfe-

Totum.

Pars.

ctus. Sed tota eadem perfecta perfectè Patri perfecto: tota perfecta perfectè Filio perfecto: tota denique perfecta perfectè, & eadem, Spiritui Sancto perfecto inest. Totus enim toti Filio & Spiritui Sancto perfectè Pater inest. Item totus toti Patri & Spiritui Sancto perfectè Filius inest. Totus denique toti Patri & Filio perfectè Spiritus Sanctus inest. Vna enim & eadem Patris & Filij & Spiritus Sancti essentia, potentia, & actio est. Nec eorum quisquam absque altero esse aut intelligi potest.

Dei & creaturæ differẽtia.

2 Eiusdem, Illa vniuersi opifex sanctæ Trinitatis essentia sola simplex, vniformis, nulla re egens, & immutabilis est. Omnis autem creatura composita est, quæ nimirũ ex substantia & accidente constet, Diuinæ prouidentiæ auxilio semper egeat, haudquaquam mutationis expers. Proinde nec accidens Deo, nec qualitas attribuenda. Hæc enim rebus compositis & mutationi obnoxiis attribui solẽt. Quæcunq; autem Deo insunt, natura insunt, non tanquam acquisita & aduentitia.

Accidẽs & qualitas in Deũ non cadunt.

3 Eiusdem, Ne habitus & aptitudines in simplici & infinita Sanctæ Trinitatis essentia quæsiueris: ne fortè compositam illam profitearis, & rebus creatis accenseas.

Pater eorum quæ sunt causa: Filius sapientia: Spiritus vita & potentia.

4 Eiusdem, Ex iis quæ sunt eorum quæ sunt causam dignoscimus, [nimirum Patrem.] Ex eorum autem quæ sunt differen-

tia, illa Enypoſtata, hoc eſt per ſe conſiſtens, eius quod eſt ſapientia, nempe Filius, nobis innoteſcit. Ex naturali denique eorum quæ ſunt motu, enypoſtatam quoque ſeu per ſe conſiſtentem eorum quæ ſunt vitam, & viuificam eorum quæ ſunt potentiam, nempe Spiritum ſanctum intelligimus.

5 Eiuſdem, Si verbum eorum quæ ſunt generationi præeſt, nullum vnquam hoc verbo verbum antiquius fuit, futurúmve eſt. Verbum autem nec mentis exors, nec vitæ eſt, ſed mentis & vitæ particeps. Generantẽ enim mentem habet, quæque ſui eſſentia conſiſtat, nimirum Patrem: Habet & vitam ſui eſſentia cõſiſtentem, ſcilicet Spiritum Sanctum.

Verbum mẽtis, id eſt Patris, & vitæ id eſt, Spiritus Sancti particeps.

* *Damaſceni, ex oratione De Patre & Filio & Spiritu Sancto, Diſtincta ſimul & coniuncta Diuinitatis ratio. Cap. 12.*

DEus & Pater eſt, qui ſemper ingenitus eſt. Quippe qui à nullo genitus coæternum Filium genuerit. Deus & Filius eſt, qui cum Patre ſemper eſt, ab illóque ſine tempore, ſempiternè, ſine fluxu, imperturbatè, & ſine ſeiunctione ab ipſo, genitus. Deus denique Spiritus ſanctus, virtus ſanctificans, quæ per ſe ſubſiſtit, à Patre & Filio procedit, & in Filio cõquieſcit, eiuſdem cum Patre Filióque ſubſtantiæ. Verbum

Verbi ſignificationes. 4.

est,quod substantialiter Patri semper adest. Verbum item est,naturalis motus, quo animus ipse mouetur,intelligit,& cogitat,quia nimirum ipsius quasi lux & splendor existit. Verbum prætereà est, internum quoque illud,quod in corde loquimur. Adhæc,Verbum est,animi nūtius. Verbum igitur Deus essentia sua & hypostasi propria consistit. Cætera tria verba facultates animi sunt,quę propria in hypostasi haudquaquam considerantur Quorum primum animi naturale germen est,quod semper ab ipso naturaliter profluit. Secundum verò internum quoque dicitur. Tertium denique profertur. Spiritus etiam multiplex est acceptio. Nam & Spiritus Sanctus est. Et Spirituales facultates Spirituum nomine designantur. Spiritus insuper pro Angelo bono, item & pro dæmone capitur. Spiritus item anima est, Aliquando etiam intellectus, ventus, aër, & cæt.id genus Spiritus appellantur.

Spiritus significationes.8.

** Eadem de re,Ex variis Patribus.[perfectæ in Trinitate personæ,in se vicissim singulæ.] Cap. 13.*

1 EX duabus perfectis hypostasibus, seu personis, compositio fieri non potest. Proinde speciem nequaquam ex personis, sed in personis dicimus. Ex quo fit,vt perfectas quidem sancta in Trinitate personas

dicamus, ne compoſitio in illis vlla cogitetur. Has autem in ſe viciſſim ſingulas, propter mutuum earum habitum inter ſe atque relationem aſſerimus. Quia etiam nec circunſcribi, nec loco contineri poſſunt, quia denique vna eorum eadémque diuinitas eſt.

2 In omnibus rebus creatis, perſonarum diuiſio re ipſa deprehenditur. Nam re ipſa Michaël à Gabriele, & Petrus à Paulo ſeiunctus eſt, & cætera eodem modo. Quod verò commune in his & vnum eſt, id cogitatione dignoſcitur. Sola enim cogitatione Angelitatem, verbi gratia, & humanitatem, hoc eſt communem Angelorum & hominum notionem cognoſcimus. At in diuina Trinitate ſecus ſe res habet. Quod enim in ea commune & vnum eſt, id re ipſa perſpicitur. Nam re ipſa tres vnum Deum, vnam & eãdem in tribus naturam & actionem, vnam denique & eandem voluntatem eſſe certò ſcimus. Perſonarum autem diuiſio ſimplici & nuda cogitatione intelligitur. Nec enim eam circunſcriptionem, qua perſonæ circunſcribi ſolent, neque interuallũ, quo locus à loco diſiungitur, nec aliam vllam ex iis proprietatibus, quibus ſingula ſuis quaſi finibus continentur, hic intelligere aut cogitare audemus. Præter paternitatem, filiationem, & proceſſionem, ſeu notiones eas, quibus pater genitor, Filius geni-

tus, & Spiritus procedens intelligitur. Atque hæc quidem huiuscemodi ratione fiũt, quæ naturam & essentiam quancunque facilè superat. Proinde Deum vnum eos esse dicimus, cùm fieri non possit, vt perfectè atque re ipsa eorum personas diuidamus, quę sine diuisione diuiduntur, & sine coniunctione coniunguntur, propter diuisionis & coniunctionis eorum rationem, quæ ea est, vt natura quacunque & essentia longè præstantior sit.

Hypostascon distinctio. 3 Distinguntur hypostases, non essentiæ ratione, sed characteristicarum proprietatũ, hoc est notarum, quæ personis insunt. Ex quo fit, vt ex rebus creatis, quæ sit Patris & Filij & Spiritus Sancti, seu propriarum notarum, differentia rescíscamus, naturarum verò non item.

Essentiæ, naturæ, generis, speciei, & formæ: item hypostasiós, personæ, characteris, proprietatis, & indiuidui ἰσοδυναμία.
Cap. 14.

4 ESsentia, Natura, gen9, species, & forma, vbi de Deo agitur, idem significant, vt Diuis Patribus placet. Item hypostasis, Prosopon hoc est persona, character seu nota, proprietas, & indiuiduum pro eodem sumuntur. Atque essentia quidem & natura de omnibus ex æquo subiectis enuntiantur. Vnde fit, vt omnes vnius essentiæ naturæq;

ſint. Hypoſtaſis autem perſona, & indiui-
duum, id eſt quòd proprie perſéque ſubſi-
ſtit, nec diuiſioné citra ſubiecti corruptioné
admittere poteſt.
5 Species & forma in ſancta Trinitate pro
eodem capiuntur, & ambæ denotant eſſen-
tiam. Ait enim, Qui vidit me, vidit & patré: *Ioan. 14.*
quo in loco viſus præſcientia & cognitione "
intelligitur. "
6 Eſſentia quidem perſonarũ coniungen-
darum vim habet. Hypoſtaſes autem vi cha
racteriſticarum proprietatum, ſeu notarum
ſuarum eſſentiam diſtingunt.
7 Eſſentia quidem nunquam de rebus di-
citur, quæ non exiſtant, at natura ſæpiſſimè.
Hæc eſt enim, inquit ille, mendacij natura: "
Item, Ductus aquæ, inquit, fontem oſtendit "
ſuum: ſermonis auté natura cor, à quo pro- "
ceſſit, indicat.
8 Si quę communia & vniuerſa ſunt, ea to- *Vniuerſa.*
ta, & integra de ſingulis ſibi ſubiectis enun-
tiantur, certè diuinitatis quoque natura to-
ta & integra de ſingularibus ſuis perſonis
enuntiatur. Siquidem commune quid & v-
niuerſum, natura & eſſentia eſt, ſingulare
autem hypoſtaſis & perſona: ſingulare, in- *Singulare.*
quam, nõ quòd naturæ partem habeat, par-
tem verò non habeat, ſed quia indiuiduum
ſit.
9 Atque eſſentia quidem commune quid *Subſtãtia.*
eſt, quia de pluribus enuntiatur; Indiuiduũ *Indiuiduum.*

autem ſingulare, quia nimirum de vno ſolo prædicatur.

Naturæ & hypoſtaſeos differentia. ex Cyrillo, Dionyſiis Areopag. & Alexandrino Græcor. Naz. & Theodoreto.

Cap. 15.

10 NAtura & hypoſtaſis, ex Eccleſię definitione & lege, nō idē ſignificāt. quo enī modo cōmune à proprio, vniuerſum à ſingulo, infinitum deniq; à definito: eodem quoque natura ab hypoſtaſi differt. Beatum tamen Cyrillum & alios patres vtroque nomine ad diuinam illam carnis aſſumptionem ſignificandam, citra vllum diſcrimen, vſos, haudquaquam ambigimus. Abuſiuè enim aliàs hypoſtaſin pro eſſentia, aliàs item eſſentiam pro hypoſtaſi vſurparunt: non quòd idem eas eſſe exiſtimarent, verum quia non ſcripturę tantùm ſacræ, ſed Eccleſiaſticorum etiam Doctorum mos hic iam olim inoleuit, vt multis in rebus citra diſcrimen quibuſdam dictionibus vtantur: quas abuſiuè aliquando vſurpant, ſcientes verba nihil adferre incommodi (vt Cyrilli verbis vtar) cùm res aliter ſe habeant. Hierophantes quoque, ſeu ſacrarum rerum demōſtrator, Dionyſius autor eſt, Rationi diſſentaneum hoc eſſe, atque adeò præpoſteri iudicij argumentum, ſi quis vi & ſcopo rerū poſtpoſitis, à verborum ſignificatione dependeat. Dionyſius quoque Alexandrinus

Cyrill. *Dion. Areo.* *Dion. Alex.*

ille Rhetor in ſcholiis,quę in ſibi cognominem Areopagiten edidit, ait, Ingenitum apud externos ſeu profanos philoſophos omnem naturam ſignificare,quæ ſub aſpectum non cadit.Adhęc eſſentias quoq; apud eoſdem pro hypoſtaſibus vſurpari: & infrà. Huiuſmodi certè voces apud Areopagitã, Nazian.quoque abuſiuè vſurpatas deprehẽdamus.Gregorius etiam Theologus ita ſcribit.Neque verò qui de verbis digladiantur, id vitio nobis vertant,quaſi pietatem nominibus,at nõ rebus adſcribamus.Item, Veritas nobis non nominibus,at rebus ineſſe videtur. Proinde quæ abuſiuè dicuntur, ea neque propriè id ſunt, quod dicũtur, quia nimirum ne propriè quidẽ id dicũtur quod ſunt:neque è diuerſo talia intelligũtur,qualia vox ipſa deſignat.

Ingenitum. *Eſſentia pro hypoſta.* *Nazian.* *Res & verb.* *Catachreſticorum conditio.*

Iam verò cùm Cyrillus hypoſtaſeon coniunctionis,differentię,& proprietatis mentionem facit,tunc hypoſtaſeon nomen pro eſſentiis vſurpat. Hac voce coniunctas naturas per ſe ſubſiſtere demonſtrãs,atque docens eiuſmodi coniunctionem haudquaquam ſimilitudinum quarundã formatúmque per ſe minimè conſiſtentium fieri, ſed earum rerum quæ ſubſiſtunt.Quod vt ita ſe habere cõſtet,idem ipſe in prima Apologia primi anathematiſmi aduerſus Theodoreti reprehenſiones, ſic ait. Diſcat verò obiter, quòd ſi ſolæ per ſe ipſas ab hypoſtaſibus ſo-

Cyrillus. *Hypoſt. pro eſſ.*

iunctæ formę œconomica illa carnis assumptæ coniunctione inter se coïerint, certè rerum quoque ipsarum, si quidem & hypostaseon, concursum factum esse. Cæterum sibi diuersam quoque naturæ & hypostaseos significationem non incognitam fuisse, idem ipse in secunda ad Nestorium epistola his verbis attestatur. Euangelicas Seruatoris nostri voces, neque duabus hypostasibus, neq; certè personis adscribimus. Item in epistola ad Orientales, Euangelicarum, inquit, & Apostolicarum de Domino vocum nonnullas à Theologis viris ita communiter accipi nouimus, tanquam de vna persona prolatæ sint: nonnullas item diuidi, tāquam de duabus naturis pronuntiatæ fuerint. Idem alibi sic ait. Duplex non est vnus & solus Christus. quibus verbis vsus est vnius hypostaseos ratione. Nam si naturarum ratio habeatur, duplex quoque dici potest.

Totum pro parte. Certè cùm simpliciter & citra differentiā procedit oratio, non solùm patres, sed diuinam quoque scripturam, liberè vocabulis & simpliciter vti deprehendimus. Diuus enim Apostolus interiora hominis, hominē: eiusdémque exteriora, hominem rursus appellat: partibus nimirum totius appellationem tribuens. *Pars pro toto* Prophetæ autem contrà, nunc carnis, nunc animæ nomine hominem intelligunt: partium appellationem toti tribuentes. Cum verò tempus id postulat, pro-

priis vtuntur appellationibus. Eo verò sensu quem prædixi Theologus ille quoque Ioãnes ait. Et verbum caro factum est, pro, homo factum est. Nihil tamen hac de re digladiamur. Hoc enim, vt magnus ille testatur Dionysius, eorum est proprium, non qui ad diuinarum rerum cognitionem aspirāt, sed qui sonos simplices aucupantur, impensiúsque gaudent elementis, syllabis, & dictionibus incognitis, quæ ad animi sui partem, cui vis intelligendi inest, haudquaquam penetrant, sed extrinsecus summis eorum labris & summis auribus inhærent, & circunstrepunt. Hypostasis duplex est. Aliàs enim dicitur hypostasis, id quod simpliciter est in essentia, quia nimirum subsistit & est: quod quidem citra characteristicas proprietates, seu notas, consideratur. *Ioan.1.* *Diony.*

Aliàs persona, quæ per se, vel cum prædictis proprietatibus subsistit. Quæ enim indiuidua Peripatetici vocare solent, in quæ generis & speciei diuisio desinit, vt quæ præterea diuidi non possint (nam hominis in animam & corpus diuisio interitum adferre solet) ea Doctoribus Ecclesiasticis personas & hypostases appellare placuit. Hypostases porrò dictæ sunt, quia in iis genera & species, quæ communia nec circunscripta sunt, quasi pedem figunt & circunscribuntur. Quamuis enim animali & homini essentię ratio propria sit, quorum illud genus, hic *ἔτυμον.*

ſpecies eſt,nihilo minùs tamẽ in atomis,puta Petro & Paulo,hypoſtaſin habẽt,ſeu ſubſiſtunt,citra quos ſubſiſtere nõ poſſunt.Sed de hypoſtaſi quidem hactenus.

ἀνυπόστατον duplex.

Viciſſim quoque ἐνυπόστατον, ſeu id quod vi ſua ſubſiſtit,duplex eſt: ſignificat enim id quòd ſimpliciter eſt,quo ſignificatu non ſolùm eſſentiam, quam αὐθύπαρκτον & αὐθυπόστατον,hoc eſt per ſe vique ſua ſubſiſtẽtem,rerũ huiuſmodi periti dicunt,nos quoque ἐνυπόστατον dicimus, quia nimirũ ſimpliciter ſit & ſubſiſtat,ſed accidentia etiam ἐνυπόστατα, hoc eſt vi ſua ſubſiſtentia denominamus,quia in alio, nimirum in eſſentia, non autem in ſeipſis,ſint & ſubſiſtant: quæ tamen rectiùs ἑτερουπόστατα, hoc eſt in alio ſubſiſtentia nuncupantur. Significat etiam id quòd per ſeipſum eſt, & ἰδιοσύστατον per ſe propriè conſiſtit:quo in ſignificatu indiuidua quoq; ἐνυπόστατα dicimus, quæ propriè hypoſtaſes potiùs & ſunt & dignoſcũtur. Sed de Enypoſtato quidem hæc ſufficiant.

Anypoſtatõ duplex.

Nõ abſimili ratione Anypoſtatum quoq; duplex eſt. Nec enim anypoſtatum dũtaxat id dicitur,quod nullo vſquam modo ſit,ſed id etiam quod alio ſubſiſtit, qualia ſunt accidentia:quæ ipſa per ſe ſubſiſtere non poſſunt.

Qui ſubtiliùs hæc rimari voluerit, pleraque alia hypoſtaſeos ſignificata deprehen-

det. Nam præter ea, quæ suprà dicta sunt: hy
postasis etiam pro onere capitur: vt in Deu-
teronomio. Quomodo potero ego solus
onus vestrum sustinere? Hebraïcè enim Ma *Deut. 1.*
sachem, hoc est onus, dicitur. Itē pro cibo,
siue annona: vt in libro Iudicum de Iudæis:
quoniam Madianitæ diripuerunt fructus *Iud. 6.*
terrę, & substantiam eorum. Hebraicè enim
est Macheïa, quo nomine cibus designatur.
Item pro spe, vnde in libro Ruth his verbis
vtitur Noëmium. Non est mihi Filius aut *Ruth. 1. 6.*
spes. Hebraïcè enim Thicouïa legitur, hoc
est spes sobolis propagandæ. Item pro pre-
tio siue mercede, vt primo Regum, de mer- *1. Reg. 13.*
cede fabri ærarij. Ad securim, inquit, & quæ
sequuntur, merces hæc erat. Nam Hebraïcè
Ardaban scribitur, hoc est merces. Item pro
castris, vt in eodē libro Ionathas armigero *1. Reg. 14.*
suo ita inquit. Veni ascēdamus in castra Pa-
læstinorum. Hebraïcus enim codex Mataan
habet: quo nomine castra significātur. Item
pro fæce illa, quæ in rebus liquidis subsistit,
vt cùm vrinæ subsistentiā dicimus. Item pro
facultate, vt illud. Et subsistētia mea tanquā *Psal. 38.*
nihilum coram te. Item pro fundamento, vt
illud, Fixus sum in limo profundi, & nō est *Psal. 68.*
mihi subsistētia. Itē pro negotio, vnde Hie- *Hier.*
remias. Cōgregauit extrinsecus subsistentiā
suā. Et pro arcano, vt apud eūdē de pseudo-
prophetis. Et si stetissent in substantia mea, *Hier. 23.*
siue in arcano meo. Item pro firmamēto, vt *Hier.*

Hiezec.40. apud Hiezecielem de templi ædificatione, describens domum & cætera quę sequũtur, in quibus hypostasim pro fundamento ponit.Itẽ pro laude, vt apud Apostolũ. Quod
2.Cor.11.
» loquor, non secundum Dominum loquor,
» sed tanquam stultitia in hac substantia gloriationis.

Item, D. Dionysij Areopagitæ De Deo. [omnia de Deo & affirmantur, tãquam omniũ causa: & negantur, quia omnibus excellentior sit.] Cap. 16.

DEus neque lux est, neque tenebræ: neq; cognitio, neque ignoratio: neq; veritas, neque mendacium: &, vt paucis cõcludam, nihil est vbi ponatur, aut vnde auferatur. Omnibus enim superior est, & quę à nobis, & quæ ab iis quæ supra nos sunt cogitãtur. Quandoquidem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non is est, quẽ cogitamus, vel qui supra nos sunt. sed is est, qui nulla ratione intelligi, aut oratione exprimi queat. Positiones enĩ & ablationes, & habitus, & priuationes, iis accensentur, quæ post Deum sunt.

Deus cuiusmodi.

2 Eiusdem, Deus est eorũ quæ sunt essentia, quippe qui earum principium & causæ sit. Seculum autem seculorum, vt qui magis propriè sit, quàm secula. tẽpus verò, quia sit eorum, quæ sunt mensura. nam earundẽ terminus etiã est, vt qui eis modũ & finem imponat. Quandoquidẽ ea etiã quæ sempiterna sunt, ipsáq; seculorũ series infinita illius infinitate terminãtur, qui [infinitus] infinities

Deus Essentia. Secundum seculum. Tempus. Terminus.

ties infinitè ipsa cõplectitur. Generatio autem, vt qui ea quæ quoquo modo fiunt in rerum naturam producat. Locus, quia omnia contineat. Omnia denique est, quia omnibus superior. *Generatio* *Locus.* *Omnia.*

Priuantia contrario modo de Deo enuntiantur.

3 Eiusdem, Deus & eorum quæ sunt terminus & infinitas dicitur. Terminus quidem, qui ea terminet. Infinitas verò, qui supra ea protendatur. Eius enim infinitas, quæ cũcta terminat, infinitis modis patet. *Terminus.* *Infinitas.*

4 Eiusdem, Et magnũ & paruum de Deo, qui rerum omnium causa est, contrariis modis efferuntur. Magnum quidem, plerisque scripturę in locis. Paruum autem his ex verbis, In aura tenui, colligitur. Magnus certè dicitur, quippe qui magnitudinẽ rebus tribuat, cuius infinita magnitudo sit, qui denique magnitudinem omnem exuperet, cuius magnitudo quantitatis, mensuræ, terminíq; prorsus expers existat. Paruum autem siue tenue, id in Deo prædicatur, quòd in nullũ tumorẽ molẽmve excrescit, quòd nullo spatio definitur, quòd liberè per omnia penetrat, & vsque ad diuisionem animæ & Spiritus pertingit, atque etiã conceptiones & cogitationes cordis, imò ea quę sunt omnia discernit. Nulla enim res procreata ei obscura est. Et paruum quidẽ hoc quãtitatis expers, immensum & infinitum est: atque licet nullo comprehendi modo queat, omnia tamen *Magnum.* *3. Reg. 10.* *ἀόριστον.* *Euth. interpres habet inuisibile; vt ἀόρατον legerit.*

comprehendit.

Idem. *Diuersum.* 5 Idem insuper & diuersum de Deo prædicãtur. Illud quidem eo in loco. Tu autem

Psal.88. idem ipse es, hoc autem in illo. Domine, Domine, quis similis tibi? Idẽ ergo dicitur, quia nõ immutatur, imò semper eodem se modo & cõsimiliter habet, itẽ quia non miscetur, non eget, non crescit, non imminuitur, quia deniq; iis quæ sunt tribuit, vt eadẽ dicãtur. Diuersum verò, quia præ illo, nulla res sit. Omnia enim quæ sunt, ab eo, qui re vera est, creata sunt: & ipse superior omnibus est, & ab omnibus ita diuersus, vt nulli eorũ ordini accẽseri queat, præterea verò, quia ea creauerit, quæ diuersa & differentia sunt.

Osee.12. 6 Dicitur etiã similis. Ait enim, Ego visiones multiplicaui, & in manibus prophetarũ assimilatus sum, quia nimirũ apparebat eis hac vel illa forma, rebúsq; similis fiebat, quæ sub speciẽ cadunt. adhæc etiã, quia vim illã tribuit, qua similitudo inesse videtur. Ait e-

Gene.1. nim, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã. Sciendũ porrò eadẽ Deo &

Similia. similia & dissimilia dici. Similia quidẽ, quia quoad ejus fieri potest, eum imitantur, qui

Dissimilia. est inimitabilis. Dissimilia verò, quia effect[9] à suis causis multùm distant, & immẽsis interuallis disiunguntur.

Quies. *Motus.* 7 Quies insuper & motus in Deo dicũtur. Quies quidẽ, quia in seipso Deus manet, im motúsq; persistat, quia etiã à seipso transferri

aliò non poteſt,quia deniq; rebus omnibus velut expaſſus incubet. Motus auté,non eo quidé,quòd motui métis,aut animę,aut naturę,aut loci,aut vlli deniq; motuum illorū, qui vulgò dicunt,obnoxius eſt,ſed cōprehéſionis illius ergô, quæ detineri aut coërceri nullo modo poteſt: itē immobiliū illorum progreſſuū ratione,quibus Deus prouidētia ſua iis quæ ſunt infunditur,illarum denique actionum ratione, quæ nullis non actionibus excellentiores ſunt.

8 Eiuſdē, Quemadmodum ſancti homines domus Dei dicūtur, Ait enim, Habitabo in eis,& inambulabo:ita etiā ſanctorum hominū domus Deus eſt. Dauides enim ait,Eſto mihi in Deum protectorē,& in domū refugij,vt ſaluū me facias. Atq; ipſius quidē Domini hæc verba ſunt,Vos in me eſtis, & ego in vobis. Et quēadmodum ita in illis Deus eſt,vt neq; cōtineri, neq; circūſcribi queat: ſic etiā ipſi ita in Deo ſunt,vt cū eius eſſentia nequaquā miſceantur,aut confundātur. *Domus Dei.* *2.Cor.6.* *Pſal.30.* *Ioan.15.*

9 Eiuſdē, Quanquā qualitatis omnis quātitatíſque Deus expers eſt, Dei tamē latitudo intelligitur, lata illa progreſſio, qua rebus omnibus prouidet. lōgitudo autem, vis illa diuina, quæ ſupra omnia ſuperextenditur: profunditas deniq;, occultatio illa, qua fit, vt ille ab eorum quæ ſunt nullo percipi cognoſcíve queat. *Latit.* *Longit.* *Profundit.*

10 Eiuſdē, Deus in ſacris myſticarū viſionū

Dei apparitionibus canus & iuuenis fingitur. & canus quidẽ, antiquum: iuuenis verò senio minimè obnoxium significat: vel iuuenis etiam ratione arithmetica antiquitatem diuinam denotat. Vnitas enim, & quæ sunt vnitati adiuncta, antiquiora sunt iis, quæ illa numero longè diffusiore superant.

Canus.
Iuuenis.

11 Deus quidẽ omnib⁹ adest: nec enim vni loco ita est addictus, vt ab alio absit: sed vniuersa cõplectitur: at nõ omnia illi adsunt: sed quæcunq; digna sunt, quæ ad diuinitatẽ propiùs accedát. Nos autẽ illi tum demum adsumus, cùm illum castissimis votis inuocamus, hoc est mente nullis sordibus inquinata, atq; ita vt qui ad DEŨ propiùs accedamus, idonei censeamur. quẽadmodum autẽ si cathena multis contexta luminibus, & è cæli vertice suspensa ad nos vsq; pertingat, nos alternis eã manibus apprehẽsam deorsum quidẽ trahere videmur, re autẽ vera deorsum eã non trahimus, cùm eadẽ suprà infráq; propẽdeat, imò potiùs nos ab illa sursum ad sublimiores ei⁹ radios trahimur: vel Quẽadmodum si nauẽ cõscendamus, & rudẽtibus innitamur, qui nobis aliquo è scopulo protẽdũtur, & quasi ex professo porrigũtur, vt eos cõprehẽdamus, scopulum nequaquam ad nos, sed nos potiùs ipsos vnà cum naui ꝓpiùs ad scopulum admouebimus: ita precibus quoque nostris nequaquã Deum ad nos attrahimus, qui vbique adest,

Deus omnibus adest.
Deo quis adsit.
Nõ Deus ad hominem descẽdit, sed homo precibus ad Deum ascendit.
Cathena.
Nauis.

sed nos ipsos ad illum diuina eius cõmemoratione & inuocatione subleuamus & euehimus.

D. Maximi, de Deo communiter. [Genuinus nominum sensus, quibus Deum appellamus.] Cap. 17.

HÆc nomina Ens, Bon⁹, Deus, Creator, Supersubstãtialis, Immẽsus, Immortalis, & cætera id genus, in Deo differẽtias substãtiales haudquaquã dicimus, ne cõpositũ eũ verbis huiusmodi profiteamur: sed appellationes, quibus eorũ nõnulla innotescunt, quæ circa ipsum cõsiderãtur, ita tamẽ, vt eorum quę ad eius essentiã & naturã pertinẽt, nihil eorum significent. Quorundam enim diuinæ naturæ conuenientium significationem habent, ipsius autem naturæ nullo modo, quod quidem substantialibus seu essentiam constituentibus, proprium est.

2 Eiusdẽ, Indiuisibile quidẽ numẽ est, quia quãtitatis expers; quantitatis autem expers, quia & qualitatis: qualitatis verò, q̃a simplex: simplex, quia interminatũ: interminatũ, quia immensum: immensum, quia immobile: immobile, quia prĩcipio caret, (neq; enim quicquam ante eum eó ve maius est, neque quicquam cum eo, eíque æquale, neque quicquã post eum,) principio autem caret, quia ingenitum est: ingenitũ verò, quia vnum & maximè singulare: vnum denique, maximéque singulare, quia omni prorsus habitu caret, éáque de causa nullo prorsus modo dici cõ-

Dei vera cognitio quòd non cognoscatur.

ἀκαῖω.

gnoſcive poteſt, vt cui vnica illa vera inſit cognitio, quòd non cognoſcatur.

Immenſum. 3 Eiuſdem, Immenſum numen eſt, non ſolùm quia principio & fine caret, ſed quia ea eſt eius eſſentia, ea virtus, ea operatio. Eſſentia quidem tale eſt, vt eius capax nihil eſſe queat. Virtute verò, & operatione tale, vt nullo mentis vllius acumine comprehendi poſſit, atq;, vt veriùs quod res eſt dicã, omni & ratione & modo. infinitũ hoc enim propriè eſt, quod immenſum dicimus. Quẽadmodum enim vnitas neq; numerus eſt, neq; ſub numerũ cadit, neq; totum eſt, neq; pars, neq; habitus: ſed principiũ quidẽ eſt, quatenus omniũ numerorũ cauſa, principio autẽ caret, quippe quę nullũ antiquiorẽ ſe numerum habeat, quíq; vnitatis ſit autor: ſic etiã Deus, vt ita, parua velut imagine propoſita, dicam, quãtitatem omnem, qualitatémque, & habitum exuperat, vt qui ſimplex, ſine principio, atq; etiam eorum quæ ſunt principium exiſtat. *Vnitas.*

4 Eiuſdem, Nihil eorum quæ ſunt per ſe factũ eſt, quod autem per ſe factũ non eſt, ne cauſa quidem caret, quod autem cauſa non caret, immobile non eſt, quod verò immobile non eſt, mouetur ea prorſus cauſa, quæ motu naturali fit à cauſa propter quã, & ad quam mouetur, (ſiquidem eorum quæ mouentur nihil omnino ita comparatum eſt, vt ſine cauſa moueatur.) Omnis autem natura-

lis motus principium,eorum quæ mouētur ortus est.Generationis verò eorum quæ generata sunt principiū Deus est, tanquam generationis autor.Motus porrò naturalis eorum quæ generata sunt finis, status ille est, qui à transitu eorum quę transierunt ab illa infinitate fit,in qua quia nullum est interstitium,omnis motus eorum quæ naturaliter mouentur cessat.Inde fit,vt omnis generationis, & motus,& status eorum quæ sunt principium,medium,& finis, ipse Deus sit, tanquam eorum quæ ex ipso orta sint, quæ per ipsum moueantur, quæ denique in ipso conquietura sint, vt qui vel omnem motus definitam infinitatem definiat & determinet.

5 Eiusdem,Deus neque intelligere, neque intelligi propriè dicitur, ne forté compositus existimetur.Id enim quod intelligit, ea intelligendi facultate pręditum est,quę vnà cum ipso intelligat, quod autem intelligitur, ea vi qua intelligi possit.Nec tamen intelligentia dicitur. Intelligentiæ enim naturaliter vis eius susceptiua subiicitur. Superest ergo super hæc omnia,vt si ipsum intelligentiam dicere nequeamus,eam saltem intelligentiam esse dicamus, quæ essentia ipsa,& duntaxat intelligétia sit, eáque adeò quæ intelligentiam omnem exuperet.

Deus nec intelligit propriè,nec intelligitur.

D. Gregorij Theologi, ex magna oratiõe Apologetica. [*Quã difficile sit, vt ab homine terreno cælestia comprehendantur.*] *Cap. 18.*

ALtum est cælum, terra verò depressa & humilis, ecquis ascẽdet? eorũ in primis, qui peccato inde deiecti sunt? quis hac terrena caligine, carnísque crassitie adhuc obductus, tota mẽte purè obtueri, atque iis misceri poterit, quæ obfirmata manẽt inuisibiliáque sunt, quandiu ipse inter illa manebit, quæ infirma sunt, & oculis obiiciuntur? Vix enim, ac ne vix quidem, eorum quispiã, qui hîc perpurgato & defæcato animo sunt, vel solum boni idolum contrà obtueri queat, quemadmodum ij qui solem in aquis contemplantur. Quis aquam manu dimensus est, & cælum palmo, & terrã vniuersam pugillo? qui montes lance, vallésque statera appẽdit? quis ille locus erit, in quo requiescet? cuíque adeò in hac rerum vniuersitate similis dicetur? Quis omnia verbo creauit, sapientia hominem formauit, in vnum ea quę disiuncta priùs erant, adduxit, limum spiritui, seu cælo terram commiscuit, animal denique visibile & inuisibile, mortale & immortale, terrenum & cæleste composuit? quódque adeò Deum attingeret, nec amplecteretur, propiúsque ad eum accederet, procul tamen ab eodem seiungeretur?

Prouer 30. *Iob. 28.* *Eccle. 7.*

Dixi, Sapiens euadam, inquit Salomon, &

ipsa procul à me recessit, atque etiam lõgiùs "
quàm anteá. Quibus verbis sapientiam in- "
telligit. Isque re vera, qui scientiam adiicit, "
adiicit & dolorem. Ita vt non magis oble- *Eccl.1.in fin.*
ctetur, qui eam delegit, quàm contristetur,
qui prætermisit. Quodquidem iis vsu ve-
nire solet, quibus adhuc sitientibus scyphus *Scyphus è*
è manibus extortus est: vel iis, qui quan- *manibus ex-*
uis continere quid nequeant, se tamen ha- *tortus.*
bere arbitrantur: aut quos fulgetræ splen-
dor deseruit, cùm primùm affulsit. Hæc me
cogitantem ratio demisit, abiectiorémque *γνωθισαυ-*
reddidit, atque effecit, vt mihi persuaderẽ, *τον.*
mecum meliùs actum iri, si vocem laudatio-
nis audiam, quàm si eorum me doctorem
profitear, quæ vires meas exuperant. Maie-
stas, altitudo, dignitas, puræ denique cæle- *Audire sa-*
stésque naturæ vix claritudinis Dei capaces *tius est quàm*
sunt, qui abysso contegitur, tenebrarúmque *docere.*
latibulis delitescit. Cùm purissimum sit lu-
mẽ, maiorique hominum parti inaccessum.
Siquidem & huic rerum vniuersitati inest,
& extra rerum vniuersitatem excurrit. Qui
bonitas est vniuersa, imò nullam non boni-
tatem exuperat. Qui menti lumen suggerit,
mentísque velocitatem & sublimitatem ef-
fugit, tantùm semper secedẽs, quantùm cõ-
prehenditur, atque amatorem ad superiora
fugiendo subleuans, séque ipsum quasi fur-
tim subducendo comprehendens.

** Chrysostomi, Ex libro De eo quod comprehendi non potest. [Si sapientia comprehendi nequeat, multò minùs natura poterit.]*

Cap. 19.

Psal. 138. MIrabilis, inquit, facta est scientia tua ex
" me, exaltata est, & nõ potero ad eam.
" Ea est Sapientiæ diuinæ profunditas, vt in ea exprimenda Propheta vertigine quadam laborare videatur. Quis eò, quæso, temeritatis prolapsus est, vt naturam Dei sibi cognitam & perspectam dicere audeat, dicentis,
Psal. 50. Incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifesta-
Psal. 146. sti mihi? clamantis, sapiẽtiæ eius non est numerus, seu comprehensio? & in tantam quis audaciam prorumpat, vt de natura, quæ à nullo comprehendi potest, quicquam affirmare audeat? Quid ais? Fieri ne poterit, vt cùm Dei sapientia comprehendi non possit, eiusdem natura comprehendatur? Maiestas eius infinita est, & essentiam eius circũscribes? hoc certè facto certam insaniam tuã prodis.

Angeli honore, homines dedecore Deũ afficiunt. *Luc. 1.* *Ezech. 3.* *Esa. 6.*

2 Eiusdem, Angeli tantùm glorificant, alij Gloria in excelsis Deo dicentes: alij, Benedicta gloria eius ex loco sancto eius, id est vbicunque sit ille. Neque enim Deo locus assignatur. cùm diuinitas circunscribi nõ possit: Alij, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth. Homines autem in illius natura peruestiganda plus æquo soliciti sunt. Quã-

tus eius timor suprà, tantus infrà contemptus est. vsque adeò illi magna cum religione benedicunt, hi temeraria curiositate laborant.

3 Eiusdem, Alio loco Esaias inquit, Vidi Dominum sedētem in Solio alto atque excelso, eo nimirum qui comprehendi nō potest. Cùm ergo solium Dei humana mente sublimius sit, quî fieri potest, vt is cōprehēdatur, qui solio insidet? Et Seraphim stabāt in circuitu eius, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Quarū duabus facies suas tegebant, & duabus pedes. Duabus denique velabant, & inter se clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth. Seraphim oculos auertunt, & duplicis muri loco alas prætendūt. Quia nimirum splendorem illum ferre non possunt, qui ex solij gloria, vel ad terrorem vsque, diradiat. Atque pedes obtegunt, præ stupore. Ita enim natura nos quoque comparati sumus, si quādo nos maximus aliquis stupor, aut admiratio inuadat, vt corpus vndique contrahamus. Quoquidem temporis momento anima quoque idem perpessa, & ab iis quæ extrinsecus & in cute apparent actiones suas contrahens, ad interiora confugit. Ipsóque corpore nō secus atque propugnaculo quodam circummunitur. Iam quatuor alarum vsum nosti. cæteræ quid sibi velint, accipe. Duabus, inquit, volabant. Hoc indicio ad sublimia semper aspirare,

Esa. 6.

Trisagij explicatio vt infra eodem cap 30.

Alæ pedū & oculorum.

Stuporis & admirationis natura & effectus.

Alæ volantes.

nec vnquam deorſum oculos deflectere cõſtat. Alarum enim inuolucro Angelicæ naturę ſublimitas & velocitas deſignantur. Eſt
Alia alarũ allegoria. verò alia quoq; ratio. Quòd enim alis duabus caput, duabúſque pedes obtegebant, eo principium & finem nullius oculis patere, nulláque diſquiſitione indagari poſſe ſignificabant. Mediarum porrò alarum remigio
Aurea mediocritas. volabant, vt hoc indicio de rebus mediis
Diſputatio qualis ineunda. diſputationem Theologicam ineũdam eſſe docerent, nimirum quòd Deus ſit, quòd ſapiens, quòd omnipotẽs, & cætera id genus. Et clamabant inter ſe, Sanctus, Sanctus, Sãctus, Dominus Sabaoth. Hoc vtique admirationis Symbolum eſt, præſertim cùm neque lumen ipſum, neque diuinam naturam intuerentur. Sed eò illa quæ videbantur, ſe demittebant: nec tamen illorum quæ eò ſe demittebant gloriã ferre poterant. Eò enim ſe demittebant, quòd in ſua natura non viderentur, ſed pro reſpicientium imbecillitatis modulo ſui manifeſtationem dimetirentur. Porrò quòd eò ſe demiſerint, vel ex
Eſa.6. ipſis ſcripturæ verbis perſpicuum eſt. Vidi,
„ enim, ait, Dominum. At verò Deum nemo
Ioan.1. vidit vnquam. Qui forma, qui quantitate,
„ qui denique qualitate careat. Quis hoc ait?
„ Vnigenitus, qui ſedet in ſinu Patris, ipſe
„ enarrauit. Deinde ſubiicit, ſedentem. At ve-
„ rò Deus neque ſedet, neque ſtat. Hi enim
„ habitus corporibus competũt. Tum ſubiũ-

fert, in ſolio. at ſolio Deus nequaquam circuncluditur. Quî enim hoc fiat, cùm circũſcribi non poſſit? Iam cùm Seraphin, quæ Deum ingenti corona circunſtant, (quod quidem non locum ſignificat, ſed ſingulare neſcio quid, quod à puritate conſequuntur) cùm Seraphin, inquam, ne Dei quidem eò ſe demittentis gloriam intentis oculis obtueri valeant: homines, ſcilicet, eſſentiæ eius gloriam nulli peruiam intentis oculis obtueri contendunt. tametſi tanto ab illis interſtitio differamus, quanto cæcus ab eo qui videndi ſenſu præditus eſt.

Hominum temeraria curioſitas.

Homo ab Angelo quãtum diff.

4 Eiuſdem, Cùm Daniel ipſe propheta Angeli eò ſe demittentis aſpectum non tulit, ſed remiſſa intentione in faciem cecidit. *Daniel.10.*
" Et non remãſit in me fortitudo, inquit, ſed
" & ſpecies mea immutata eſt in me, & emar
" cui, hoc eſt, oris mei pulcritudo periit, & in
" mortui pallorem cõuerſa eſt: tu qui Daniele tantò inferior es, quantò ille Angelo, quî fit, vt os attollere, & de diuina natura curioſiùs inquirere audeas? Daniel, qui in corpore humano ea videre potuit, quorum homo capax non eſt, conſerui eò ſe demittentis ſplendorem non ferebat: & tu naturam illã comprehendiſti, quæ Angelorum innumera millia condidit? quorum vnius aſpectum nõ tulit Daniel, vt iam dictum eſt. Quis nõ indoleat? quis tantum ſtuporẽ nõ defleat?

[Catechetica quædam erotemata. Nimirum Deus, Pater, Filius, & Spiritus quot modis in scripturis accipiantur. Vnà cum eorum ἐτύμῳ. Quid Trinitas. Cap. 20.

1 QVot modis vocabulum Deus in scriptura capitur? Duobus. nimirum natura & habitu. Natura quidem, vt creator. habitu autem & gratia iusti quoque homines Deorum nomine censentur.

2 Dictio Deus substantiæ ne est, an personæ, an actionis, an figuræ, an verò Metaphoræ? Perspicuum est actionis esse. qua quidem suam nobis Deus substantiam impertit, quæ quidem quia cognitu impossibilis est, eo fit, vt actionem suam Deus sola contemplatione nobis aperiat, ideóque Θεὸς ἀπὸ τοῦ θέειν, hoc est à considerando dictus est.

3 Pater quid significat? quótque modis Paternitas Deo conuenit? Pater vtique propriè hypostasis seu persona dicitur, quę nulla alia ex causa pēdet. Sed quamuis generet, à nullo tamen generatur. Porrò πατὴρ dictus est, quasi πάντα τηρῶν, hoc est omnia conseruans, vel quasi τοὺς οἰκείους παῖδας τηρῶν, hoc est proprios Filios conseruans. Deus Pater duobus modis dicitur. Natura scilicet & gratia. Natura quidem, proprij sibi consubstantialísque Dei Verbi, gratia verò noster quoque, Vnde illud, Ego dixi, Dij

Psal. 81.

estis,& Filij altissimi omnes.

4 Quid Filius? qua ratione Filius dicitur? & quot modis intelligitur? Filius propriè secundaria hypostasis est in vna eadémque natura. vel personarum incrementum. vel vnigenita naturæ processio. vel cognatio cognita.Υἱὸς autem,hoc est Filius, propriè dicitur, quasi οἷος, hoc est qualis. Qualis enim Pater substantiâ, talis & vnigenitus est Filius.Siue ex increato increatus, siue ex mortali mortalis, humanóque humanus. Duobus itidem modis in Deo Filiatio dicitur, Natura & gratia. Natura quidem Deus Verbum. gratia verò,Iusti. *ἔτυμον.* *Diuisio.*

5 Quid Spiritus?qua ratiõe dicitur?quótque modis accipitur? Spiritus est tenuis quædam processiua substantia, & quæ materiei formæque prorsus expers est.Πνεῦμα porrò, hoc est Spiritus, dicitur, διὰ τὸ ὡς νεῦμα ὀξέως παντὶ νεύειν καὶ κινεῖσθαι, hoc est quia tanquam nutus quocunque annuat & moueatur. Dicitur auté Spiritus in scriptura quatuor modis.Spiritus Sanctus,Spiritus Angelus, Spiritus ventus, interdum etiam mens Spiritus appellatione significatur. *Spiritus definitio.* *ἔτυμον.* *Diuisio.*

6 Trinitas quid est?Trinitas,siquidem naturalis ordinis rationem habeas, nihil aliud est,quàm vnitatum compositio. Si verò diuinam substantiam consideres, essentia est, quæ numerum omnem exuperat. *Trinitas.*

7 Æternitas quid eſt? Quod principium nunquam habuit, nec finem vllo vnquam tempore habiturum eſt. Cæterùm quicquid nunquam deſiturum eſt, non ſtatim principio caruiſſe rectè colligas. Angeli enim & animæ principium quidem eſſentiæ habuerunt, finem interim nullum habituri.

** Theologica alia de Trinitate conſideratio. [vnus Deus cùm ſit, cur Patrem, Filium, & Spiritum inuocemus. contra Tritheitas.] Cap. 21.*

VNum Deum eſſe credimus, qui ſubſtãtiam quamlibet naturámque creauerit: ſiue aſpectabilis illa ſit, ſiue ſub aſpectũ nõ cadat. Qui diuerſam ab hac ſententiam ſequitur impius eſt. Eundem illum humanitate, iuſtitia, ſapientia, & bonitate ſingulari præditum eſſe nobis perſuademus, cæteríſque adeò rebus, quæ diuinæ & beatæ naturæ conueniunt. Ne ſingula ſcribendo perſequar, parum abeſt, quin eadem & dicatis & ſentiatis. Vos enim audiente me Verbum Dei inuocaſtis. Et re vera eſt. Quî enim fieri poſſet, vt Deus verbo careret? Spiritum itẽ vocatis. Eſt verò & Spiritus. Nullus enim citra Spiritum ſermo articulatè procedere poteſt. Nos porrò cùm ea vnicum ad Deum referamus, iccirco Patrem & Filium & Spiritum Sanctum inuocamus, ac ſi mentem, Verbum, & Spiritum ſimul contemplaremur. Sed

mur. Sed eadem quoque per se vique sua consistere asserimus. Diuinarum enim rerũ nulla suis caret viribus. Siquidem Verbum nostro simile intelligendum non est. quod Spiritus quidem adminiculo profertur, at in auras euanescit, sed conuenienter Deo, sempiternum scilicet, atque per se subsistẽs. Siquidem rerum diuinarum perfunctoriẽ nulla fit. Sunt enim illæ, atque vnà sunt, suáque hypostasi & substantia constant, vnius & eiusdem naturæ, honoris atque essentiæ. Hoc nobis est Trinitas, non Deus, & Deus, & Deus. Abeant in malam rem, qui hanc circunferunt hæresin, hac enim via pluralitas Deorum introduceretur. Nos verò hæc, quæ proprietatibus tria sunt, vnũ esse Deũ, vnam naturam, vnam denique substantiam docemus. Hoc certò credat necesse est, quicunque sapit, pietatémque amplectitur.

Verbum Dei ab humano quid differat.

Tritheitæ.

* *Demonstratio ex communibus notionibus, Vnum in Trinitate Deum esse.*

Cap. 22.

CViuis homini, qui mentem diuinitus insitam habet, hæc vltrò quoque inhęret opinio, Quòd Deus substantia sit, quæ substantiam omnem: & potentia, quæ potentiam superet. Actio denique omni actione superior, vt qui neque sectioni, neque compositioni, neque passioni vlli sit obnoxius. Nec tamen à ratione minùs is aberrat,

Deus quid.

qui Deum ſubſtantiæ, potentiæ, & actionis expertem eſſe arbitratur. Æquè verò aberrat à veritate, qui Deum ſubſtãtia, & qui potẽtia, & qui actione priuat. Quodcunque enim triplicis cognationis membrum diuellere quiſpiam auſus fuerit, eò duplicem blaſphemiam aduerſus Diuinitatẽ eiaculabitur. Quemadmodum enim quod ſubſtãtia caret, Deitas non eſt: ita neque quòd aut potentia, aut actione priuatur. Nam quî fieri poteſt, ne id ſuperſubſtantialis ſubſtantia ſit, ex quo nulla non ſubſtantia procedit? Nec verò magis fieri poteſt, vt id ex quo potentia & actio quæuis ſcatuiit, illis ipſis careat. Ex illa ergo nulli non hominum inſita notione patet, quàm minimè ſit abſurdũ, imò etiam neceſſariò conſequatur, vt trina Dei poteſtas celebretur. Vna quidem ſubſtantiæ ſuperſubſtantialitas, vna item potẽtiæ ſuperpotentialitas, vna denique actionis ſimul nata idẽtitas. Quæ tria ex eadem cauſa, eodémque principio ſimul procedunt, & ſimul euceſcunt. Nam cùm omnis ſubſtantia hoc ipſum quod eſt à Deo acceperit, fit vt neque ſine potentia, neque ſine actione deprehendatur. Iam quî fieri poteſt, vt qui hæc rebus quæ ſunt impertitus eſt, donúnque in illis ſuum ita conſeruat, vt diſſolui diſſiparíve non poſſit, vel ipſe priùs non hæc fuerit, vel immutationem quandam & priuationem eorum quæ ſua eſſent, perpeſ-

ſus exiſtimetur? Quòd ſi his contradicere nemo queat, perſpicuum eſt, vnam Deitatem in tribus eſſe adorandam. Ea verò ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Vel etiam hoc pacto demonſtrari poteſt. Vna Deitas, quæ quidem à Theologis mens vniuerſi definitur, ab intelligentia & cognato intellectu non ſeiungitur. Si quidem mens haudquaquam eſſet, niſi ſimul exiſteret intelligētia. nec intelligentia viciſſim, ſi intellectu priuaretur. Hoc Theologicum axioma vel hac ſacra ratione confirmabitur. Nec enim aliud ex alio aut diuiſum aut ſeiunctum eſt. neque aliud prius, aliúdve poſterius, & tamen tria ſunt. Nec enim quod mens, id ipſum eſt intelligentia, & intellectus. quoniam nec illa ſunt mentis nomine cenſenda. quanuis ex mente procedant, & mens ſimul ſit cum illis. His porrò aliud natura, dignitate & coniunctione haudquaquam conuerſa. aliud habitu & proprietatibus conſtat. Hinc perſpicuum eſt, quòd nos, qui Orthodoxæ fidei aſſertores ſumus, neque alium Deum, ex quo Verbum & Spiritus procedunt, neque item procedentes ipſos alium & alium eſſe docemus: imò vnum ex tribus Deum vnius naturæ, voluntatis, imperij, & dominationis. Hinc enim Deorum vnitas eáque indiuidua eluceſcit. Aliàs, quî fieri poteſt, vt quæ in vnam eandémque naturam, voluntatē, & poteſtatem coniungū-

2. Demonſtratio, Deitas quid.

Mens. Intelligētia. Intellectus.

tur, coniungēti nobilitate cōtumeliosa sint?

** Aduersus eos, qui nos in tres Deos credere dicunt.* *Cap.* 23.

NEquaquam in tres Deos credimus, hoc absit. sed in vnum Deum omnipotentē, qui tribus in personis dignoscitur. Vnam in tribus naturam, vnam potentiam, vnum cōsilium, vnam denique actionem cognoscētes, qua innotescat. Nec eò temeritatis venias, vt quo id pacto fiat interroges. Inscitiæ enim argumentum est, si quis cùm de Deo agitur, quo modo sciscitetur. Quandoquidē incomprehensibilis, imò etiam inaccessibilis, & incorporea est diuinitas. Vnde fit, vt qualis sit explicari nullo modo queat. Quæ enim oculus nō vidit, quî cogitatione mens assequi valeat? & quæ menti peruia nō sunt, eáne cuiusquam sermone explicari poterūt? Cæterùm quòd in Trinitate Deus vnus sit, & veritatis ipsius, & scripturę sacrę testimonio perspicuum est. Vt in sequentibus confirmabitur. Percontari autem, quo id modò fiat, hominis improuidi est, & eius qui se suo metiri pede nesciat. Priùs enim Nosce teipsum, quo modo anima tibi sit infusa, quomodo cōpactus es, quomodo res incorporea corpori tuo inhabitet. Vtrū igitur corpus tuum cum omnibus suis membris extēditur, an verò in vno cōtractum continetur? Iam si extenditur, stulta est quæstio. corporū

Quomodo de Deo, quàm inepta quæstio.

γνῶθι σεαυτόν.

Anima.

Corpus.

enim proprium eſt extendi. Sin contrahitur, multò ſtultior. nec enim corpus duntaxat incorporeum deprehendetur, ſed reliquæ quoque partes emortuæ conuincẽtur, vt quæ ab anima viuificante ſeiunctæ ſint. Quòd ſi eorum quæ in te ſunt cognitionis capax minimè ſis, quî fieri poteſt, vt ea intelligas, quæ ſupra te ſunt? Nã ſi iudicia Domini inſcrutabilia ſint, & viæ eius impetueſtigabiles, quónam modo ille ipſe inquiretur, aut perueſtigabitur? Quemadmodum verò Sol, tametſi vnicus ſit, ex ſe tamen lucẽ & calorem emittit: & Sol quidem Lucis nomine ſignificatur: lux porrò cuncta quæ videntur ſua claritudine patefacit, calor verò animantia omnia plantáſque viuificat: Ita etiam Deus Pater Filium & Spiritũ ita continet, vt vnà in tribus Deitas comprehendatur. Vnus enim Deus eſt, quia vna Deitas, quemadmodum & lucem Solis Solem appellamus. Cùm enim per foramen aliquod in ædes ingreſſus eſt, ita dicere ſolemus, Sol ingreſſus domum illuſtrauit. contrà, ſi quãdo vi Solis calefactiua incaleſcamus, vtique nos à ſole calefactos dicimus. Vera interim dicentes. Quæ enim ab ipſa natura procedunt, ea nequaquam ab eius appellatione abhorrent. Quemadmodum ergo Sol, tametſi vnicus ſit, lumine tamẽ & calore præditus eſt, quorum vtrique etiam Solis tribuitur appellatio, cùm interim ſit vnicus

Sol.

Lux. Calor.

Lux pro Sole.

Sol,sic etiam tametsi vnus tantùm sit Deus, Filium tamen & Spiritum indissolubili nexu sibi coniunctos habet,ipséq; adeò Deus, vt reipsa est, Filiúsque Deus, & Spiritus Deus appellatur. quanuis vna tantùm sit diuinitas. Quid verbis opus est?Ignis hic, quem sensu percipimus, materia flammam progenerante constàt. constat & vapore illo,qui ex flamma & materia sursum emittitur: interim ignis vnus est, flammæ autem vaporísque beneficio fit, vt quodammodo referat vnicá illam diuinitatẽ, quæ in Triade sancta elucescit. Vnum ergo in Trinitate Deum esse hac demonstratione probatum sit, tanta quidem, quanta rei ipsius virtuti exẽplis cõprehendendæ sufficiat. Nec enim vllo fieri modo potest, vt perspicuam quis,omnibúsque numeris absolutam veritatis cognitionem assequatur. Expediisset quidem certè,vt mundi opifex per creatas à se res non innotuisset. Dici enim non potest quanto interstitio creator à creatura sit dissitus.

Ignis.

Demonstratio,qua Deum ex eo quod natura Filium habet, adoptione quoque Filios habere: & nisi naturalis Filius præcessisset,adoptiuis loci nihil reliquum fuisse,probatur, Cap.24.

QVod si Christo quis, vt Filius Dei vocaretur,quemadmodum & Sanctis,&

Iſraëli, obtigiſſe gratia contendat, ſcire debet Sanctorum neminem perſpicuè Filium à Deo vocatum videri. Imò communi omnes quodam nomine Filios appellari, non ſecus atque ſeruos beneuolos à Domino Filios dici videmus. Magn⁹ certè fuit Abrahamus, at Dei Filius nequaquam dictus eſt. Magnus fuit Moyſes, & cæteri omnes Prophetæ, eorum tamen neminem Deus nomine Filiorum dignatus eſt. Chriſtum verò tũ Deus ipſe Pater dilectum Filium vocat, tum Prophetæ quoque ipſi, idem teſtantur. Nec id ſolum pòſt, ſed & antè, quàm humanam carnem indueret, imò herclè verò antequã mundus conderetur. Illud enim, Ex vtero ante Luciferum genui te. Et illud, Ante omnes colles genuit me, hoc ipſum confirmat. In hominibus autem non ita ſe res habet. Itaque ex his primò Chriſtum nõ adoptione & gratia, ſed natura & veritate Filium Dei dici conſtat: eò quòd eorum qui gratia Filij ſunt nullum Deus hoc priuatim nomine cõpellarit: cui quidem amici, ſerui, & famuli nomen in ore frequens obuerſatur, Filij verò nunquam. Chriſto autem ſoli perſpicuè κατ' ἐξοχὴν, hoc eſt per excellentiam, nomen Filij dilecti attribuit. Quod Dauides quoque his verbis eſt vaticinatus. Quis in nubibus æqualis fiet Domino, aſſimilabitur Domino in Filiis Dei? quibus verbis naturalem peculiaris Filia-

Filij Dei gratia.

Christus.

Psalm 109.

Prouerb. 8.

Christus Filius Dei.

Psal. 88.

tionis Christi prærogatiuam tacitè subindicat, præ iis quos Deus adoptione & gratia sibi deuinxit. Deinde verò potest & hæc in medium proferri ratio. Vbicunque naturale non præcesserit, fieri non posse, vt adoptiuum subsequatur, Nam ex naturali generatione ea quæ per adoptionem fit, excogitata est. Priore sublata, posterior quoq; tollatur necesse est. Necessariò enim naturã subsequitur adoptio. Proinde nisi Deo Patri Filius naturalis esset, nec adoptiuum etiã haberet. Sed Filij dilecti beneficio, amor quo pios quosque prosequitur, adscribẽdus est. Eadem quoque de causa Filios adoptione vocat. Alioqui quid obstat, quo minùs Angeli, cùm sint hominibus multò præstãtiores, Spiritualium Filiorum Patres dicantur, homines autem dicãtur? quemadmodũ de Abrahamo Dominus ait, Patrem multarum gentiũ constitui te. quod de nullo Angelorum dictum est. Omnino autem, quia naturalis hominibus est liberorũ procreatio, Angelis verò non item, idcircò illi quos per gratiam Deus adoptauit, naturalẽ Christi Filiationem confirmant. Vbi enim veritas, ibi & veritatis species. Vbi corpus, ibi & vmbra. Vbi exẽplar, ibi & imago. Proinde quia naturam sequitur adoptio, si natura præexistat, adoptioni quoque locus erit. E contrario, nisi natura præexistat, adoptio neutiquam consistere potest.

Natura. Adoptio.

Filij adoptiui.

Filij Spirituales.

Gene. 17.

** De Principio. Principium, id est Deus Pater, qui quæcunque vult, ea potest. Primus & nouißimus inuisibilis, immensus, incircunscriptus. incorporeus. in definitus, æternus. Seculorum creator, variis scripturæ locis probatur. Cap. 25.*

TOtius rerũ vniuersitatis vnũ esse principium & veteris & noui Testamenti scriptura constat. Nimirum vniuersæ mũdi machinæ Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, ingenitum, interitui non obnoxium, æternum, immẽsum, incircunscriptũ, indefinitum, incompositum, incorporeum, inuisibilem, simplicem, bonum, iustum, lumen solo intellectu perceptibile, potentiã immensurabilem, cuius tamen vnica mensura est, diuina scilicet voluntas. Quæcunque enim vult, eadem quoq; potest. Quod Propheta his verbis apertè demõstrat. Omnia enim quæcunque voluit Dominus, fecit. Prædictorum porrò veritatẽ sacra scriptura confirmat. Audimus enim Deum sic in legislationis suæ initio verba facientem. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Non erunt tibi Dij alieni coram me. Item alio loco. Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus vnus est. His astipulãtur & illa, quæ per Esaiam Prophe-

Psal. 113. *Exod. 20.* *Deut. 6.* *Esa. 44.*

„ tam docet. Ego enim, inquit, ſum Deus pri-
„ mus, & ego nouiſſimus, & abſque me non
Eſa. 43. eſt Deus. Ante me non eſt formatus Deus
„ alius non fuit, nec poſt me futurus eſt. nec
Ibidem. alius eſt præter me. Item, Ego Deus, nec eſt
„ prę̨ter me, iuſtus ſeruator, nec eſt prę̨ter me.
Valentinus. Quibus certè verbis Valentinum, Marcum,
Marcus. *Baſilides.* Baſilidem, & Marcionem vanitatis coar-
Mar.io. guit. neque enim ante eum, neque poſt eum, alij cuiquam Dei nomen tribuit: ſed eundē primum & poſtremum eſſe confirmat.

** De Patre. Videntur hæc præcedentibus ἀμέσως adnectenda. Cap. 26.*

HIs porrò ſacrarum ſcripturarum doctrina conſentanea eſt. Seruator enim & Dominus noſter is eſt, qui omnem pro nobis iuſtitiam adimpleuit. Ipſe enim dixit
Matth. 3. Ioanni. Sine modò, ſic enim decet nos im-
„ plere omnem iuſtitiam. Idem quatenus homo, oratione vſus eſt, & à Patre petiit, vt Apoſtolos doceret. Atque in orationis forma Theologicam doctrinam diſci-
Ioan. 17. pulis inſinuauit. Hæc eſt enim, inquit, vita
Vita æterna. æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deū,
Matth. 11. Item, Confiteor tibi Pater, Domine cœli &
Luc. 10. terræ. quoniam abſcondiſti hæc à ſapien-
„ tibus & prudentibus, & reuelaſti illa paruu-
„ lis. Quin & Diuus Apoſtolus ſic ait, Re-

gi autem ſeculorum immortali, inuiſibili, *1.Tim.1.*
ſoli Deo, honor & gloria in ſecula ſeculo-
rum, Amen. Item, Vnus Deus, vnus me-
diator Dei & hominum, homo Chriſtus Ie- *1 Tim.2.*
ſus. Item, Vnus Deus Pater, ex quo omnia.
Hæc & huiuſmodi pleraque teſtimonia in *Epheſ.4.*
vtroque Teſtamento reperire eſt, quæ hanc
concordiam confirment, vnúmque Deum
prædicent. quem tum vetere, tum nouo
Teſtamento, inuiſibilem eſſe conſtat. In ve- *Inuiſibilis.*
tere enim ad Moſem ſic ait. Non enim vi-
debit me homo, & viuet. In ſacris autem *Exod.33.*
Euangeliis Dominus dixit. Nemo vidit pa-
trem, niſi qui eſt ex Deo. hic vidit Patrem.
Hoc ipſum diuinus etiam Euangeliſta ſic
exclamans atteſtatur. Deum nemo vidit vn-
quam. Indicat verò etiam vnde id didicerit.
ſubdit enim. Vnigenitus Filius qui eſt in ſi-
nu Patris, ille narrauit. Apoſtolus quoque
ſic exclamat. Immortali, inuiſibili, ſoli ſa-
pienti, honor & gloria in ſecula ſeculorum.
Amen. Item, Quem nemo vidit hominũ,
neque videre poterit. Immenſum porrò & *Immenſus.*
incircunſcriptum eũdem eſſe, aliis ex vtriuſ- *Incircunſcri.*
que Teſtamenti locis didicimus. Atque in
vetere quidem Deus ait. Nónne cœlum &
terram ego compleo? dicit Dominus. Item,
Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabel-
lum pedum meorum. Quam domum ædi-
ficabitis mihi, dicit Dominus. Vel Quis lo-

Psal.94. „ cus quietis meæ est? Dauides quoque di-
„ uinis moribus conspicuus exclamat, In
Manus Dei manu eius sunt omnes fines terræ. vbi ma-
num pro dispēsatricis virtutis effectu vsur-
pat. Quibus etiam verbis illum omnibus in
rebus incircunscriptū esse ostendit: ex cuius
nimirum prouidentia omnia dependeant.
Idem in alia quadā hymnodia, seu laudum
Psal.138. cātico, ad eum sic ait. Quò ibo à spiritu tuo,
» aut quò à facie tua fugiam? Si ascendero in
» cælum, tu illic es, si descendero in infernum
» ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, &
» habitauero in extremis maris. Etenim illic
» man⁹ tua deducet me, & occupabit me dex-
tera tua. Hæc vtique incircunscriptam eius
„ substantiam & potentiam declarant. Esaias
Esa.40. quoque Propheta clamat. Qui sedet super
» gyrum terræ, & habitatores eius sunt tāquā
» locustę. Alio item loco Idolorum impoten-
tiam reprehendens, hęc subiicit, quibus Dei
vniuersorum cognitionem adipiscamur.
Ibidem. Quis enim, inquit, mēsus est pugillo aquas,
» & cælos palmo ponderauit? quis appendit
» tribus digitis molē terræ, & librauit in pon-
» dere mōtes, & colles in statera? Quis adiuuit
» spiritum Domini? aut quis consiliarius eius
» fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consiliū,
» & instruxit eum, & docuit eum semitā iusti-
» tiæ, & erudiuit eum scientiā, & viā prudētiæ
» ostendit illi? Deinde quantùm humano in-
tellectu & lingua lutulenta cōsequi potest,

quàm immensa sit Dei virtus ostendit. Nam si gentes omnes, inquit, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ & tanquam saliua reputatæ sunt, cui assimilastis Dominum, aut quam imaginem ponetis ei? Quòd si cœlum, terra, & aquea natura omnem naturam creatam continent, horum autem omnium mensura diuinæ manus mensura est, perpendant ij, qui lingua Deum metiri conantur, quàm immensa sit eius natura, manum sibi in animo proponentes, non quæ corporis membrum sit, sed energiam illam, seu vim effectricem, quæ cuncta condiderit & gubernet. *Ibid.* *Rerū omniū mensura.* *Manus Dei.*

Hæc sunt, quæ de vniuersitatis Deo vetus nos scriptura docet. Cæterùm antè dictis longè plura cuiuis inuenire facile est, quibus diuinam substantiam, sapientiam, & potentiam incircunscriptam esse patet. In diuinis autem Euangeliis Dominus Samaritanam hæc & similia sentienda esse docuit, quæ cùm diuinam maiestatem loco circunscriptam existimaret, eáque de causa dixisset, Patres nostri in hoc monte adorauerunt, & vos dicitis quia est locus Hierosolymis vbi adorare oportet, Dominus illam contrarium sentire docuit, nimirum diuinam naturam incircunscriptam esse. Dixit enim ei, Amen dico tibi, mulier, *ἐπίλογος.* *Ioan. 4.* *Ibid.*

" quoniam venit hora, & nunc est, quando
" neque Hierosolymis, neque in loco hoc
" adorabunt patrem. Quibus verbis cum
diuinum cultum nullis circunscribi Deus,
" locis docuisset, subiunxit. Spiritus est
" & adorantes eum in spiritu & veritate a-
" dorare decet.

" Vna verò & eadem opera diuinam naturam incorpoream quoque & indefinitam esse ostendit. Porrò æternum etiam esse eundem vniuersitatis Deum beatus Dauides autor est, qui nunc dicat, A seculo & in seculum tu es: nunc verò, Exaudiet Do-
" minus, & humiliabit eos, qui est ante se-
" cula. Docet etiam Esaïas Propheta, his verbis exclamans. Deus sempiternus Do-
" minus, qui creauit terminos terræ: non
" deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Diuus insuper Apostolus eundem seculorum creatorem nouit. Dominus autem naturam diuinam non tantùm rerum creationi præfuisse, sed regnum etiam Sanctis concessum esse ante constitutionem mundi testatur.

Incorp. *Indefin.* *Psal.89.* *Psal.54.* *Esa.40.* *Hebr.1.* *Seculorum creator.* *Matth 25.* *Regnum sanctis concessum*

Hęc sunt, quæ de vniuersitatis huius principio & veteris & nouæ scripturæ lectione didicimus. non autem, vt Valētinus & Basilides fabulantur, seculorum vtriusque sexus coniugia, & commixtiones, quibus velut in procinctu consistant. nec verò etiam

Valentini & Basilidis secula.

contraria & diuersa, cum Cerdone, Marcione, & Manichæo principia sed vnum principium & iustum, vt paulò pòst ostendemus.

*De Filio.[quod vnigenitus, verus Dei Filius, altißimus, Dominus, æternus, Deus, Iesus Christus, Patri consubstantialis, coæterniusque sit.] Cap. 27.

QVemadmodum autem in vnum Deũ Patrem credere didicimus, ita etiam in vnum Filium, qui natus sit ante secula, neque secundum Valentini fabulas, alium vnigenitum, alium Verbum, aliũ Christum, alium denique Iesum esse docemus, neq; verò Arrianam Eunomianámq; blasphemiam secuti, eum qui Filius dictus est, creaturam nominamus. Illum enim scriptura diuina vnigenitum esse testatur. Quòd si creatus est vnigenitus, sororem habeat creationem, vniuersásque totius creationis partes necesse est; sin vnigenitus est, vt est, nulla illi prorsus cum rebus creatis societas intercedit. Vnigenitum porrò esse vnigenitus ipse his verbis attestatus est. Sic dilexit Deus mundum, vt vnigenitum Filium suum dederit, vt omnis qui credit in eum non perdatur, sed habeat vitam æternam. & paulò pòst. Qui credit in eum non iudicatur, qui verò non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei.

In Arriũ & Eunomium.

Christũ creatum non esse.

Vnigenitus.

Ioan. 3.

Ibid.

Ioan.1. His Euangelista quoque sic astipulatus est.
" Et verbum caro factum est, & habita-
" uit in nobis, & vidimus gloriam eius, glo-
" riam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ
" & veritatis. Neque enim natura carnis quic-
quam de diuinitatis dignitate diminuit, sed
vel carnem indutus paternam nobilitatem
Ibid. " ostendit. Item Vnigenitus Filius, qui est in
" sinu Patris, ille narrabit. Baptista quoque sic
Ioan.3. " exclamat. Qui credit in Filium, habet vitam
" æternam, qui autem incredulus est Filiō,
" non videbit vitam, sed ira Dei manet su-
" per eum. Omnes denique Apostoli eū Dei
Filium verum & legitimum vocant. Atque
ipse adeò Pater cùm Filium cælitus nomi-
nasset, quàm genuina eius esset generatio
demonstrat. Ait enim, Hic est Filius meus
Matth.3. " dilectus, in quo mihi bene cōplacitum est.
" Quid porrò Baptistam, quid Euangelistam,
quid Apostolos, quid ipsum denique rerum
omnium Deum dico? ne ipse quidem Dia-
bolus, mendacij Pater, alio eum compellare
Matth.4. nomine ausus est: sed antè quàm in certamē
descenderet, dubitans dixit. Si Filius Dei es:
Matth.8. " Amissa verò victoria, iam edoctus quis esset,
" hauddubiè exclamat, quid nobis & tibi, Fili
" Dei? venisti huc ante tempus, vt nos torque-
" res? Philippis autem eundem & excelsum,
Act.16. " & Filium appellauit. Hi enim homines, in-
" quit, serui Dei excelsi sunt, qui quidē annū-
" tiāt nobis viam salutis. Christi autem Apo-

Christus verus Dei Filius.

stolos

ſtolos ſeruos appellat, hoc nomen ab iis edoctus. Diuum enim Paulum ita dicentem & ſcribentem audierat. Paulus ſeruus Ieſu-Chriſti vocatus Apoſtolus. Item, Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti. Quòd ſi vel ipſe mendacij doctor & Deum, & excelſum & Dei Filium vocat, veritatíſque fulgoribus cedat, certè Patris ſui Diaboli compellationem vincere contendunt, quicunque Filium creaturam aſſerere audet. Cæterùm, vt eũdem à diuinis quoque viris altiſſimum dici probemus, audire eſt Zachariam, dum his proprium Filium verbis alloquitur. Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Magnus enim ille Ioannes non Deum Patrem, ſed vnigenitum Filium præceſſerat, cuius rei vel ipſe teſtis eſt. Interrogatus enim, An ipſe eſſet Chriſtus, hoc quidem negauit, reſpondítque, Ego miſſus ſum ante faciem eius. Diuinus inſuper ille Dauides eundem ſic alloquitur. Cognoſcant gentes quod nomen eſt tibi Dominus, tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram. Si enim Dominus, & Deus eſt. Vnus enim Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, vt diuinus Apoſtolus ait. Item, Vnus Dominus, vna fides. Proinde Filius altiſſimus eſt, quandoquidem Dominus. Sed de his quidem pleraque contra Arrium & Eunomium, libris aduerſus eos editis, diſſeruimus, nunc quod inſtat, agamus,

Apoſtoli ſerui Dei.

Rom. 1.

1. Cor. 1.

Arriani Diabolo Patre deteriores.

Chriſtus altiſſimus.

Luc. 1.

Matth. 11.

Pſal 82.

1. Cor 8.

Ephe. 4.

Christus Dominus. eundémque Dominum esse, qui & vnigenitus, & Deus Verbum, & Seruator, & Iesus sit, didicisse nos ostendamus. Petrum autem in medium proferamus, qui primus has appellationes cum magno consessu confessus

Matth. 16. est. Primus enim inter sacros Apostolos interrogatus à Seruatore, Vos autẽ quem me „ esse dicitis? respondit. Tu es Filius Dei viui. Diuus autem Ioannes Euangelista eundem & Verbum quod fuit ante secula, & vnigenitum Filium, & mundi totius opificem, &

Ioan. 1. Christum Iesum vocat, his verbis. In prin-

Christus æternus. cipio erat verbum, Quibus verbis æternum fuisse significat. Qui enim in principio erat, „ vtique semper erat, nec enim dixit, In principio fiebat, vel In principio creabatur, sed In principio erat. Docet verò etiam quid es-

Ibid. set, subiungit enim, Et verbum erat apud „ Deum, & Deus erat Verbum. Deinde pro„ œmio resumpto subinfert. Hic erat in prin„ cipio apud Deum, atque hoc quidem communi nomine τὸ ὁμοούσιον, hoc est æqualitatem substantiæ indicauit.

Quòd insuper Deum dixerit, his verbis, Apud Deum, personarum differentiam denotauit: hunc Filium vnigenitum Iesu Christi nomine sæpè dixit. Sapientissimus porrò

Galat. 4. Paulus sic ait, At vbi venit plenitudo tem„ poris misit Deus Filium suum, factũ ex mu„ liere, factum sub lege: vt eos qui sub lege e„ rant, redimeret, vt adoptionem Filiorum re-

eiperemus. Item, Cùm verò placuit ei, qui *Galat. 1.*
" me segregauit ab vtero matris meæ, & vo-
" cauit per gratiam suã, vt reuelauret in me
" Filium suum. Hæc & innumera alia testimo
nia inuenire est, quibus eum Christum quo-
que & æternum Filium, & Patri coæternum
vocant, quem idem quoque doctor docens
primo quidem loco seculorum factoré esse *Hebr. 1.*
" ostẽdit. Inquit enim, Nouissimè diebus istis
" locutus est nobis in Filio, quem posuit hæ-
" redem vniuersorũ, per quem fecit & secula.

Quia verò qui diuina diuino sensu intelligere nolunt, fieri posse non putant, vt Deo coæternus sit, qui ex Deo est: nam dum stultè iuxtà & temerè naturam diuinam humanæ naturę legibus subiacere putant, Patrem Filio seniorem esse suspicati sunt: Diuus Apostolus de his abundè disputans, vnigenitum Filium, & ex Deo, & cum Deo esse euidenter ostendit. Eum enim splendorem gloriæ nominauit: siquidem splẽdor & ex igne, & cum igne subsistit. Igni enim splẽdor innatus est, vt & Soli radius. Ex quo enim Sol, ex eodem & radij, sed tamen radiorum causa Soli, & splendoris igni ascribitur: nec enim Sol ex radiis, sed radij ex Sole oriuntur, & splendor ex igne procedit. Proinde vnigenitus & Filius ex Patre quidem natus est, Patri autem non secus atque oratio rationi, splẽdor igni, & radius Soli cohæret. At harum rerũ nulla per se subsistit, sed in eo hy-

Christus splẽdor gloria.

Ignis splẽdor Solis radius

Oratio rationis.

postasin, hoc est sedimentum & subsistentiam habet, ex qua enascitur. Deus autem Verbum, splendor gloriæ, energia non est ἀνυπόστατος à Patre, seu à Patris hypostasi seiuncta, sed viuens & per se subsistens hypostasis. Nec enim simpliciter Verbum nominatur, sed Deus Verbum: nec splendor gloriæ duntaxat, sed hypostaseos quoq; suę character. Quia enim vna eadémque imagine res diuinas apertè exprimere impossibile erat, pluribus eas hoc pacto imaginibus discimus: & splendor quidem gloriæ coæternum, hypostaseos autem character similitudinis perfectionem arguit, hypostaseónque seu personarum differentiam docet.

Christus Verbum Dei.

Verbum autem cùm dicitur, generationē nulli passioni obnoxiam ostendit. Ne enim filij nomine audito humanis suspitionibus inuolueremur, mundíque totius opificem eadem nobiscum lege natum arbitraremur, ea de causa Verbum nuncupauit, innuens generationem illam ab omni passione liberam. Nec enim menti seu rationi nostræ ad sermonem concipiendum & efformandum fœminæ complexu opus est: aut vlla sectio, vllúsve fluxus tolerandus est: sed perfectus manēs perfectum sermonem efficit. His itaque & generationem nulli passioni obnoxiam, & coæternitatē vnigeniti didicimus.

Est verò etiam eiusdem cum Patre potētiæ, eique similis & æqualis in omnibus: vt

ex Domini doctrina discere quiuis facilè po- *Consubstantialis Patri.*
test. Ait enim, Pater meus etiam nunc ope-
ratur, & ego operor. &, Sicut Pater suscitat
mortuos, & viuificat. &, Omnia quęcunque *Ioan. 5.*
habet Pater, mea sunt. &, Ego in patre, &
Pater in me. &, Qui vidit me, vidit patrem. *Ibidem.*

Ex his porrò quæ sequuntur, incommuta- *Ioan. 14.*
bilis eius similitudo perspicua fit. Philippo *Ibid.*
enim Patrem sibi ostendi rogante, seipsum
Dominus ostendit se viuentem Patris ima-
ginẽ esse significans, quę perspicuos genito-
ris caracteres, seu signa, præ se ferret. Dixit *Imago vbi*
enim Philippo. Tantum tempus vobiscum *Patris.*
sum, & non nouisti me, Philippe? Patrem, in-
quit, cupis videre, cùm me videas? itaque nõ *Ibid.*
nouisti me: si enim me nouisses, nequaquam
illum videre optasses. In me enim pater vi-
detur : siquidem hoc ex his verbis indu-
citur. Qui vidit me, vidit & Patrem. Porrò
hîc per aspectum contemplatio fidei intel-
ligitur, Tantum enim, inquit, tempus vobis-
cum sum, & non me nouisti Philippe? non
dixit, non vidisti, sed non nouisti. Videbat *Deum videre quid.*
enim Philippus, id quod sub aspectum cade
bat: Diuinitatem verò, quæ inuisibilis est, nõ
item. Proinde culpatus meritò est, qui Filiũ
perfectè non nosset, iccircóque Patrem vi-
dere optasset.

De Spiritu sancto, & eius charismatis. Cap. 28.

SPiritum itaque sanctum à patre [Filióq;] substãtiam habere didicimus: cuius substantiæ modus neque creaturæ (increatus enim Spiritus sanctus) neq; vnigenito Filio similis est. Sanctorum enim Patrum nemo diuini Spiritus substantiam generationis vocabulo significauit: quamuis ipsum ex Patre esse, atque etiam diuinum, sacræ testentur literæ. Dominus enim Christus hæc de ipso dicit: Expedit vobis, vt ego abeam. nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos, & alibi. Cùm autem venerit Paracletus spiritus veritatis, qui ex Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Eo autem quod ipsum ex Patre procedere ait, Patrem fontem Spiritus esse indicat. neq; verò procedet inquit, sed procedit, eandem vtriusque naturam, substantiámque indiuiduam & indifferentem, personarum denique coniunctionem ostendens. Quod enim procedit, ab eo à quo procedit separari non potest. Diuus porrò Apostol⁹ in [priore] ad Corinthios epistola hæc de Spiritu dixit. Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei. quam quidẽ scrutationem ne vlla vnquã deleret ignorantia, subiunxit. Quis enim hominũ scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt nemo

Generatio de Spiritu non dicitur.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

1. Cor. 2.

Ibid.

cognouit, nisi Spiritus Dei. Postquam autē his verbis omnem ei cognitionem adscripsit, indicat etiam vnde substantiam habeat. Nos autem, inquit, non spiritum mundi acceptimus, sed Spiritum qui ex Deo est, quib⁹ certè verbis eodem illum in ordine, quo & Patrem & Filium collocat, ad creationis autem ordinem nunquam redegit: nec enim creationis illum partem esse intelligit. neq; Arrij, Eunomij, & Macedonij blasphemiam secutus πρῶτον ποίημα, hoc est primā creaturam nominat. Sed gratiæ diuinę dona demonstrans ita inquit. Diuisiones autem gratiarum sunt, ipse autem Deus operatur omnia in omnibus. Deinde commonstrata charismatum differentia subiecit. Hæc verò cūcta operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis pro vt vult. Neque enim seruilis est, inquit, ministerij, sed dominicę dignitatis sanctissimus Spiritus. neque ministrat, sed cooperatur, & tanquam Dominus operatur. Sic & in fine secundæ ad eosdem epistolę benedictionem attexuit. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus, cum omnibus vobis, Amen. Atque in priore quidem epistola, primum locum Spiritui, hîc verò extremum assignat, docens dignitatum differentiam ex ordine nominum nō esse colligendam. Spiritus itaque Filium Patri præposuit, non vt ordinem semel à Deo po-

Ibid.

Spiritus Patri & Filio coæqualis

blasphemij. Arrij, Eunomij, & Macedonij blasphemia.

1. Cor. 12.

2. Cor. 13.

Dignitatum diff. ex ordine nominū colligēda non est.

Trinitas eodē honore colenda.

situm subuerteret, sed vt eodem honore Trinitatem colendum esse subindicaret.

Idem Apostolis quoque diuinitus infusus est. Primò enim domum concussit, vt diuinam denotaret apparitionem. Hoc enim Propheta de vniuersitatis Deo dicit. Qui respicit terram, & tremere facit eam. Deinde discipulis quoq; in specie ignis insedit. Quemadmodum iam olim Deum in rubo apparuisse Moses attestatur: & quemadmodum rubus ille, quamuis arderet non tamen consumebatur: ita Apostolorum linguæ haudquaquam vim energiámve adustiuam expertæ sunt. Quæ cùm non verbis, sed rebus & factis Petrus ille diuinitate præ cæteris conspicuus didicisset, ipsum Deum vocauit, cùm Ananiæ furtum redargueret. Cùm enim dixisset, Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? subiunxit. Non mentitus es hominibus, sed Deo. His astipulantur & ea, quæ à D. Paulo de Spiritu dicta sunt, Credentes enim templa Dei vocat, in quibus nimirum gratia Spiritus habitet.

Act.2. *Psal.103.* *Spiritus ignis.* *Rubus Mosis.* *Exod.3.* *Apostolorũ linguæ.* *Act.2.* *Spiritus Deus.* *Act.5.* *Dei Tẽpla.*

Nescitis enim, inquit, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Item, Nescitis, quoniam corpora vestra templa sunt sancti Spiritus, qui est in vobis, quem habetis à Deo?

1.Cor.3. *1.Cor.6.*

Quibus verbis apertè Spiritum sanctis-

ſimum diuinæ eſſe naturæ docet. Nam ſi Dei templum credentes dicuntur, vbi primùm gratia ſpiritus donati ſunt, ex conſecutione Spiritus ſanctus ex Deo eſt.

Quia enim eius gratia in illis habitat, icircò Dei templum denominati ſunt. Apertiùs porrò & explanatiùs nobis à Domino dignitas Spiritus indicatur. Cùm enim baptiſmatis myſterio Apoſtolos informaret, ita inquit. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quòd ſi creata natura vel Filius, vel Spiritus ſanctus, præditus fuiſſet, nunquam creatori Deo accenſi connumeratíque fuiſſent: Verbis enim diuinis accuſantur ij, qui creaturæ, loco creatoris ſeruierunt. Proinde vnigenitus quoque carnem aſſumpſit humanam, vt homines ab hoc errore liberaret, Deíque à creatura differentiam oſtenderet. Sublata autem creaturæ adoratione, naturam creatam adorari non iuſſit. Abſurdorum enim hoc vel maximum fuerit, ſi quis homines ab iis qui Dij non ſunt abductos, creaturarum ſeruitio addixerit. Itaque Filium & Spiritum ſanctum increata præditos eſſe natura perſpicuum eſt. Nàm in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum credere iccircò docemur, & in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti baptizamur. Quia

Matth. 28.

Rom. 1.

Chriſtus cur homo factus.

enim primum hominem non solus Pater creauit, sed & Filius, & Spiritus sanctus (dixit enim, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram) meritò certè tunc etiam, cùm resurrectio, nouáque mundi creatio peragitur, Filius & Spiritus sanctus Patris consortes fiunt, Trinitatísque adeò inuocatio eorum qui baptizãtur vnumquemque regenerat.

Gene. 1.

Baptismi cũ prima hominis creatione collatio.

De diuinis nominibus. Cap. 29.

Nomina diuina.

SEd diuinorum etiam nominum interpretatio sic se habet. Quia enim væcordes illi Hebraïcorum nominum interpretationem ignorantes, Adonaï, Eloï, & Sabaoth diuersos esse Deos arbitrati sũt, operæ pretium mihi facturus videor, si rudibus & ignaris aperiam quid horum nominum vnumquodque Græcis & Latinis auribus sonet. Eloth itaque θεὸν Deum interpretantur. Eloï autem, ὁ θεός μου, Deus meus. El quoq;, si tenui spiritu proferatur, θεὸν Deũ: si aspero, ἰσχυρὸν fortem significat. Adonaï autem, κύριον Dominum. Cæterùm Dominus Sabaoth, idem sonat, quod κύριος δυνάμεων, Dominus virtutum. vel κύριος στρατιῶν, Dominus exercituum. Nam apud Græcos militares ordines δυνάμεων, seu virtutum potestatúmve nomine designantur. Saddaï porrò ἱκανὸν καὶ δυνατὸν idoneum & potentem. Aïa verò τὸν ὄντα, eum qui

Adonai Eloi & Sabaoth, vnus Deus.

Eloth.

Eloi.

El.

Hel.

Adonai.

Sabaoth.

Saddai.

Aia.

est significat: quod nomen Ineffabile quoque ab Hebræis censebatur. Samaritani eũdem Iabe dicunt, verbi vim ignorantes. Hęc cùm minùs vęcordes illi aduerterent, Deos diuersos appellauerunt.

Nomẽ Ineffabile.

Iabe.

Eiusdem Choniatæ [Trinitatis demonstratio, à trutinæ æquilibrio, duplici alarum Seraphicarum Trinitate, Trisagio.]
Cap. 30.

DVbitantibus autem, quánam de causa Filius enuntiatione medius assumitur, extrema autẽ Pater & Spiritus sanctus occupent, respondere possumus, quòd cùm Deus statera iustitiæ dicatur, eadem prorsus ratione, qua stateram dicimus, is quoque ordo in natura diuina excogitatus est, vt medium locum Filius occupas summam ęqualitatem cum duobus extremis conseruet. Ipse enim & primam illam mundi fabricationem, & eam quę subsecuta est generis reformationem perfecit. Cæterùm stateræ exemplo, æqualis illa virtus & potentia subindicatur, quę in Trinitate (cuius immensa est potentia) elucescit. cùm ex tribus illis personis nulla quicquam amplius sursum ferat, quàm illa quæ deorsum vergit, sed in æquilibrio honoris, gloriæ, & substantiæ libretur; & theologica constantia persistat. Ex quo fit, vt in rebus quoque generationi ob-

Deus statera iustitiæ.

Filius cur medius.

noxiis æqualitas detur, æquúmque tãquam trutina pensetur.

Trinitas alarum Seraphicarũ duplex.

Imò duplex quoq̃ue Seraphicarum alarũ Trinitas sanctæ Trinitatis mysteriõ proportione quadam respondet, medium enim Patri, extrema autem Filio & Spiritui respondent: trináque adeò sanctitatis enuntiatio cùm per se prorsus immutabilis existat, tres personas substantia, virtute, potentiáque immutabiles ænigmaticè designat, imò etiam substantiæ æqualitas & vnitas illa, quæ tribus inest, certa inductione & illatione

Dominus vnicus.

Alæ duplices.

vnicum esse DOMINUM confirmat. Alę quoque duplices omnem illam cognitioné denotant, quæ ad nos illorum beneficio descendit, etiámsi Spiritus illam administrantes ab omni sunt materia remoti, nec simplex illa descendat, sed eiusmòdi materia constans, quæ typis & figuris nostratibus conueniat. atque adeò composita com-

Materiale duplex.

Sãctus Deus κατ' ἐξοχήν.

positis peraccommoda sit. Duplex autem est res omnis materialis, quæ nimirum ex materia & forma constet. Dictio porrò Sanctus id subindicat, quod sanctis superinsidet, cum quo nulla prorsus alia sanctitas conferri queat. Quotquot enim diuinitatis ratione sancti dicuntur, hauddubiè profani & impuri. quéadmodũ omnes quoque Reges serui, & ea quę sunt non esse censebuntur, si cum Deo, id est eo qui verè est, conferantur. Hac ego dictione Sanctus

excellentia in Deo & prærogatiua denotatur, ídque adeò, quod dignitate sua rerum omnium naturas exuperet. Sanctum enim hoc loco nō id significat, quod à sorde qualibet corpus aut animam polluente purum existat. Absit. Quo enim encomio Deus ita extolleretur, imò verò, quî non extremum hoc dedecus fuerit, si ad maius laudis argumentum perturbationibus illis, quibus omnes obnoxij sumus, liberum esse Numen asseramus? Sed id potiùs, quod segregatum, & cæteris omnibus longè sublimius est, & quasi quodam recessu sepositum indicat. Quæ dictionis significatio frequens in scripturis occurrit. Vt, Omne masculum adaperiens vuluam, Sanctum Domino vocabitur, id est segregatum. Item in libro Iudicū. Pariet Filium, & non ascendet ferrum super caput eius. Quoniam sanctificatus est puellus, & innumeris aliis in locis. Eodem etiam sensu locum, vel panem, vel vinū sanctificari dicimus, quæ Deo segregantur, nec in communem aliquem vsum cedūt. Proinde simul atque ad altare sacerdotes introierant, sacrorum Psalmorum cantor superiùs exclamabat.' Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sāctus immortalis. Quod quidem laudum præconium ex veneranda illa Seraphici ordinis confessione compositum est. 'Idem porrò canticum ex Cherubico etiam præconio, musicóque sacrorum Psalmorū can-

ἅγιον.

ἅγιον ἀντὶ τοῦ ἀφωρισμένον. segregatum.

Exod. 34.

Iudic. 13. & 16.

Sanctificare locum, panē, vinum, &c.

Trisagij explicatio, vt supra eod. ca. 19. & infra initio lib. 13.

tu constare discimus, cùm in Psalmo quidē Sanctus Deus, fortis, viuus canatur. Vbi certè dictio Viuus loco dictionis Immortalis, tanquam idem significans, assumpta. Dictio autem Fortis in integro retenta, & hoc modo sacra demum cantio contexta est. Deus tamen obiter, & Sanctus, ex aduerso impiis idolorum cultibus opponuntur. Quæ quidem terrena sunt, operáque manuum hominum, atque abominationes re vera. Fortis autem eisdem opponitur, quatenus muta immobilia & infirma sunt. Immortalis denique, quatenus nec respirant, nec operantur, nec vlla vitæ scintilla fruuntur. Cæterùm suprà memorati cantici cōpositio Beato Proclo Constantinopolitano Pontifici ex reuelatione innotuisse fertur, qui Angelis quidem sacrum hunc hymnum modulātibus illo primus omnium initiatus est.

Psal.41. *Viuus pro immortalis.* *Deus Sanctus.* *Idola.* *Deus fortis & immortalis.* *Trisagij instituendi causa.* *Proclus Cōstantinop.*

Enimuerò senarius ille quoque primorū dierum numerus, cuius in libro de mundi generatione mentio fit, typo quodam trinā Dei cognitionem exprimit, quodquidem cùm aliis aliquot ex locis, tum ex hoc perspicuum est, Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Item ex hoc, In capite libri scriptum est de me. Quicunque enim de primis illis diebus exposuerūt, obscuri nihil elocuti sunt. Nam caput & principium libri, id est totius scripturæ diuinitus inspiratæ, ille dierum senarius numerus

Hexaemerō typus Trinitatis. *Psal.18.* *Psal.39.*

est, quibus fabrica mundi consummata fuit. Ex quorum magnitudine & decore creator innotescens laudibus effertur.

His Gregorij quoque Theologi vox attexéda, quæ quidem nobis ad tres vsque personas diuinitatis mysteriū reuelatum fuisse testatur. Vnitas enim, inquit, ob insitas opes emersit. Dualitas autem vbertate materiæ & formæ, quibus corpora constant, in maius quiddam excreuit. Trinitas denique ob sui perfectionem definita est. Primus enim ternarius binarij compositionem superat, ne vel in angustum diuinitas coarctetur, vel in infinitum diffundatur. *Greg. Naz.* *Vnitas.* *Dualitas.* *Trinitas.*

Alia quoque ratio adferri potest, cur diuinitas ad ternarium vsque numerum processerit, quia nimirum ex numeris ternarius solus apertissimum stateræ typum referat. Statera porrò æqualitatis opus & symbolū est. Ex quo fit, vt inter numeros ternarius solus omnium medium inter vtraque extrema sic obtineat, vt par & immutabilis sit, cùm interim nulla prorsus in tribus compositio cernatur. *Ternarius numerus stateræ typus.*

Iam cur tandem Filius dextra, Verbum, virtúsque Patris, & cætera id genus appellatur? contrà verò Pater Filij non itē? nūm nam quia non Pater ex Filio, sed Filius ex Patre procedit? Prætereà manus quidem, brachium, sapientia, & sermo huius hominis dicitur: sed homo dextræ, aut sapientię, *Proprietas & pars ad subiectum & totum referuntur, non contra.*

aut ſimilium, non item, quemadmodum neque rami arborem, ſed arboris ramum dicimus.

Spiritus digitus Dei. Spiritus inſuper Dei digitus nominatur, quia verò digitus ex manu procedit, meritò Spiritus non Patris tantùm, ſed etiam Filij, qui dextra Patris eſt, eſſe dicitur. *Dextra Dei digitus.* At non è conuerſo Filius á Spiritu dependet. Nec enim manus digiti dici poteſt. Non tamen eam ob rem loco Patris Filius, aut Spiritus id quòd initio conducibile erat enuntiaſſe dicetur. Quandoquidem Deus hominum quoque pater, vt iam dixi, dicebatur. Filium verò ſi Patris noſtri nomine compellemus, id profectò inter illa cenſebitur, quæ fieri, aut ex præcedentibus inferri nullo modo poſſunt. Proinde cùm Pater prædicabatur, propter vocis abuſum, qui tunc inoleuerat, perſonam vnicam pleriſque denotabat, & ſubindicabat. Quòd ſi Filius aut Spiritus annuntiaretur, duæ prorſus hypoſtaſes in cõfeſſo erant. Qui enim Filij nomen audiebat, ex continenti ad Patrem animo ferebatur. Idem prorſus in Spiritus appellatione contingebat. Cuiús nã enim Spiritus eſſet ratio diſquirebat. Atque, vt ita dicam, quicunque Deum rationis expertem non profitetur, is eadem prorſus opera rationis participem eſſe contendit. Eius porrò qui eſt immortalis, immortale quoque verbum cẽſetur. Iam immortale verbum aliud ab eo, quem Filium

lium dicimus,nemo rectè dixerit.

Quòd si quis dubitet,quî fiat, vt cùm Filius & Spiritus æquo gradu ex Patre procedant,ille Filij,hic Spiritus nomine vocetur: nec ambo Filij appellationẽ, quemadmodum & habitum, retineant:ita respondendum est, quòd in vniuersum naturæ diuinę Theologia id ipsum à notioribus nobis describens, quod in Trinitate legitimum est, honoréque persimili colitur, nominibus Patris & Filij & Spiritus Sancti ineffabile diuinitatis nomen,nullíque intellectui peruium, appellationibus inter nos vsitatis, quæque nobiscum coaluerunt,indicauit.Et quia mos hic inoleuit, vt cùm de Filiis nostratibus loquimur, recentem eorum generationem,Spiritus autem processionem dicamus: Ait enim scriptura, Spiritus vadens & non rediens. Item, Exibit spiritus eius Item,Spiritus pertransibit in eo, & nõ subsistet. Quia, inquam, in hominum genere Filio quidem generationem,Spiritui autem processionem attribuimus. eadem prorsus ratione in natura illa ineffabili & supernaturali Filium quidem genitum esse didicimus, Spiritúmque conuenienter Deo procedere commoniti sumus. Hinc enim factum est,vt Patris quidem Spiritus, Filij verò Spiritus Sanctus dictus sit, siquidẽ apud nos vtriusque horum Spiritus dicitur.Pater autem vel Filius ipsius Spiritus non item,

Cur Spiritus Filius non dicatur.

Psal. 77.
Psal. 145.
Psal. 102.

ſaltem apud nos. Cæterùm diuinitatem ſua ipſius natura ineffabilem eſſe, eámque adeò, quam vix intellectu quiſquã cõſequi poſſit, nulla id notio communis opinió ve diffitetur. idem quoque pleriſque in locis ſacra ſcriptura prædicat, ſapientúmque Patrum noſtrorum ferè chorus omnis atteſtatur.

** Expoſitio Fidei.[quæ præcedentium omnium anacephalæoſi ſuccincta conſtat.]*
Cap. 31.

HActenus, congeſtis Diuorum Patrum ſentẽtiis, Trinitatem eiuſdem naturæ, maieſtatis, potentiæ, atque æternitatis eſſe ſatis ſupérque docuimus, Filiíque in carne aduentum ſubiunximus. Quia verò facturus operæpretium mihi videor, ſi quæ multis & variis dictionum ſentẽtiarúmque circuncifionibus & anfractibus dicta ſunt, & de Zoarchica, hoc eſt vitæ præſide, Trinitate, & de vnius ex illa, nimirum Verbi, incarnatione, ea nunc ſummatim colligam: præſertim ſi quando tempus ferat, vt orthodoxæ fidei noſtræ ratio nonnullis reddenda ſit, eiús ve à nobis expoſitio requiratur: icicò hæc quæ ſequuntur addidi.

Zoarchica Trinitas.

Credimus in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem in vnitate, & Vnitatem in Trinitate. Vnitatem quidem ratione naturalis coniunctionis, & dominationis, Trinitatem verò ratione τριυποςάτου,

hoc est triplici persona constãtis, perfectionis, & ratione diuitiarũ supernaturalis Trinitatis. Vnitas enim re vera est Trinitas illa, quæ diuinitate coniungitur, & Trinitas vicissim, re vera illa διαιρουμένη ταῖς ἰδιότησι, καὶ οὐ μεριζομένη, quæ proprietatibus ita diuiditur, vt tamen in partes haudquaquam dissecetur, eadem coæterna, cuiúsque substantiæ par honor exhibetur. Nec enim tempus est, aut fuit, quo quidem cum Patre Filius nõ fuerit. quî enĩ fiat, vt Pater dicatur, nisi consortem imperij Filium habeat? neque fuit vnquam tempus, quo Spiritus Sãctus cum vtroque non fuerit. Cùm tres inter se coniuncti vnus sit Deus, sola cuiusque differentia in essentiæ communione indiuiduè personam diuidente. Solus enim Pater, Pater. Solus Filius, Filius. Solus Spiritus Sãctus, Spiritus. His enim differentiis non cõuertuntur inter se. Sed in his indiuiduè quidem diuiduntur, essentiæ autem ratione cõmunicant. Trinitas, simplex, insecabilis, & incomposita, ex tribus perfectis per se perfecta, & plus quàm perfecta est. Cuius vna natura, diuinitas, & voluntas, vna denique actio glorificatur. Quorũ enim natura vna est, eorum & volũtas & actio vna. quemadmodum D. Basilio docente didicimus. *In Arrium.* *Basil.*

Confitemur item vnam sanctæ Trinitatis personam, vnigenitum, inquam, Dei Filiũ, Deúmque nostrum, Patri & Spiritui San- *Iesus Christus.*

cto consortem & coæternum. à Patre quidem ante secula genitum, quantùm ad diuinitatem. eundémque in vltimis & præfinitis temporibus, vt genus humanum seruaret & reformaret, è cælis descendisse, seu voluntaria exinanitum humilitate puræ Deiparæque virginis Mariæ vterum subiisse, quæ à Spiritu sancto prapurgata corpore & animo fuerat, ex eiúsque sancta & incorrupta carne, in subsistentia propria carnem assumpsisse. ita vt consubstantialis nobis effectus eam in ipsa, mediante anima rationis & intellectus participe, compingeret atque efformaret. Qui ex eadem virgine intemeratáque matre natus est, suprà quàm dici aut excogitari, vllóve intellectu percipi possit. Cùm enim sine semine supernaturalísque conceptio fuisset, ineffabilis quoque partus & inenarrabilis fuit. More itaque nostro, qui supra nos erat Christus & Dominus processit, omnia nostra essentialiter in se ferens, vno peccato dempto, totus homo factus, totúsque Deus manens, idem terrenus & cœlestis: visibilis & inuisibilis, mortalis & immortalis. Duæ enim naturæ indiuulsa coniunctione cohærétes vnum nobis Emmanuelem perfecerunt. ita tamen, vt citra vllum defectum proprietates naturarum, ex quibus compositus est, sartas tectas conseruaret. Cùm enim totus simplex esset, secundum diuinam, eandémque paternam &

Maria.

Partus.

Naturalium proprietatũ in Christo integritas. contra Monophysitas.

æternam generationem: duplex processit, secundum maternam eandémque temporariam & corporalem generationem. Itaq; tametsi duas Christi Dei nostri generationes profiteamur, vnam tamen eius personã prædicamus, cuius essentia duabus in naturis perfectis elucescat. Quanuis enim vna Sanctæ Trinitatis persona esset, mansit tamen, vel cùm Verbum caro factum est, perfectus in Diuinitate, idémque perfectus in humanitate: Diuinitate quidem Deo Patri consubstantialis, idémque nobis humanitate consubstantialis. patibilis carne, impatibilis diuinitate. Vnde fit, vt alij miracula, & alij passiones non distribuamus: sed tanquã vni eidémque Domino nostro Iesu Christo vtrunque specimen attribuamus. alia quidem ratione miracula edenti, alia item patienti. Diuinæ siquidem naturæ ratione signorum virtutem deprompsit, ex humanæ autem formæ præscripto, eas passiones non detrectauit, quibus ea natura obnoxia est. vt in se ipso passiones nostras in passionum vacuitatem transformaret, pro vt his verbis attestatur Apostolus. Oportet corruptibile hoc induere incorruptioné, & mortale hoc induere immortalitaté. Nec enim ille humani generis amator humanis, at nulli reprehensioni obnoxiis, passionibus obiici, & quanuis Deus esset immortalis, anima tamé mediãte corporaliter morti adfigi, dedigna- 1. Cor. 15.

Anima Christi. tus est. Anima, inquam, omnibus in rebus perfecta, suísque numeris absoluta, & cui nihil omnino ad humanitatis perfectionem deesset. Humanæ porrò perfectionis index mens ipsa est, qua volumus, & à brutis animantibus differimus. Eorum enim quæ mẽtis expertia sunt, nullum velle potest. Quicquid autem voluntate, idem & intellectu præditum est. Vbi enim mens, ibi etiã prorsus intellectus est. Iam si Seruator perfectus homo fuit, in diuinitate perfecta manens, procul dubiò neque mente, neque voluntate caruit. Qui autem humanam Christi animam naturali voluntate priuare conantur, eam mentis expertem, ipsi mentis expertes, descripserunt, & passionem & mortem impatibili naturæ ascribentes. Qua quidẽ hæresi hoc consequuntur, vt perfectè salui facti non videamur. Nec enim naturalem humanitatis eius volũtatẽ, naturalémve actionem negamus. ne vna eadémque opera dispensationis salutis nostræ caput & summã antiquemus. & diuinitati passiones adscribamus. vt astruere conati sunt illi, qui vna illum volũtate, vnáq; actione, nõ sine magna impietate, recèns excogitarunt, impiámque Arrij, Apolinarij, Eutychis, & Seueri hęresin innouarunt.

Mens. Volũtas.

In Apolinarium.

In Monotheletas.

Voluntas & actio naturalis in Christo.

Nos autem orthodoxæ cõfessionis assertores vnum eundémque Christũm Filium Dominum vnigenitum astruimus, qui dua-

bus in naturis inconfusè, simpliciter, inseparabiliter, indiuiduè dignoscitur. Ita tamen, vt nullatenus naturarum differentia vi coniunctionis sublata sit, imò potiùs vtriusque naturæ proprietas integra permanserit. & in vnam personam, vnámque hypostasin cō currerit. Non vt in duas personas partitionē diuisionémve admiserit, sed vnus idémque Filius vnigenitus, Deus Verbum, Dominus Iesus Christus perseuerauerit: quemadmodum superioribus temporibus Prophetæ de ipso vaticinati sunt, ipséque adeò Iesus Christus nos docuit, sanctorúmque Patrum Symbolum nobis quasi per manus tradidit. Duas in eodem volitiones, seu voluntates, duásque actiones, citra diuisionem, mutationem, partitionem, confusionémque, ex sanctorum præscripto Patrum prædicamus. naturales, inquam, voluntates, non cōtrarias, quemadmodum impij astruxerunt hæretici. absit. sed obsequētem eius humanam voluntatem, at non resistentem aut reluctantem: imò potiùs diuinæ eius & omnipotenti voluntati morigerā. Siquidem par erat, vt carnis volūtas moueretur, diuinæ tamen voluntati subiiceretur, vt sapientissimus ille scribit Athanasius. Quēadmodum enim caro eius caro Dei dicitur & est, ita & naturalis voluntas carnis eius propria Dei Verbi dicitur & est. vt idē ait. Descēdi de cœlo, nō vt faciā voluntatē meā, sed vo- *Athanasius.* *Ioan. 6.* "

„ luntatem eius qui misit me Patris. Quibus verbis propriam carnis eius voluntatem intelligit. Quandoquidem ipsa quoque caro ei propria fuit. Quemadmodum enim sanctissima & inculpata eius animata caro, cùm Deificata est, haudquaquã periit, ita neque carnis eius voluntas periit. imò potiùs integra permansit. vt Theologus Gregorius his verbis autor est. Illius enim volũtas, qui pro Seruatore intelligitur, haudquaquã Deo cõtraria est, cũ tota Deum redoleat. In ea porrò sentẽtia sumus, vt naturales duæ actiones citra diuisionem, mutationem, cõfusionem, partitionẽ, in eodem Domino nostro Iesu Christo Deo vero cõiunctas esse asseramus. Hoc est diuinam actionem, vt diuinus ille Leo, paulò apertiùs ait. Operatur vtraque forma cum alterius communione proprietatis, Verbo scilicet id operante, quod suum est. & corpore vicissim ea efficiente, quæ sunt corporis. Nullo enim pacto eandem fuisse naturalem Dei & creaturæ actionem concedimus. ne vel creaturam impatibili essentiæ ascribamus, vel diuinę naturæ excellentiam in creaturarum ordinem redigamus. Vnius enim eiusdémq; miracula & passiones fuisse nouimus. alia atque alia naturarum, ex quibus constat, ratione habita, in quibúsq; eius essentia consistit, vt Diuus Cyrillus ait.

Eo itaque quod inconfusum & indiui-

Nazianz.

Actiones naturales duæ in Christo.

Leo.

ἰσ[illegible]

ſum eſt omni ex parte ſeruato, hoc in ſumma profitemur, Vnã Sanctæ Trinitatis perſonam, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ verum Deum noſtrum eſſe credentes, Duas eius naturas aſſerimus, quæ in vna eius perſona eluceſcant, in qua & miracula & paſſiones, quandiu ex diſpenſatione nobiſcum verſatus eſt, nõ fantaſia, ſeu ſimulatione, ſed reuera exhibuit, cùm præſertim naturalis differentia in ipſa vnica perſona cognoſcatur. non quia perſona præter naturas alia ſit, ſed quia in natura eiuſdem perſonæ tota natura humana efformata ſit. Quæque ſuarum ſunt partium ea ſic exequitur, vt nihil deſit. cum qua quidem perſona hypoſtaticũ Verbũ cohærebat, vno peccato dẽpto. Quẽadmodum etiam Verbum viciſſim ea perfectè & abſolutè operabatur, quæ ſibi propria erant, ídque cum humana illa natura, quam aſſumpſerat. Proferatur in medium denuò ſanctiſſimus ille Leo, qui in Epiſtola ad Leonem Imperatorem, ita ſcribit. Diuinitas & humanitas ipſo virgineæ conceptionis momento in tantam coierunt coniunctionem, vt ne humanæ quidem res ſine diuina eſſentia fierent. Sed vtraque natura cum alterius cõmunione ea quæ ſibi propria erãt, & vellet & ageret. Quocirca duas etiam naturales voluntates, totidémque actiones ad humani generis ſalutem vnà concurriſſe aſſerimus. Quare cùm Diui Patres hæc ita

Præcedentis confeſſionis ἀνακεφαλαίωσις.

Alludit ad perſonæ & hypoſtaſeos differentiam Latinis ignotam. de qua infra lib. 3.

Leo Papa.

Cyril.

ſummo cum ſtudio & diligentia vndique congeſſerint & expreſſerint, par eſt, vt nullus aliter proferat, aut ſcribat, aut ſentiat, aut doceat: imò verò ne diuerſum quidem ab hoc Fdei ſymbolũ iis proponat, qui vel ex Gentibus, vel ex Iudæis, vel ex hæreſi qualibet ad veritatis cognitionem cõuertuntur.

Fides reuelata ſanctiſſimo Gregorio mirifico, tanquam ex ſuper ſanctæ Dei genitricis, & ſancti Apoſtoli Ioannis Euangeliſtæ doctrina. Cap. 32.

Pater. VNus eſt Deus principiũ & Pater Verbi viuentis, ſapientię ſubſiſtentis, nécnõ virtutis & formæ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filij vnigeniti.

Filius. Vnus item eſt Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo, imago perſonæ Patris. Deus verbum agens, qui rerum omnium hypoſtaſin creauit ſapientia, quæ vniuerſorum conſtitutionem continet virtus omnium creaturarum effectrix. Veritas ex verace Patre. inuiſibilis ex inuiſibili, incorruptibilis, ex incorruptibili: immortalis ex immortali, æternus ex æterno.

Spiritus ſanctus. Vnus denique Spiritus ſanctus perfectus, perfecta viuentium vita: ſanctitas, & ſanctitatis fons, atque ſanctitis largitor. Ex quo fit, vt Deus omnium credentium calculo ſit ſuper omnia, Filius per omnia, Spiritus ſanctus in omnibus. *Pater ſuper omnia, Filius per omnia, Spiritus in omnibus.*

Trinitas perfecta, cuius honor, ſempiterni-

tas,& regnum,neque diſſecatur,neque alteratur. Quare in Trinitate creatum nihil eſt: neque adſcititium. ac ſi quid eſſe poſteà cœperit,quod anteà non fuerit.Nullo enim vnquam tempore Filius Patri defuit. neque Filio Spiritus.nec vnitas in binarium excreuit,nec binarius in Trinitatem, ſed ſemper vna eadémque Trinitas citra vllam mutationem alterationémve manſit. *In Arrium.*

P. Morelli Πάρεργον ad candidum lectorem.

SI terſiorem hac, candide lector, Damaſceni ſcriptorum explicationem volueris, opera quæſo, eius adire ne pigeat, recèns à Græcorum huius ſeculi Phœnice, R.P.D. Iacobo Billio latinitate donata, & apud hũc ipſum, qui Nicetæ tibi primitias (C.V.D. Ioan. à S. Andrea auſpiciis) excudit, Typographum Gulielmum Calderium proſtantia. Quod de Damaſceno dico, idem & di Nazianzeno dictum puta. Dominus enim Billius (cui tanquam D. illi Hieronymo ſtylum è manibus ἄτροπος illa ſola, prior inquã mors omnibus communis, excuſſura eſt) ea vtrumq, Catholicæ Chriſti Eccleſiæ δᾳδοῦχον & φωστῆρα donauit latinitatis elegantia, quæ cum Græcia ipſa facilè certet. Sed ad Nicetæ noſtri συνέπειαν hoc velut è diuerticulo redeamus.

Iterum De sancta Trinitate.[de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, distincta simul & coniuncta diuinitatis ratio, ex D. Ioanne Damasceno. cap.8.] Cap.33.

ITaque credimus in vnum Deum, vnicum sine principio principium, increatum, æternum, ingenitum, incorruptibilẽ, atq; immortalem, immensum, nullis finibus circũscriptum, indefinitum, immensæ potestatis, simplex, incompositum, incorporeum, inexhaustum, imperturbatum, immobilem, immutabilem, inuisibilem, bonitatis & iustitię fontẽ, lumen intelligibile, inaccessam potẽtiam, quę nulla mensura dignoscitur, sed sola seipsam propria voluntate dimetitur. Quæcunque enim vult, eadem quoque potest, vt quæ creaturas omnes visibiles & inuisibiles creauerit, omnes contineat, omnibus imperet, & dominetur regno, quod nulli fini mortíve obnoxium est. nec in se quicquam contrarium habet. quæ omnia plenitudine sua complens à nullo comprehendatur. imò potiùs omnia cõprehendat, contineat, & exuperet. quæ nullam non essentiã intemerata permeet, supráque omnia feratur. quæ nullam non essentiam exuperet, supersubstantialis, & ea quę sunt transcendẽs, plusquàm diuina, plusquàm bona, plusquã plena, quæ principia omnia ordinésque definiat. omnis principij atque ordinis pręses,

quæ nullam nō eſſentiam, vitam, rationem, atque cogitationem exuperet, ipſum lumē, ipſa bonitas, ipſa vita, ipſa eſſentia, vt quæ alterius beneficio non ſit, aut aliquid eorum quæ ſunt exiſtat, imò iis quæ ſunt eſſentiæ, iis quæ viuunt, vitæ, iis quę ratione vtuntur, rationis fons, omnibus denique bonorum omnium cauſa ſit, quæ omnia ante eorum generationem norit, tanquam vna eſſentia, vna diuinitas, vna virtus, vna voluntas, vna actio, vnum imperium, vna potentia, vna dominatio, vnum regnum, quod in tribus perfectis perſonis cognoſcitur, & adoratione vna colitur. Creditur autem & adoratur ab omni creatura rationis participe, citráque vllam confuſionem coniungitur, & citra diſtractionem diſtinguitur (quod mirum eſt) in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctū, in quos baptizati quoque ſumus. Ita enim Dominus Apoſtolis mandauit, vt baptizarent, his verbis, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. In vnum Patrem, qui omnium principium & cauſa eſt, à nullo genitum, qui ſolus ſine cauſa, & ingenitus eſt, omnium quidem creator, at vnius tantùm vnigeniti filij ſui, Domini autē Dei, & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti natura Pater, ſancti autem Spiritus emiſſor exiſtat.

Fons & origo boni.

Matth. 29.

Credimus item in vnum Filium Dei vnigenitum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ex patre natus eſt ante omnia ſe-

cula, lumē de lumine, Deum verum de Deo vero. genitum non factum, consubstantialē Patri, per quem omnia facta sunt. Cùm dicimus Ante omnia secula, generationē eius temporis & principij expertem esse indicamus. Nec enim ex eo quod nō erat in essentiam productus est Filius Dei, splendor gloriæ, imago paternæ personæ. viuens sapientia & potentia, Verbum per se subsistens, essentialis, perfecta, & viua imago Dei inuisibilis: sed semper fuit cum Patre, & in ipso, ab æterno, & sine principio ex ipso genitus. Nec enim vllo vnquam tempore Pater fuit, quo Filius non fuerit, sed cum primùm fuit Pater, fuit & Filius ex eo genitus. Nec enim fieri potest, vt absque Filio Pater vocetur. Quòd si filium non habuisset, Pater haudquaquam fuisset, & si posteà Filium habuisset, posteà quoque Pater esse cœpisset, cùm Pater anteà non esset. atque ex non Patre in non Patrem mutatus fuisset. qua blasphemia quid, quæso, magis impium excogitari potest? Fieri enim non potest, vt Deus naturali generandi vi priuatus dicatur, generandi autem vis in eo consistit, vt ex seipso, siue propria ex essentia sibi natura similē procreet. Ex quo fit, vt si quis in filij generatione tempus intercessisse, aut post Patrem, subsecutam fuisse Filij subsistentiam dicat, impius habendus meritò sit. Ex ipso enim, hoc est ex Patris natura generationem Filij

Ante omnia secula quid.

fuisse dicimus. Et nisi Filium ab initio vnà cum Patre fuisse, vt ex ipso genitum concedamus, vtique paternæ personæ mutationem introducimus: quia nimirum cùm Pater anteà non esset, Pater esse tandem cœperit. Tametsi enim creatura posteà facta fuit, non tamen ex Dei essentia, sed ex eo quod non erat in id quod est voluntate & potentia eius producta fuit.

Nec verò mutationi natura diuina obnoxia est. Generatio enim est cùm id quod gignitur essentia simile ex generantis essentia prodit. *Generatio.* Creatura verò & figmentum, id *Creatura.* quod extrinsecus, non autem ex creantis fingentísve substantia res creata fictáve depromitur, quæ quidem substantia prorsus absimilis existat. Quocirca generatio & creatio impatibilis est in vno dũtaxat Deo, qui solus impatibilis, inalterabilis, & immutabilis est, sempérque eodem se modo habet. Cùm enim natura impatibilis, inexhaustus, simplex & incompositus existat, ad passionem vllam fluxúmque ferendum, neque generando, neque creando, haudquaquam idoneus est, nec vllo adiutorio eget. Sed generatio *Generatio.* quidem principio carens & æterna est, cùm sit opus naturæ, atque ex eius essentia procedat: ne mutationi genitor sit obnoxius: néve Deus primus sit & postremus, atque incrementum recipiat. Creatio verò *Creatio.*

cùm diuinæ voluntatis opus sit, Deo coæterna non est, quandoquidem natura hoc comparatum non est, vt id quod ex nihilo in rerum naturam producitur, ei coæternũ sit, quod principio caret, sempérque est. Itaque queadmodum non eodem modo Deus & homo operatur, (homo enim ex nihilo nihil quicquam in rerum naturam profert, sed quicquid facit, id ex subiecta materia facit, præcedente non voluntate tantùm, sed etiam præcogitatione, & eius rei in animo informatione, quam facere instituit, sequēte verò manuum operatione, vnà cum laboris & tædij tolerantia: ita tamen, vt expectatione sua sæpè defraudetur, nec res ita succedat, pro vt animo proposuerat: Deus autem vel sola voluntate ex nihilo cuncta in rerum naturam produxit) ita nec eodem modo Deus & homo generat. Deus enim, cùm sine tempore & sine principio sit, ad hæc impatibilis, inexhaustus, incorporeus & solus, fine careat, iccircò sine tempore, & sine principio, adhæc sine passione & fluxu generat. atque adeò citra copulam, principióque denique & fine caret eius incomprehensa generatio. Et principio quidem caret, quia immutabilis est, fluxu autem, quia impatibilis & incorporea: citra copulam verò, quia Deus incorporeus sit, & solus alterius ope non egeat: sine fine autem & indesinenter, quia principio, tempore, finéque careat,

Humanæ actionis modus & ordo, cúmque diuina collatio.

teat, quia denique semper eodem se modo habeat. Quicquid enim principio caret, idem fine quoq; caret, atque eodem se modo semper habet. Qui verò per gratiam fine caret, non statim sine principio est: quemadmodum Angeli. Generat igitur qui semper est Deus Verbum suum ipsius perfectū, idque sine principio & fine, ne in tempore pariat Deus. cuius natura & essentia tempus omne superet. Homo autem contrario hauddubiè modo generat. vt qui generationi & corruptioni, fluxui & multiplicationi sit obnoxius, atque corpore vestitus, cuius natura duplici sexu, masculino, inquam, & fœminino distincta est. Masculinum enim fœminini adiutorio eget (parcat mihi Dominus, qui rebus omnibus præest) omnémque intellectum, & omnem mentis conceptionem exuperat. *Generatio diuina.* *Damasceni verecundia.*

Præcedentium anacephalæosis. ἀγεννήτου & ἀγενήτου differentia. Paternitatis, filiationis, processionis origo, &c. Cap. 34.

DOcet itaque sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia Patrem & vnigenitum eius Filium, ab ipso sine tempore, fluxu, passione: atque ita genitum, vt à nullo comprehendi queat: ita, inquam, vt solus Deus vniuersorum perspectum habet, quemadmodum ignis, & ex eo procedens lumen simul & vnà sunt, nec præcedit ignis, sequitúrque

Ignis lumen. lumen, sed simul & vnà sunt. Et quemadmodum lumen ex igne semper gignitur, & semper in eo est, nec vllo modo ab illo separatur, ita Filius etiam ex Patre generatur, vt ab ipso nullatenus separetur, sed in eo semper est. At verò lumen ipsum, quod ex igne inseparabiliter nascitur, & semper in eo manet, propriam hypostasin, aut ab igne seiunctam non habet, cùm sit naturalis qualitas ipsius ignis. Vnigenitus autem Dei Filius, à Patre inseparabiliter & indistinctè genitus, atque semper in eo manens, propriam & à paterna seiunctam hypostasin habet. Quocirca Verbum & splendor dicitur, quia citra copulam, sine passione, tempore, fluxu & separatione, à Patre genitus sit. *Filius Patris character.* Filius verò & hypostaseos paternæ character, quia perfectus est, perséque subsistit, per omnia Patri similis, prætерquàm quòd ingenitus nõ sit. Vnigenitus autẽ, quòd solus ex solo Patre solùm genitus sit. Nec enim alia vlla generatio est, quæ cum Filij Dei generatione conferri queat, cùm alius ab eo Dei Filius non sit. Etsi enim Spiritus sanctus ex Patre procedit, non tamen id generatione, *Processio.* sed processione fit. Alius hic est subsistentię modus, incõprehensus & incognitus, quemadmodum & Filij generatio. Quocirca quæcunque Pater habet, ea habet & Filius, præter quàm quòd ingenitus non est, qua quidem re neque essentiæ dif-

ferentia, neque dignitas, sed existentiæ modus significatur. quemadmodum Adamus *Adamus.* quoque ingenitus est, cùm Dei creatura sit: *Sethus.* Sethus autem genitus, quia Adami Filius. *Eua.* At Eua ex Adami latere progressa. nec enim genita est. Hi omnes haudquaquam natura inter se differunt, cùm sint homines, sed existentię modo. [Sciendum enim est, quòd ἀγένητον, si per vnicum ν scribatur, id significat, quod nec creatum, nec factum est. ἀγέννητον verò, per duplex ν id significat, quod genitum non est. Iam priore significato essentia differt ab essentia. Alia enim essentia *Essentia* est increata, seu ἀγένητος per vnicū ν, aliáq; *diuisio.* itē γενητὴ, seu creata. Posteriore verò significato essentia nihil quicquā ab essentia differt] Omnis enim animātium speciei prima hypostasis ἀγέννητος, hoc est ingenita, non autem ἀγένητος, hoc est increata fuit. Creata enim à conditore Deo sunt ea, quæcunque verbo suo ille in rerum naturā produxit: genita verò haudquaquam fuerunt, cùm nullum eiusdem speciei animal anteà esset, ex quo gigni possent. Iam si priorem significationem sequaris, tres illæ diuinæ hypostases inter se conueniunt, quæ in sancta diuinitate elucescunt. siquidem consubstantiales & increatæ sunt: posteriorem verò significationem si sequaris, haudquaquam conueniunt. Solus enim Pater ingenitus est, nec

enim, vt ſit ab alia hypoſtaſi habet: Solus quoque Filius genitus, qui ex Patris eſſentia ab æterno & ſine tempore genitus: Solus denique Spiritus ſanctus procedit ex ipſa Patris [& Filij] eſſentia, non genitus, ſed procedens, vt ſacra nos ſcriptura docet, quamuis interim nec generationis, nec proceſſionis modus comprehendi poſſit.

Hoc porrò ſciendum eſt, paternitatis, filiationis, & proceſſionis nomen haudquaquam à nobis ad beatam Trinitatem tráſiiſſe, imò è diuerſo inde ad nos deueniſſe, vt

Ephes. 3.

„ D. Apoſtolus ait. Propter hoc flecto genua
„ mea ad Deũ Patrẽ, ex quo paternitas omnis in cœlo & in terra. Iam verò quãuis Patrẽ, principiũ Filij, eóque maiorẽ, eſſe dicamus, non tamen eum Filio priorem tempore aut natura fuiſſe ſignificamus, (Per ipſum enim fecit ſecula) neque alia vlla re, niſi cauſa, hoc eſt quia Filius ex Patre genitus ſit, non autem Pater ex Filio. Item, quia Pater naturaliter Filij cauſa eſt, quemadmodum non ex lumine ignem procedere dicimus, imò potiùs ex igne lumen. Itaque quoties Patrem Filij principium eſſe, Filióque maiorem audiemus, cauſa id verum eſſe intelligamus.

Pater Filio prior quomodo.

Et quemadmodum aliam ignis, aliámque luminis eſſentiam non dicimus, ita fieri nõ poteſt, vt Patris alia, Filiíque alia, imò vna & eadem fuerit eſſentia. Et quemadmodum ignem lumine quod eiaculatur lucere dici-

mus, nec tamen interim lumen igni ſubſeruiens inſtrumētum eſſe, imò potiùs vim naturalem aſſerimus, ita Patrem quoque cuncta quæ facit, per vnigenitum Filium ſuum facere aſtruimus, non tanquam per inſtrumentum ſubſeruiens, ſed per vim naturalem, & quæ per ſe víque ſua ſubſiſtit. Et quemadmodum ignem lucere dicimus, itémque lumē igneum lucere aſſerimus, ita quæcunque Pater facit, itidem facit & Filius. Non tamen lumini propria quædam eſt, ab ignéve ſeiuncta hypoſtaſis, at Filius perfecta hypoſtaſis eſt, ab hypoſtaſi paterna inſeparabilis, vt ſuprà docuimus. Nulla enim in rebus creatis imago inueniri poteſt, quæ citra mutationem in ſeipſa modum illum referat, quo ſancta Trinitas cōſtat. Quî enim fiat, vt quod creatum, compoſitum, fluxum, mutabile, circunſcriptum, figuratum & corruptibile eſt, oculis diuinā illā eſſentiā ſubiicit, quę ab iis omnib⁹ libera nullam non eſſentiam exuperat? Atqui perſpicuum eſt, omnem creaturam eorum pleriſque obnoxiam eſſe, atque ex ſua ipſius natura corruptioni ſubiici.

Lumen.

[Tertia pars confeßionis fidei Ioan. Damasceni, De spiritu sancto.] Cap. 35.

CRedimus denique in vnum quoq; spiritum sanctum Dominum, viuificantem, qui ex Patre [Filióque] procedit, & in Filio conquiescit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, tanquam consubstãtialis, & coæternus. Dei Spiritus, rectus, principalis, fons vitę & sanctificationis. Deus qui cum Patre est, increatus, plenus creator, omnia comprehendens, omniũ opifex, omnipotens, infinitæ potentiæ, Dominus omnis creaturæ, nullius dominio subiacens: replens, non repletus: largiens, & ab alio nihil accipiens: sanctificans, non sanctificatus: consolator omnium consolationibus vnus sufficiens: Patri & Filio per omnia similis: qui ex Patre [Filióque] procedit, atque per Filium tribuitur. Cuius omnis creatura particeps est, qui per se creat & animat vniuersa, sanctificat & continet, propria denique in persona per se subsistit, ita tamen, vt à Patre Filióque separari & diuertere nullo modo queat, imò omnia illa habeat, quæcunque Pater & Filius habent, præterquã quòd nec ingenitus, nec genitus est. Pater enim causa caret, ingenitúsque est. nec enim à quoquam, ne à seipso quidem processit: nec eorum quæ habet quicquam, imò potiùs ipse principium, & autor

Pater ingenitus.

eſſentiæ eſt: facítque vt vniuerſa quoquo modo ſe naturaliter habeant. Verbum autem generatiuè à Patre proceſſit. Spiritus denique ſanctus à Patre etiam non generatiuè ſed proceſſiuè prodiit. Quid porrò à generatione proceſſio differat, iam didicimus, quis autem modus differentiæ ſit, non item. Γεννήματος ergo, id eſt geniture nomine & ipſa Filij ex patre γέννησις, hoc eſt generatio, atque ſancti Spiritus ἐκπόρευσις ſeu proceſſio intelligi poſſe videtur. Quare quæcunq; Filius & Spiritus ſanctus habēt, ea ex Patre habent, atque ipſam quoque eſſentiā, & niſi ſit Pater, nullus Filius, nullus & Spiritus eſſe poteſt, & ſi qua re careat Pater, eadem Filius & Spiritus carent. Atque propter Patrem, hoc eſt, quia Pater eſt, Filius quoque & Spiritus eſt. Et propter Patrem Filius & Spiritus habent quæcunque habent, hoc eſt, quia ea Pater habet, ingeneratione, generatione, & proceſſione demptis. His enim ſolis & hypoſtaticis proprietatibus tres ſanctę hypoſtaſes inter ſe differunt: neque id eſſentia, ſed quia propriæ hypoſtaſeos charactere ſeu ſigno indiuiduè diuiduntur.

Verbum genitum.

Proprietates hypoſtaticæ.

Dicimus autem vnumquemque ex tribus propria præditum eſſe hypoſtaſi, ne tribus ex imperfectis vnam perfectam compoſitam naturam profiteamur, ſed in tribus perfectis hypoſtaſibus vnam ſimplicem ὑπερτελῆ τε καὶ προτέλειον, hoc

eſt quæ perfectionem omnem excedat & præcedat. Quicquid enim ex imperfectis conſtat hauddubiè compoſitũ eſt.at ex perfectis hypoſtaſibus fieri non poteſt,vt quicquam componatur.Inde fit,vt ſpeciem non ex perſonis procedere,ſed perſonis inhærere dicamus. Imperfectis autẽ diximus, hoc eſt iis,quæ ſpeciem eius rei non ſeruant,quę ex ipſis conflata eſt. Siquidẽ lapis, lignũ,& ferrum, per ſe quidẽ perfecta ſingula ſunt,ſi propriam eorum naturam conſideremus.at ſi eadem illa in ædificio contemplemur, quod ex ipſis conflatur, imperfecta ſunt. Eorum enim nullum per ſe domus eſt. Itaque perfectas hypoſtaſes dicimus, ne compoſitionem diuinæ naturæ ineſſe intelligamus. Diſſenſionis enim principium ipſa eſt compoſitio.

Species perſonis inhæret.

Imperfecta.

Compoſitio.

Rurſus tres hypoſtaſes in ſeipſis mutuò ineſſe dicimus,ne multitudinem populúmve Deorum introducamus.Siquidem trium hypoſtaſeon ratione nullam in iis compoſitionem aut confuſionem: ratione autem eſſentiæ, & quia hypoſtaſeon alia alij ineſt, iccircò indiuiduam in iiſdem identitatem, vt ita dicam,& voluntatem,& actionem,& potentiam ineſſe, atque vnum Deum eſſe cognoſcimus.Deus enim, & Verbum,eiúſque Spiritus, vnus demum & verè Deus eſt.

Cur hypoſtaſis alia alij inſit.

[Reipsa & animo contemplari. Quomodo communes rerum omnium notiones dignoscantur. Quid idẽ à simili differat. Persona personæ quomodo insit.] Cap. 36.

Sciendum est, aliud esse reipsa cõtemplari. itémque aliud ratione & cogitatione. Iam in omnibus rebus creatis personarum diuisio reipsa conspicitur. Communitas autem & cognatio, mente cogitationéque patescit. Nam mente percipimus Petrum & Paulum eiusdem esse naturæ, vnáque communi constare natura. Eorum enim vterque animal est ratione præditum, morti obnoxium. Item vterque caro est, cui anima rationis intellectúsque particeps infusa est. Communis itaque natura ratione perspici potest. Nec enim hypostaseon alia alij inest. sed priuatim & in parte quælibet, siue per se ipsam, diuisa est. pleraque ex alia, quibus diuidatur, habens. Nam & loco distant, & tempore differunt, sententia denique, viribus, forma seu figura, habitu, temperamento, dignitate, vitæ instituto, & omnibus figuratiuis proprietatibus. In primis autem, quia alia alij non inest. sed separata manet, Vnde fit, vt duo & tres homines dicantur, & multi. Hoc certè in omni creatura locum habet. At in sancta, supersubstantiali, cuncta superante, & incomprehensa Trinitate secus se res habet. Quod enim in illa commu-

Precedẽs diuisio in Trinitate secus se habet.

Cōmune quid in Trinitate. ne & vnum est, id reipsa cōsideratur. Quòd nimirum coæterna, quòd essentia, operatione, & voluntate iisdem prædita est, quòd denique ipsi idem & velle & nolle, eadem potentia, virtus, & bonitas inest (eadem, inquam, non similis), vna denique motus eiaculatio. Vna enim essentia, vna bonitas, vna virtus, vna volũtas, vna actio, vna potentia, vna, inquam, & eadem est. Nō tres inter se similes, sed vnus & idem trium personarum motus. Earum enim singulæ non minus in aliis quàm in seipsis habent. Hoc est, quia in omnibus vnũ sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. ingeniti, geniti, & procedentis vocibus demptis. cogitatione autē diuiduntur. *Diuisio Trinitatis & proprietates.* Vnum enim Deum cognoscimus. at in solis Paternitatis, Filiationis, & processionis proprietatibus. Item ex causa & effectu, & perfectione personæ. Siue modum existentiæ, *Existentiæ modus.* ipsam esse differentiā mente concipimus. Nec enim fieri potest, vt localem distantiam de diuinitate, quæ circunscribi nequit, itidem vt de nobis dicamus. (Personarum enim alia alij inest, non vt cōfundatur, sed vt inhæreat. Quemadmodum *Ioan. 14.* ipse Dominus ait. Ego in patre, & Pater in me est.) nec volũtatis aut sentētiæ, aut actionis, aut virtutis, aut alius cuiuspiam differētiam. Quæ quidem omnia in nobis reipsa & omninò diuisionem pariunt. Quocirca

neque tres Deos Patrem,& Filium,& Spiritum Sanctum dicimus. imò potiùs vnum Deum, Sanctam Trinitatẽ: Filio & Spiritu ad vnam eandémque causam, nimirum ad Patrem, relatis. Non compositis, neque cõglutinatis, vt Sabellij contractio voluit. ita enim coniunguntur personæ, quemadmodum diximus, vt non confundantur. sed vt aliæ aliis adhæreant. mutuóque se contingant, absque vlla commixtione & concretione: nec ita disiungantur, aut essentia dissideāt, vt Arrij diuisio fabulatur. Ea est enim diuinitas, vt in diuisis, si res in compendium contrahenda sit, indiuisibilis maneat. &, quemadmodum in tribus Solibus sibi mutuò hærentibus & indistinctis, vna luminis temperata mixtio & copula est. Inde fit, vt diuinitatis habita ratione, causam vnã, monarchiam seu vnitatis imperium, vnúmque & eundem diuinitatis, vt ita dicam, motum atq; voluntatẽ, essentiæ deniq; ipsius actionis, & dominationis identitatẽ vnũ quippiã idémq; imaginamur. Eorũ verò ratione habita, in quibus diuinitas inest, vel, vt subtiliùs dicã, quæ sunt diuinitas ipsa, quæq; inde, tanquã à prima causa, sine tẽpore, eadem prorsus cũ gloria, & indistinctè, procedunt, hoc est hypostaseon seu personarũ, tria sunt haud dubiè quæ adorãtur. Vn⁹ Pater, Pater est, & sine prĩcipio, hoc est sine causa. à nullo enim ꝓcedit. Vn⁹ Filius, Filius est, at nõ sine

Sabellij contractio.

Arrij diuisio.

Soles tres.

Tria quomodo adorentur in Trinitate.

Pater.

Filius.

principio, hoc est, non sine causa. siquidem à Patre procedit. Quòd si temporale principium intelligas, eundem sine principio etiam dicere queas. Nec enim tempori subiacet is, qui tempora condidit. Vnus Spiritus Sanctus, Spiritus. à Patre quidem procedens non filiatiuè, sed processiué. Ita vt neque Pater ingenitus, quòd genuerit, neq; Filius genitus, quia ex ingenito processerit, esse desinat. Quî enim fieri hoc possit? Neq; item Spiritus aut in Patrem, aut in Filium degeneret, quia procedit, & Deus est. Proprietas enim non mouetur. Nam quî fieri aliàs possit, vt proprietas mutetur, & degeneret? Si enim Filius, non propriè Pater est. cùm vnus propriè Pater sit. Item si Pater, non propriè Filius est. vnus enim propriè Filius, & vnus Spiritus Sanctus. Sciendum porrò est, quòd Patrem ex vllo procedere nec dicimus, eum autẽ Filij Patrem asserimus, at Filium & Spiritum causa carere nequaquam dicimus. Illum autem ex Patre atque Filiũ Patris, hũc verò ex Patre quoq; & Filio & Patris Spiritũ nominamus. Spiritum autem ex Filio, non item. Sed Filij duntaxat Spiritum dicimus. Ait enim D. Apostolus. Si quis Christi Spiritum non habet. Eundémque nobis per Filium innotescere atq; tribui fatemur. Ait enim scriptura, Insufflauit, & dixit discipulis suis. Accipite Spiritum Sanctum. Quemadmodũ ex Sole

Spiritus. *Ingenitus.* *Genitus.* *Proprietas immutabilis.* *Processio Spiritui propria.* *Rom. 8.*

radius & splendor. Ille enim radij & splendoris fons & origo est. Iam verò nobis radius splendorem largitur, & is est, qui nos illuminat, cuiúsque participes sumus. Filiũ verò neque Spiritum esse, neque ex Spiritu procedere dicimus.

** Eiusdem [Damasceni] De iis quæ de Deo dicuntur. [quódque ad habitum, actionem & cætera id genus, non autem ad essentiam referenda sint.]*

Cap. 37.

DEus simplex est, & minimè compositus. Quod autem ex multis atque diuersis constat, id compositum est. Iam verò si quod increatum est, quod principio caret quod denique incorporeum, immortale, sempiternum, bonum, omnium opifex est, & cætera id genus, essentiales in Deo differentias esse diximus, id quod ex tot rebus constabit, minimè simplex erit, sed compositum. Quod quidem nulla non impietate laborat. Sic igitur existimandum est, de singulis eorum quæ de Deo dicuntur, vt essentiale nihil significent, sed vel vt quod ille non est, id perspicuum faciant, vel habitum aliquem ad oppositorum vel natura consequentium aliquod, vel actionem denotent. Itaque inter omnes Dei nomēclaturas nulla mihi magis propria videtur, quàm ὁ ὢν, seu is qui est. Quemadmodum ipse in monte Mosem alloquens ait. Dicito Israëlitis, Is *Exod. 3.*

qui eſt me miſit. Is enim nullam non eſſentiam in ſe complectitur. tanquam vaſtũ neſcio quod & immenſum eſſentiæ pelagus. Vt autẽ D. Dionyſio videtur, Bonus maximè propria Dei appellatio eſt. nec enim eſſentia in Deo bonitatẽ præceſſiſſe dici poteſt. Alterum nomen Θεὸς Deus eſt, quod dicitur vel ἐκ τοῦ θέειν, καὶ περιέπειν τὰ σύμπαντα, hoc eſt quòd curſu ſuo & ambitu contineat vniuerſa, vel ἐκ τοῦ αἴθειν, id eſt ab ardẽdo. Deus enim ignis eſt, quo vitium omne conſumitur. vel ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι τὰ πάντα, quòd omnia intueatur. Illum enim nihil latet, éſtq; omnium rerum ſpeculator. nam ſpeculatus eſt omnia prouidentia ſua, priuſquàm orirentur. & eorum ſingula voluntaria ſua cogitatione. quæ quidẽ eſt prædeſtinatio, imago, & exemplar in re prædeſtinata, in qua fit. Iam priore nomenclatura eius, nimirum Is qui eſt, ipſa eſſentia exhibetur. non autem quod quid eſt. Poſteriore verò, actio ipſa pateſit. Cæterùm hæc nomina Ἄναρχον, principio carens, incorruptibile, ingenitum ſiue increatum, incorporeum, inuiſibile, & ſimilia, id quod nõ eſt indicãt, hoc eſt id quod eſſe nõ cœpit. Neque enim corrumpitur, neque creatus eſt, neque corpus eſt, neque videtur.

Dionyſ. Bonus.

Θεός, & triplex eius etymon θέειν.

αἴθειν. Deut. 4. θεᾶσθαι.

Prouidentia. Prædeſtinatio.

ὤν. Θεός.

Bonum autem, iuſtum, & ſanctum, naturæ quidem conueniunt. ipſam verò eſſentiã haudquaquam demonſtrant. Dominus de-

nique, Rex; & cætera id genus habitum ad oppoſita ſignificant. Eorum enim qui dominio ſubiecti ſunt, Dominus: eorum qui regno, Rex: eorũ qui creationi, Creator: eorum denique qui paſtioni, Paſtor dicitur. *Dominus. Rex. Creator. Paſtor.*

Eiuſdem Ioan. Damaſceni. De diuina coniunctione & diſcretione. [quódque illa in Trinitate, hæc in Filio ſolo intelligẽda ſit.] Cap. 38.

OMnia ergo communiter, eodẽ modo, ſimpliciter, indiuiſè, & coniunctè de vniuerſa diuinitate accipienda ſunt. Diſtinctè verò, ſeu diſcretè, Pater, Filius, & Spiritus, incauſatum, cauſatum, ingenitum, genitum, & procedens. quæquidem eſſentiæ ſignificationem nullam habent, ſed modi ſolius, quo ſe aliud ad aliud habet, & quo exiſtit. His igitur cognitis, viáq; inde ad eſſentiam diuinam præſtructa, nondum eſſentiã ipſam, ſed eſſentiæ tantùm adiacentia comprehendimus. Quemadmodum ne ſi exploratum quidem habeamus animam corporis, quantitatis, & figuræ expertem eſſe, cõtinuò eius eſſentiam quoque comprehendimus. neque corporis item ipſius, ſi eius vel candor, vel nigredo innotuerit. Sed ea tantùm nouimus, quæ ei adiacent. Vera autem ratione inſtruimur, ſimplicem eſſe Deum, vnáque ſimplici actione bona præditum.

Sol. quæ omnia omnibus ſuggerat, radij ſolaris inſtar, qui cūcta calefacit, & in ſingulis, pro vt apta capaciáque ſunt, operatur, hac actione *Diſcretio.* præditus Dei creatoris beneficio. Diſcreta porrò ſunt & ſeiuncta, quæcunque ad diuinam & humanitatis plenam Dei Verbi incarnationem pertinent. Eorum enim nullo modo Pater & Spiritus participes ſunt, niſi tantùm quia vtrique bene complacitū eſt, & miraculorum editio illa inenarrabilis arriſit: quæ quidem à Verbo Deo, etiam homine nobis ſimili facto, tanquam Deo immutabili, & Dei Filio, edita ſunt.

Nicetas σωματικῶς habet. at Zygabenus legiſſe videtur σημαντικῶς, id eſt ſignificatiuè. vtraque lectio defendi poteſt.

** Eiuſdem [ex cap. 11.] de iis quæ corporaliter de Deo dicuntur.* Cap. 39.

QVia verò pleraque in ſacris ſcripturis ita enunciata deprehendimus, vt corporeum aliquid, velut ex coniectura deſignent, ſciendum eſt, fieri non poſſe, vt nos, cùm homines ſimus hac carnea maſſa circuntecti, diuinas, excelſas, & ab omni materia remotas, diuinitatis actiones intellectu aſſequamur, aut verbis exprimamus: *Notiora nobis.* niſi imaginibus, formis, & ſymbolis inter nos cognitis vtamur. Quæcunque ergo de Deo corporaliter enuntiantur, ex coniectura dependent. in iis autem ſublimior aliquis ſenſus deliteſcit. Simplex enim Deus eſt, *Deus ſimplex.* neque vlla figura lineamentis ve depingi poteſt.

poteſt. Igitur oculorum, palpebrarum, conſpectúſque Dei nomine vim eius intelligimus, qua res vniuerſas contéplatur. eámq; adeò cognitionem, qua fit, vt nihil illum lateat. quia nimirum huiuſmodi ſenſus beneficio perfectiorem rerum cognitionem, & certiorem perſuaſionem conſequimur. Aurium item auditúſque nomine placabilitaté eius, & ad vota noſtra precéſque propéſioné deſignamus. Nos enim huius ſenſus beneficio ſupplicibus faciles & exorabiles efficimur. eiſque aurem familiariore quodam modo inclinamus. Oris porrò & ſermonis appellatione certum aliquod volũtatis eius indicium depromimus. quia moris eſt nobis cordium noſtrorum arcana oris & ſermonis beneficio retegere. Cibi quoque & potus nomenclatura noſtrum ad eius volũtatem concurſum denotat. Nos enim ſenſu guſtatus neceſſario naturæ appetitui ſatisfacimus. Olfactus appellatione vim nobis inſitam intelligimus, quę noſtram erga Deum voluntatem & beneuolentiam teſtatur. quia nimirum eo ſenſu ſuáueolentiam odorum percipimus. Perſonæ item vocabulo [eam Dei pręſentiam ſubindicamus, qua ille opera ſua viciſſim, & quaſi ſucceſſiuè, luſtrat & permeat] quia nimirum perſonæ beneficio præſentes nos ipſos ſiſtimus. Per manus etiam vis illa intelligitur, qua Dei actio abſoluitur. Nos enim quæ nobis vtilia ſunt,

Oculi. *Palbebræ.* *Conſpectus.* *Aures.* *Auditus.* *Os.* *Sermo.* *Cibus.* *Potus.* *Olfactus.* *Perſona.* *Conſule Damaſcenũ. nã lacuna hic eſt.* *Manus.*

& in primis pretiosissima quæque, administramus manibus. Per dextram quoque opem diuinam intelligere solemus, quæ nobis in rebus prosperis adest. In iis enim quę paulò politiora & ornatiora nobis atque pluribus egere viribus videntur, dextra manu ferè vtimur. Iam Palpationē quid aliud, quæso, esse dicemus, quàm subtiliorem Dei & eorum quæ sunt valde subtilia & obscura disquisitionem, & exactiorem peruestigationem? Humano enim more fit, vt qui palpantur, nihil in se ipsis celare queant. Pedibus consimiliter & incessu venire præstóque adesse significamus, ad opem supplicibus ferendam, vel hostes propulsandos, vel aliud quiduis simile agendum. propterea quòd pedibus eò peruenire soleamus, quò destinauimus. Iureiurando itidem quàm firma sit voluntas diuina ostenditur. nos enim iurisiurandi religione mutuis conuētionibus nostris robur & pondus addere consueuimus. Cæterùm iræ furorísque nomine significamus quanto Deus odio habeat, quantúmque auersetur vitium. Nos enim, siquid contrà fiat, quàm nobis videatur, indignari & succensere solemus. Per obliuionem denique, per somnum, & per dormitationem, dilatio repetundarum de hoste pœnarum & comperendinatio intelligitur. solitíque auxilij familiaribus nostris

Dextra. *Palpatio.* *Pedes.* *Incessus.* *Iusiurandū.* *Obliuio.* *Somnus.* *Dormitatio.*

& amicis præstandi procrastinatio. Vt simul & semel concludam, multáque paucis complectar, in iis omnibus, quæ corporaliter de Deo dicuntur, arcanus quidam sensus delitescit. qui rerum inter nos vsitatarum obtentu ea quæ supra nos sunt edocet. nisi fortè quid de corporali Verbi Dei aduentu dictum sit. Is enim totum hominem induit, vt saluos nos faceret. hoc est animã intellectus participem, & corpus, vnà cum iis quæ naturæ humanæ propria sunt, denique naturales & immutabiles passiones. *Christus homo.*

De Angelis, altera libri huius parte præcipua.
Cap. 40.

QVia verò primum æternúmque lumen Deus dicitur, secundum autem ordines Angelorũ intellectu præditi, de iis quoque pauca dicenda sunt.

Angelus essentia est intellectu prædita, quæ semper mouetur, liberi arbitrij, incorporea, Dei ministerio & cultui addicta, naturæque immortalis per gratiam particeps effecta. Cuius quidem essentiæ quæ sit forma, quíque terminus, soli Creatori perspectum & exploratum est. Incorporea porrò & expers materiæ dicitur, si nobiscum conferatur. Quicquid enim est in rerum natura crassum & materiale deprehen- *Angeli quatenus sint incorporei.*

ditur, si cum Deo conferatur, qui solus ab omni comparatione liber & immunis manet. Siquidem Deus solus est, qui verè abomni materia remotus, & incorporeus dici potest. Angelus ergo natura est rationis, intellectus, & liberi arbitrij particeps, quæ sententiam mutare potest, seu sponté mutabilis est. Quicquid enim creatum, idē & mutabile est: Increatum solum, est immutabile. Item quicquid ratione præditum, idem & liberi arbitrij est. Quatenus ergo rationis & intellectus particeps est, liberi quoque arbitrij est: quatenus autem creata est, mutationi etiam obnoxia est. Vt cui liberum & integrum sit manere & proficere in bono. atque in deterius deflectere. Pœnitudinis autē capax non est, quia incorporea. Hominē enim propter corporis debilitatē pœnitere potest. Immortalis præterea est, at non natura, sed gratia. Quicquid enim cœpit, idem & natura desinit, & ad interitum tendit. Solus autem Deus æternus est imò supra omnem æternitatem. nec enim tempori subiicitur, sed supra tempus is est, à quo tempora condita sunt. Lumina porrò secunda intellectu prædita, quæ splendorem suum à primo lumine, quod principio caret, mutuata sunt. nec lingua nec auditu egent, sed absque sermonis vllius prolatione proprios animi conceptus & voluntates inter se cōmunicant. Itaque Angeli omnes à Verbo

Deus solus incorporeus. *Mutatio.* *Liberum arbitrium.* *Pœnitudo.* *Immortalitas duplex.* *Quomodo loquantur & audiant.*

creati,& à Spiritu Sácto sanctificatióe perfecti sunt.pro dignitatis & ordinis proportione luminis & gratiæ participes.Circunscripti sunt. nam si sint in cœlo,non sunt in terra.& si à Deo in terram demittantur, in cœlo nequaquam remanent.mœnibus,portis, claustris, sigillis non concluduntur. Indefiniti sunt. Indefinitos autem dico, non enim pro vt sunt, ita viris dignis apparent, quibus eos apparere Deus voluerit,sed Trãsfigurati, pro vt ferre possunt, qui eos intuẽtur. Nam quod increatum est, idem natura & propriè indefinitum est. Omnis autem creatura extra essentiam à Creatore suo definitur.Iidem Sanctificationẽ à Sancto Spiritu habent.diuina gratia vaticinantur. nuptiis haudquaquã egẽt. mortales enim non sunt.Sed cùm sint Spiritus,iccirco etiam in locis intellectui soli peruiis habitant. non vt corpore circunscribantur:nec enim corporea natura,seu exteriore figura effigiéque diuidi possunt.sed quia intellectu solo peruia præsentia præstò sunt, iussisque obsequuntur.nec vno eodémque momento hic & illic esse & munere suo fungi possunt. An autem pares essentia sint, an verò alij ab aliis differant, nescimus. Solus eorum creator Deus id nouit, cui etiam omnia cognita sunt. Differunt autem alij ab aliis splendore & ordine, siue ordinem seruent

Angeli creati & sanctificati.

Circunscripti.

Indefiniti.

Transfiguratio.

Sanctificatio.

Quatenus circunscribantur.

An essentia pares.

Υποφητικὰς Angelorum τάξεις visides in Cosmurgia describit, quem Sanctandreana Bibliotheca parturit.

ad ſplendorem, ſiue ſplendore potiantur, eúmque alij aliis communicét, vt ordinem conſeruent. Certum eſt autem eos qui ſunt in inferioribus ordinibus & ſplendorem & cognitionem ab iis quaſi per manus accipere, qui ſunt in ſuperioribus. *Fortes.* Fortes præterea ſunt, & parati ad diuinæ voluntatis executionem. confeſtímque paſſim reperiuntur, tanta eſt eorum naturæ celeritas, quocunque diuinus illos nutus amandauerit: *Regionum cuſtodes.* Cuſtodiúntque regiones terræ, gentibus & locis præfecti, pro vt Creatori ipſi placuerit. atque ita res humanas adminiſtrant, nobíſque ſuppetias ferunt. Omnino autem quia ex diuinæ volũtatis & iuſſionis præſcripto, ſupra nos ſunt, Deóque ſemper aſſiſtunt. Inſuper quamuis ad malum vix moueantur, *Mobiles.* non tamen immobiles ſunt. Nunc autem etiam immobiles manent. non natura, ſed gratia, & Dei, qui ſolus bonus eſt, præſidio. *Deum vidẽt.* Deum vident, pro vt eis permittitur, hócque ciborum vice habent. Supra nos ſunt, tanquam incorporei, & ab omni affectione corporea liberi, non tamen impatibiles, *Patibiles.* Solus enim Deus impatibilis. *Transform.* Transformãtur autem in id, quodcunque Dominus Deus iuſſerit, atque ita hominibus apparent, eíſque diuina myſteria reuelant. In cœlo verſantur, vníque rei dant operam, nimirum vt Deum laudent, & diuinæ eius vo-

luntati obſequantur.

Hierarchiæ ſynopſis. Angelos creaturas, non creatores eſſe, contra Sethianos.
Cap. 41.

QVemadmodum autem ſanctiſſimus ille, ſacratiſſimúſque, nécnon in rebus Theologicis exercitatiſſimus Dionyſius Areopagita teſtatur, Theologia omnis, ſeu ſcriptura ſacra, nouem cœleſtes eſſentias expreſſit. Eas diuinus ille rerum ſacrarum adminiſtrator tribus ternariis ordinibus diſtinguit. Atque omnium primum illum eſſe ſtatuit, qui Deum circunſtare ſemper, eíque contiguè & immediatè coniungi fertur. Is ordo eſt τῶν Seraphim ſex alas habentium, & multoculorum Cherubim, denique ſanctiſſimorum Thronorum. Secundum autem Dominationum, Virtutum, & poteſtatum. Tertium & vltimum Principatuum, Archangelorum, & Angelorum eſſe ait.

DIONYS. *Triplex eſſentiarũ cœleſtiũ ternio.* *Seraphim.* *Cherubim.* *Throni.* *Dominationes.* *Virtutes.* *Poteſtates.* *Principatus.* *Archangeli.* *Angeli.*

Iam nonnullis videtur illos ante creaturam omnem conditos fuiſſe, vt Gregorius Theologus ait his verbis. Primum Angelicas & cæleſtes virtutes in animo verſat. Atque cogitatio illa in opus euadit.

NAZIANZ. *Angeli quãdo creati.*

Aliis autem eos poſt primum cœlum conditos fuiſſe placuit. Certè ante crea-

tum hominem conditos nemo non fatetur. Ego verò in Gregorij Theologi sententiam pedibus eo. Siquidem rationi cõsentaneum erat, vt primo loco essentia intellectu prædita crearetur, tum deinde ea quæ sensus particeps est. atque ita demum ex vtraque homo conflaretur. Cæterùm ij qui Angelos essentię cuiuslibet creatores fuisse autumãt, id effutiunt, quòd Pater diabolus eis suggerit. Cùm enim creaturæ sint, creatores non sunt. Qui autem omnia fecit, omnibus prouidet, omnia continet, Deus, is vnus increatus est, qui sub Patris & Filij, & Spiritus Sancti nomine laudibus celebratur, & glorificatur.

Sethiani infra lib. 4 ca. 12.

** De homine. Essentiæ diuisio. Imaginis & similitudinis in Deo differẽtia. Origenis deliramentum.* Cap. 42.

Essentia intellectu prædita.

HVnc ergo in modum Deus essentiam intellectus participem condidit: Angelos, inquam, & omnes cœlestes exercitus. Ii enim dubio procul natura intellectus participe & incorporea præditi sunt. Incorporea, inquam, si cum materiæ crassitudine cõferatur. Nam solus Deus re vera materiei expers & incorporeus est. Deinde verò eam quoque essentiam creauit, quæ sub sensum cadit. Cœlum, inquam, terram, & quæ in eo-

Sensibilis.

rum medio iacēt. Atque illam quidem propriam & familiarem (familiaris enim Deo natura illa est, quæ ratione vtitur, soláque mente comprehenditur.) Hanc verò vndecunque remotissimã, quæ nimirum sub sensum cadat. Iam verò ex vtrisque mixtio quędam efformanda erat, vt esset maioris sapiētiæ & magnificentiæ rerum naturalium specimen & insigne, vt Gregorius Theologus ait, & quasi quædam vtriusque naturæ coniunctio, eius nimirum, quæ visibilis est, & eius quæ non videtur. Par erat, inquam, vt huiusmodi specimine volũtas Creatoris innotesceret. Hæc enim decentissima lex & regula est, ad cuius præscriptum examinanda sunt omnia. Et nemo quidem eò væsaniæ procedet, vt creatorem suum sic interroget. Cur ita me formasti? Potest enim figulus ex luto suo varia vasa fingere, quibus sapientiæ suæ specimen edat. *Mixta.* *Naziamz.* *Volũtas Dei* *Alludit ad locum. D. Pauli. Rom. 9.*

Cùm hæc ita se habeant, ex visibili & inuisibili natura hominem propriis manibus ad imaginem & similitudinem suam creauit. corpore quidem è terra formato, anima verò rationis & intellectus participe ei proprio sufflamine infusa, quodquidem diuinæ imaginis appellatione intelligimus. Illud enim, ad imaginem, vim illam indicat, quæ intellectus particeps liberóq; arbitrio prædita est. Hoc autem, ad similitudinem, vim illam denotat, quæ diuinæ virtutis, quoad *Imago Dei.* *Similitudo Dei.*

eius fieri poteſt, ſimilitudinem refert.

Hominis partes, & priſtinæ qualitates. Spiritus & caro. Cap. 44.

CÆterùm corpus & anima ſimul formata ſunt, non autem illud quidem prius, hæc verò poſterior, vt Origenes deliramentis ſuis voluit. itaq; Deus hominem purum, rectum, fortem, hilarem, ſecurum, nulla nõ virtute ornatum, omnibus bonis abundantem, quaſi quendam mundum ſecundum, in magno paruum: alium Angelum adoratoré, mixtum, earum creaturarum inſpectorem, quæ oculis ſubiiciuntur: earum autem, quæ ſoli cogitationi patent, diſcipulum: regem eorum, quę in terra ſunt: Regi ſuperno ſubditum, terrenum & cœleſtem, mortalem & immortalem, viſibilem & intellectu perceptibilem, medium inter ſublimitatem & humilitatem, eundem & ſpiritum & carnem: carnem quidem, propter extuberationem: ſpiritum verò, propter gratiam: partim vt patiatur, patiénſque commonefiat, & erudiatur, ad ſublimitatem magno ſtudio anniti oportere: partim vt perſeueret, & creatoré beneficũ glorificet: Animal quod hîc quidem, id eſt in pręſenti vita gubernat: aliò autem, hoc eſt in futurum ſeculũ tranſmigrat: tandémque, qui totius myſterij finis eſt, diuino numine Deus euadit. Deus, inquam, quià diuini ſplendoris particeps effi-

Origenes.

μικρόκοσμος

citur:at non in diuinam transit essentiam. Creauit hominem Deus à peccato natura immunem, voluntate liberum. (Immunem à peccato dico,non quia peccati capax non sit:Solus enim Deus peccati capax non est: sed cuius in natura peccatum non esset,imò in voluntate potiùs)siue ita comparatum,vt perseuerare,atque in bono proficere, diuina cooperante gratia,itidémque à bono ad malum,Deo permittente, propter liberum arbitrium,declinare posset. Nec enim virtus est id,quod vi fit.

Homo quatenus peccato obnoxius.

[*De anima,mente, & rebus incorporeis.*]
Cap. 45.

IGitur anima est essentia viuens, simplex, incorporea,cuius propria natura corporeis oculis cerni non potest,immortalis,rationis &intellectus particeps,figura carens: quæ corpore,tanquam instrumento,vtitur, eíque vitam,incrementum, sensum,vímque generatricem suggerit:mentem in seipsa,nō tanquā diuersum quid, sed tanquā purissimā sui partē,complectens(Quod enim oculus in corpore, id mens est in anima) liberi arbitrij,liberæ volūtatis,&actionis:mutabilis seu mutationi vltro obnoxia,quia nimirū creata est.Hęc omnia naturaliter,Creatoris sui gratia & beneficio,accepit, qua quidem gratia illi & quòd est, & quòd ita naturaliter est,obtigit. Iam ea quæ incorporea, &

Animæ definitio.

Mens animæ oculus.

Incorporea.

inuiſibilia, & figuræ expertia ſunt, duobus modis cõſideramus. alia ex eſſentia, alia ex gratia. & illa quidem ita naturaliter compa rata, hæc verò quaſi ad materiæ craſſitudinẽ accedentia. Itaq; in Deo incorporeũ, Natura: in Angelis autẽ, Dæmonibus, & Animis, Gratia dicitur, atq; huiuſmodi, vt cum materiæ craſſitudine affinitatem quandam habeat.

Natura.
Gratia.

[*De corpore, elementis, & humoribus.*]
Cap. 46.

Corporis definitio.

CORpus autem eſt, quod triplici dimenſione conſtat. nimirum longitudine, latitudine, profunditate, & craſſitudine. Cæterùm corpus omne quatuor ex humoribus conflatum eſt. Sciendum eſt elementa quatuor eſſe, terram, ſiccam & frigidam: aquam, frigidam & humidam: aërem, humidum & calidum: ignem, calidum & ſiccum: quibus humores quatuor ex diametro reſpondent. Atra enim bilis, cùm ſicca ſit & frigida, terræ: Pituita frigida & humida, aquæ: ſanguis humidus & calidus, aëri: flaua bilis calida & ſicca, igni velut ex diametro reſpondet.

Elementa. 4

Humores 4. elementis reſpondentes.

Itaque fructus ex elementis, humores autem ex fructibus, animantium denique corpora ex humoribus conflantur, & in eoſdem reſoluuntur. Quicquid enim compoſitum eſt, in illa ipſa ex quibus conſtat, tandem reſolui ſolet.

[*Homini quid cum inanimis, brutis, & intelligentiæ capacibus commune sit.*]

Cap. 47.

SCiendum porrò est, homini aliquid cum rebus inanimis commune esse, eundémque vitæ cum brutis participem, & cum iis quæ ratione vtuntur intelligẽtia præditũ esse. Corpus enim & quatuor elementorũ temperamentum communia cum rebus inanimis habet. Cum plantis verò, præter suprà dicta, has quoq; facultates, nutritiuam, vegetatiuam, & generatiuam, communes experitur. Cum brutis item, præter antè dicta, & hæc auctarij vice eidem accrescunt, appetitus, seu animositas, & concupiscẽtia, deinde sensus, tum demum ad rem concupitam motus. Sensus autem quinque sunt, Visus, olfactus, auditus, gustus, & tactus. Cõcito illo ad rem concupitam motu fit, vt è loco in locum trãseat, toto corpore moueatur, voce & respiratione vtatur. Horũ enim faciendorum vel omittendorum libera facultas insita nobis est. Eius denique partis animæ beneficio, quæ rationis est particeps, naturis incorporeis intelligentiáque præditis cõiungitur, cùm singula perpẽdit, intelligit, & iudicat, cúmque virtutes & in primis pietatem, virtutum Colophonem, amplectitur. Qua etiam de causa homo paruus mundus est.

Inanima.

Plantæ.

Bruta.

Sensus exteriores.

Pietas virtutũ Colophon.

Quæ corpori & animæ propria sint, quæ item vtrique commmnia. Cap. 48.

SCiendum est autem sectionem, fluxum, & mutationem soli corpori conuenire.

Mutatio. Mutatio quidem qualitatis est, nimirum caloris, frigoris, & cæterorum id genus.

Fluxus. Fluxus autem ad vacuitatem referendus. Euacuātur enim ea, quę sicca & humida sunt, atque spiritus: quorum repletione corpus eget. Ex quo fit, vt fames & sitis naturalibus affectionibus accenseantur. Animæ autem pietas & intelligentia propriæ sunt. Virtutes verò & corpori & animæ sunt communes: cùm hę quoque ad animam euehantur, tanquam anima corpore abutatur.

Fames. Sitis. Pietas. Intelligentia

Facultatum animæ diuisio. Cap. 49.

SCiendum est, eam animę partem, quę rationis est particeps, ei præesse, quæ rationis expers est. Siquidem facultas animæ duplex est. Alia enim rationis capax, alia bruta. Iam brutæ facultatis duo sunt genera. Vnū earum, quæ brutæ omnino sunt, nec rationi obediunt: alterum earum, quæ rationi quodāmodo parent. Bruta omnino ea pars est, quæ vitalis & constrictiua dicitur, item generatiua, denique germinatiua, quæ aliàs nutritiua vocatur. Sub qua ea quoq; comprehenditur, quam vegetatiuam vulgus vocat, & quæ corpora efformat. Hæc enim non

λογικόν. ἄλογον. ζωτικόν. σφιγμικόν. σπερματικόν. φυτικόν.

ratione, ſed natura reguntur. Eius autem quæ rationi paret duæ ſunt ſpecies, cupiditas & animoſitas. Cæterùm bruta illa pars animæ vulgò affectatiua & appetitiua dicitur. Sciendum prætereà eſt, ad rationi parentem brutæ facultatis animæ partem illum quoque concitum ad rem optatam motum referri ſolere. *λογικοῦ diuiſio.*

Plura de corpore & anima. De animæ immortalitate & natura, quatenus corpori coniungatur. Cap. 50.

IMmortalitas homini acquiſititia eſt, qui quamuis ſit naturaliter mortalis, animæ tamen præſtantia conſequitur, vt immortalibus aſſideat. Igitur animæ natura, vt quibuſdam placuit, perfecta eius ipſius, & dimenſione carens eſſentia eſt. quæ corpori tanquam currui inſidet. Quia verò vita toti ſufficienda, & ſuis id velut angulis circunſcribendum eſt, ea de cauſa ipſum permeat, hoc eſt diuiditur, & per ſingulas eius partes diffunditur, profundũ eius & ſuperficiem ex æquo animans atque ipſum quidem ſibi ipſi circunſcribit, ei autem ſeipſam certis finibus accommodat.

Homo quomodo immortalis euadat.

Animæ natura.

Anima corporis auriga.

Vnde Virg. Aeneid. 6. totóſque infuſa per artus Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Item de anima. Angelorum & animarum creationis ratio. Cap. 51.

Indiuiduorũ numerus. VNà cum angelicorum quidem ordinũ ſpecie, indiuiduorum quoque numerus in prima illa mundi creatione completus eſſe fertur: animarum autem numerus à *Verbũ Dei.* creatore Verbo (cui nihil futurum aut venturum eſt, ſed omnia perſpicuam naturam adepta ſunt) productus quidem eſſe perhibetur, at nõ vnà cum rerum vniuerſitate depromptus, imò illæ ex nihilo creatæ, & eorum, qui à mundi primordio ad hunc vſque diem vixerunt, corporibus infuſæ fuiſſe, atque in dies infundi feruntur.

Item de anima. Triplex animæ affectio triplicem quoque hominem facit. Cap. 52.

TRiplex porrò eſt animæ affectio, Siquidem quod in illa ſummum eſt, & cum rebus quæ intellectu percipiuntur, cognationem habet, νόησις ſeu intelligentia nominatur. quod verò extremum, & tãquam eorum quæ ſub ſenſum cadunt, ſenſus communis beneficio, gnomon & regula eſt, δόξα, ſeu opinio, dicitur. quod denique inter medium eſt, atque ita comparatum, vt modò ſurſum, modò deorſum feratur, διάνοια, ſeu cogitatio, dicta eſt.

Atque his finibus homo, ſeu hominis opinio,

nio, expatiatur, túmque demum animal euadit. Cogitatio enim multiplex quædam natura est. Intelligentia verò diuinitatis est particeps. Cùm enim cupiditas multiceps quoddam animal, animositas autem leonina sit: ratio sola hominem verum cōstituit, quo tamē alius quoque diuinior homo veriórque deprehēditur, quisquis νοερὸς, seu intelligentiæ capax est, quē αὐτοάνθρωπον hoc est ipsum seu perfectum hominem ij vocāt, qui formarum speculationibus addicti sunt. Homo itaque triplex est. Vnus quidem νοερὸς intelligentiæ capax, ísque vniformis. Alter verò λογικὸς rationis particeps, ísque tripertitus & triplici facultate præditus. Tertius denique αἰσθητικὸς, sensibus addictus, ísque multiformis & varius. Id porrò, quod ratiocinatur & contemplatur, nos ipsi sumus. Nec enim quicquam inter nos & animam discriminis est.

Cogitatio. *Intelligētia.* *Cupiditas.* *Animositas.* *Ratio.* *Homo triplex.* *Hunc Virg. describit epi. de viro bono.*

De mente & anima. [Græcorum aliquot Philosophorum de anima & corporis coniunctione sententia.] Cap. 53.

EX sapientum Græcorum numero Plato quidem & Aristoteles animam corpore tanquam instrumento vti censent. Decet enim, inquit Aristoteles, vt ars suis instrumētis, anima autem corpore vtatur. Peripatetici verò Philosophi illam non secus atque

Plato. *Aristot.* *Peripat.*

formam materia constantem corpori commiscent & implicant.

Cleanthes. Cleanthes illam etiam corpus esse demõstrat. quæ tamen aliquando ab eo quod sub aspectum cadit separari queat.

Plotinus. Plotinus autem illam ad corporis affectiones subeundas haudquaquam adigi autor est, quandoquidẽ nec vllo vnquam fieri modo queat, vt artifex instrumentorum affectiones induat. Necesse autem est, ait, vt sensu vtatur. Quod enim corpore agit, à sensu adiuuatur. vt eius beneficio externa & aduẽtitia cognoscat. Iam si anima incorporea est, illam corporeæ affectiones haudquaquam penetrabunt: quòd si veniant, haudquaquam in eius essentiam, sed tantùm in facultates & actiones eius venient.

De anima. Misceri quæ dicantur, & quomodo anima corpori commisceatur.

Cap. 54.

MIsceri dicuntur ea, quę commiscentur & confunduntur inter se, vt res humidæ, vel implicitæ, vt aër & lumen, vel vt forma, quæ à materia separari nõ potest. Quòd si se vel tantillùm contingant, essentia quidem separantur, actionibus verò cõmiscentur. Quæ res Aristotelem quoque permouit, vt duplicem animam esse diceret: vnam quidem, quæ à corpore separetur, alterã verò quæ in corpore subsistat. Ea porrò animę forma, quæ corpori inest, instrumenti vicẽ

Aristot. Anima duplex.

gerit, quo ad ſuperiorem animam regia facultate præditam ſubuehatur. Cęterùm anima quæ corpori ineſt, haudquaquam ſub ſenſum cadit. ſiquidem corpori commixta eſt. ſed ipſum corpus animatum. Corpus enim animæ beneficio ſenſus, appetitus, & cæterarum affectionum particeps eſt.

Plato autem veram animæ eſſentiam à ſeipſa dependere ſcribit. Quod enim in alio ſubſiſtit, id eſſentialis qualitatis formam, nõ autem eſſentiam appellat. *Plato. ποιότης οὐσιώδης.*

De anima. An anima ſit patibilis. Cap. 55.

QVæ corpori ineſt anima, aut corpore tanquam inſtrumento vtitur, aut ab illo inſeparabilis eſt. Iam ſi prius admittatur, haudquaquam ad corporeas affectiones ſubeundas anima cogitur. ſin à corpore ſeparari non poteſt, vel illi commixta vel implicita eſt, fieri nõ poteſt, vt impatibilis maneat, ſi corpus mali quid patiatur. Quemadmodum, verbi gratia, mutato aëre, lumen non moueri non poteſt. Iam ſi anima forma ſit materialis, vtrunque certè coniunctum aget, & patietur, anima verò non item. Nam nec in ſecuri figura ſolum ſecat, ſed totum corpus ſimul, ferrum ſcilicet ita efformatũ. Sinautem anima forma ſit materiæ expers, fieri non poteſt, vt affectiones & cognitiones huiuſmodi admittat, quibus corporis

interuentu obnoxia esse solet. Affectiones porrò, vel sensus quidam sunt, vel saltē sensu non carent.

De anima. Affectiones animæ ab eius essentia colligi, non contrà. Cap. 56.

Quæstio τί ἐστι. IN Mathematis quidem, seu disciplinis, certò cōstat, quęstionem, quid est, de singulis efferri: quia nimirum iis quæ definiūtur, vel quantitates aliquot, vel qualitates elucescunt. quæ quidem sensu vel phantasia apprehendi possunt. Quotquot verò essentiæ sunt, quæ rationis & mentis speculationi patent, haudquaquam per seipsas manifestę sunt iis quæ sensibilia sunt. sed ex iis quæ sibi accidunt ea differentia procedit, quæ in eis deprehenditur. Qui quidem modus in anima necessarius est, atque demonstratio, qua ex eo quod quid est accidentia colligūtur, nō autem è cōuerso ab his ad essentiam recurritur.

Affectiones animæ quæ. Animæ porrò affectiones, non simpliciter omnis eius actio est, sed patientis tantùm, atque extra seipsam euagantis. Et omnis quidem anima extrariarum rerum sensu afficitur, at non omnis à corpore separabilis est. Omnes enim sensus & phantasiæ absque corpore non fiunt. Quocirca ne anima quidem eorū passioni obnoxia, vllo modo separari potest. Propriæ enim, quasique domesticæ in essentiis actiones esse videntur.

Item de anima. Expositio dicti Mosaïci, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cap. 57.

QVænam, quæso, finitio similis est huic Mosaïco, tãquam in Dei persona, pronunciato, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram? siquidem Angeli simplicis naturæ sunt, & absolutam perfectionem gratis adepti sunt: nec enim aptitudinem actionibus vacuam acceperũt. neque sermonem illũ, qui nobis naturalis est, & quo ad similitudinem mouemur, actioni suæ præstruunt, quandoquidem longè excellentiùs quàm nos diuinam formã imaginémque referunt. qua fit, vt nõ quemadmodum solemus, ex imperfectione ad perfectionem progrediantur, pro modulo virtutis, quæ animæ insita sit, ad rationem diuinæ illius similitudinis consequendam. Legislator autem animã ad imaginem Dei creatã esse ait, eadẽ prorsus ratione, qua Pictor aliquis imaginem aliquam ad exẽplaris formã effingere dicitur. estq; hoc & dicitur prima imago, atq; immediatũ, vt ita dicã, spectãdi archetypi seu exemplaris idolum. Est verò alia quoque similitudo, nimirum secunda imaginis imitatio. Quocirca illa quidem exemplaris, hæc verò imaginis imago dicetur. Eadem ergo ratione Deus quoque animæ archetypum est, rationibus quibusdã ineffabilibus, vt author est Moses, anima autẽ cor-

Gene. 1.
Angeli.
προκοπή.
Pictor.
Imago prima exemplaris, secunda imaginis.
De anima, anima corporis archetypũ

poris. Etſi enim expers materiæ anima eſt, corpus autem materiale & compoſitum, anima tamen, vt quibuſdam placuit, medium quiddam eſt inter inſeparabilem illam, & eodem ſe modo ſemper habentem eſſentiam, atque eam, quæ per corpora diffunditur. Et mens quidem propriè eſſentia eſt, quæ diuiſionem non recipit. corpora verò generationi & corruptioni obnoxia ſunt. diuiſionémque & diſſectionem omnibus ſuis in partibus admittunt. Anima denique neque menti, neque corpori ſimilis eſt. ſed mente quidem inferior, corpore autem ſuperior. quia nõ ita naturaliter diuiſioni obnoxia eſt. Quia verò ad corpus inclinat, neceſſe eſt, vt vna cum illo diſſectionem diuiſionémque recipiat. Quocirca cùm ne anima quidem ſit diuiſionis expers, fit vt corporis non minùs imago ſit, quàm mens eius imago eſt.

Anima inter mentẽ & corpus media.

Mens.

Animam corporis, corpúſque vice verſa animæ idolum eſſe. *Cap.* 58.

IAm ſi animæ à quibuſdam corporũ idola dictæ ſint, ex hoc inferre quiſpiam poterit, ab animis imaginatiuis corporearum formarum impreſſiones, vi eorum quæ ſub aſpectum cadunt, recipi. Corpus enim figura rectum, tactu durum, colore album, graue deniq; & aſperum eſt, nec ita comparatum,

Corpus.

vt in aëre volitet. Idolum autem tenebricosum,& vmbræ persimile est, ídque adeò quod quale sit vix coniicias. Quæ res Platonem quoque mouit, vt spectra illa vmbratilia, quæ in sepulcris apparent, animas corporum amantes nominauerit, quippe quæ ne tum quidem, cùm ab hoc mundo digressæ sint, ad purum lumen reuertantur. sed etiam tum circa corpora versentur, quæ quidem seruilium voluptatum illecebris captæ in primis amarunt. Corpus porrò Idolum quoque animæ dictum est. quia quod illi oculus, huic mens: quod illi tactus, huic vis illa est, qua rerum veritas exquiritur. quamuis hæc gentium dogmata maiore sui ex parte redoleant. quemadmodum & cùm duæ idolorum naturæ rationali animæ attexuntur: quorum vnum ei ab æterno cohæreat, quod quidē nihil aliud est, quàm corpus illud, quod vulgò diuinum dicitur: quod simul atque subiit anima, crassiori denuò parti adhæret, quamquidem à cælesti astrorum dispositione, vt ita dicam, acceptam ipsi tanquam centro appingunt, eámque tunc demum formā animæ rationis expertem vocant, ex qua nimirum opinio, sensus, phantasia, eorum deniq; generādorum, quæ sub generationem cadunt, appetitus procedit. Nec enim eidem naturæ vnius contemplationē, primas notiones, exactásque scientias, vnà cum falsis opinionibus, &

Idolum.

Plato.

σκιοειδῆ φάσματα, ψυχαὶ φιλοσώματοι.

δύναμις ἐξεταστική.

Rationalis animæ idola duo infra lib. 4. cap. 31. contra Orig.

Corpus diuinum.

Bruta pars animæ.

eorum quę sensu prędita sunt apprehensionibus, nimirum phantastica facultate, rerúque deteriorum actione tribuunt, imò verò quæ præstantiora sunt, ea rationali: quæ verò deteriora, ea parti rationis experti accensent. non vt maculas aut labeculas vllas hac distributione à diuiniore natura abstergát, sed vt illa necessariis fungente muneribus, hæc ad ea tantùm se conuertat, quæ propiùs ad naturá diuiná accedút. Hoc igitur Idolum ea propter ab anima rationis participe separari non posse docent. homine autem dissoluto præstantiorem animam vnà cum luminoso vehiculo ad propriam quietem subuehunt. irrationalem verò à corpore separatam vel ad inferos detrudunt, vel inter astra referunt.

λογικόν. *ἄλογον.*

De animarum in alia corpora transfusionibus. *Cap. 59.*

Infra in fine tractatus. De animarũ in corpora ingressu.

Idem porrò qui animarum *προγένεσιαν* seu præexistentiam docuerunt earundem quoque *μεταγγισμοὺς* seu elutriationes, & quasi è vase vno in aliud vas transfusiones commenti sunt. Est autem *μεταγγισμὸς* seu elutriatio, cùm vna & eadé anima ex humano egressa corpore, corpus in aliud transmigrat: atque aliquandò etiam volatilium quadrupedúmque corpora subit.

[De luminosa & tenebricosa animæ natura.]
Cap. 60.

QVidam verò duplicem quoque animarum naturam esse dixerunt, vnam quidem luminosam, alteram verò tenebricosam. Et hanc quidem infernè scaturire, atque subterraneis ex meatibus exilire: illam verò è cœli vertice accensam demitti, vt terrenum hoc corporis domicilium exornet. Quæ quidem descendens cauere iubetur, ne dum corpus hoc informe & confusum informare & exornare contendit, ipsa dedecore & confusione impleatur. atque ita eadem posteà via refluere, & in primum propriúmque fontem refundi nequeat, sed ad subterraneos illos meatus alteri animæ cognatos transuersa rapiatur,

Liuor vbi, atque odium, species & mille malorum
Errant tartareæ pratis in tristibus Ates.

Ex quo etiam sæpè contingit, vt iisdem progn ati parentibus, ne animarum quidem cognatione inter se conueniant. sed alter præstantioris animæ rationi pareat, alter quò deterioris rapit impetus, eò præceps ruat. atque sic alter bonis actionibus, alter malis inuigilet. Cùm Afer contrà eadem animi propensione cum Græco homine facilè cōueniat.

Ex Synesio lib 1. de prouidētia, infra lib 4. ca. [26. in fi. confut.] Enchir.

Quid animæ in corpus descendēti præcipiatur.

Vt ei merito illud Horat. occini queat. Macra cauū repetas arctū quem macra subisti.

Vt Abel & Cain, Iacob & Esau, in sacris Bibl. Typhos & Osiris apud Synesium.

** Item de anima. Variæ Ethnicorum & Christianorum sententiæ.* Cap. 61

Anima sanguis.
vnde Sibillia initio lib. I. μετώπων αὐγὰς, &c. vocat.

NOn defuerũt, qui animam sanguinem illum esse dicerent, quo viuimus. Alij quoq; Spiritum illum esse rati sunt, qui nobis ab initio vnà cum seminis parentum emissione insitus est. ex quo calor etiam exoritur. Quia enim aliquo corporum natura egebat, à quo animaretur, & calorem susciperet, iccircò natura illum aspiratione & respiratione donauit, sanguiníque animanti introitum & exitum præstruxit. Hic itaque Spiritus corpora permeat, constituit, corrũpit, vnáque cum illis deperditur.

Vt Origenes. Insufflatio diuina.

Ex nostræ verò religionis hominibus, alij essentialem animæ causam primæ illi diuinæque insufflationi adscripserunt, atque hominum corporibus, quo tempore creantur, infundi dixerunt. Alij animam per se subsistentem corpori concurrere putarunt. ita vt neque corpus per se constituatur, nec anima corpore prior existat. Eandem porrò duplicem asseruerunt, cuius pars vna rationis particeps, altera expers sit. Eam partem, quæ rationis expers est, in animosam & cupidam diuiserunt. Atque eam quidem partem, quæ rationis est particeps, in pectore sedem habere: eam verò, quæ ratione caret, per vniuersam corporis cõpagem diffundi affirmarunt. At verò ἡγεμονικὸν quoque ipsum, siue præstantissimã animæ partẽ Pla-

Plato.

to quidē & Democritus ſedē in toto capite habere dixerunt, alij in μεσοφρύῳ ſeu ſuperciliorū meditullio, alij circa cerebri meningem, quæ vulgò pia mater: alióque nomine ἐπικρανὶς ſeu cerebellū appellatur. Quidā etiā in cerebri ventre. Nec defuerūt, qui toti pectori, totiq; cordi, vel Spiritui cor ambienti, & ſanguinis craſſitudini adſcriberēt. Alij in præcordiis illam ſtatuerūt. Aliis à vitali eius facultate, cor ambiri, caput autem à rationali & intellectuali placuit. *Democri.*

[*De animæ immortalitate. Quid Ethnicis, quid Chriſtianis placuerit.* *Cap. 62.*

IAm verò animæ immortalitatem nōnulli adprobarūt, eámque corpore digreſſam ad ipſius vniuerſitatis animam, tanquā ſibi cognatam redire dixerunt. Alij contrà corruptioni obnoxiā, vnáq; cū corpore interire maluerūt. Aliis eā eius partem, quæ rationis eſt particeps, immortalē: quæ verò rationis expers eſt, mortalē eſſe placuit. Noſtrorū autem ſeu Chriſtianorū Philoſophorum ex animæ actionibus alias citra vllum corporis obſequiū agere (ſiquidē mens, cogitatio, & phantaſia, vel quieto corpore operantur) alias verò corporis obſequio egere dixerunt. Senſus enim abſque iis, quæ ſub ſenſum cadunt, agere non poteſt. Sed quodam modo compatitur, & ea corpori conciliat. Vnde fit vt ſæpenumerò typi quidam & characteres obſcuri eorum, quæ ſinguli *Vt Thnetopſychitæ infra lib. 4. ca. 42.* *Typi bonorū operum poſt mortem impreſſi animæ manent.*

hac in vita piè & ex religionis præscripto egerunt, animæ, posteà quàm à corpore separata est, impressi, & velut insculpti supersint. Quia nimirum affectiones illę, quę sensui subiiciuntur, communes animæ corporique sunt.

Nyssen. Beatus quoque Nyssenus ille Gregorius ei animæ facultati, qua recordamur, signa corporis, tãquam sigillum ceræ impressum, inhærere post mortem author est, iccircò

Luc. 16. etiam Diues Lazarum cognoscit, & id quidem meritò. Nam si brutis in animantibus,

Agni recèns nati. tãtas natura vires suas esse ostẽdit, vt agnella recèns nata multos alieni lactis fontes prætereat, dum ad matris vbera perueniat. non poterit naturæ cõditor huius miraculi prærogatiuam ratione præditis animantibus concedere, animæque & corpori coniugibus hoc largiri, vt concurrant & coniungantur.

** De mente. Intelligentia quomodo animæ & menti insit. Cap. 63.*

INtelligentię quidem capax anima est, intelligentiæ capax ipsa quoque mens. hæc

Mens. quidem ex sui essentia, illa verò participatione. Mens enim hoc priuilegio donata est, vt & intelligentiæ particeps, & mens

Anima. sit. Quod vnum & idem est. Anima verò intelligentiæ capax ad mentem respicit, &

quasi secundario intellectu prædita est, qui menti primarius est, atque adeò ex mentis participatione intelligentiæ capax esse dicitur, quod beneficium ex sui essentia mens habet. Itaque intelligentiæ capax est anima, mentis participatione. Cùm enim anima intelligit, & mens in nobis operatur, tunc demum anima intelligentiæ capax & particeps efficitur. Animæ autem nostræ illa singularis mens præest, quæ pars quoque nostri dicitur. cuius nimirum nos priuatim participes sumus. Continuò enim ad illam ascēdimus, eiúsque beneficio ad vniuersam mentem conuertimur. & in ea tandem perficimur.

** De mente & anima. & vtriusque formis, earúmque differentiis. Cap. 64.*

FOrmas duobus modis habemus, in anima quidem quasi subuolantes, quasique separatas. in mente verò simul omnes.

Mens autem alia est participatione, quæ rectiùs ἔλλαμψις νοερὰ seu illuminatio intellectualis appellatur. alia verò essentialis. Iam mens quæ participatione constat, ea est quæ animę communicatur. Nihil autē aliud est, quàm habitus ad ea bona præstāda, quæ menti ex officio conueniunt. Mens autem essentialis duplex est, vna quidem quę com-

municari non poteſt,altera quæ poteſt.quæ quidem particularis appellari ſolet.

Mentis eſſentialis diuiſio.

Hæc porrò mens communis & priuata nobis ineſt:communis quidem, tanquã vna & indiuidua. priuata verò, quatenus tota ſingulis ineſt. Atque animales quidem formę eſſentiam noſtram complent. Mentales verò perfectionem nobis & ornatum adferunt. quin & mentales quidem coniunctæ ſunt, animales verò diuiſionem recipiunt. Cæterùm vi eius naturæ, quæ intelligentiæ particeps eſt, Deus nobis, tanquam auriga currui ſuo,inſidet.

Communis. Priuata. Deus hominis auriga.

* *De virtutibus.& earum triplici ordine, Cap. 65.*

IAm verò,quia virtutes ad mentem& animam referuntur, de iis pauca etiam tractanda ſunt.

Virtutum triplex eſt ordo. Aliæ enim hominem, hoc eſt animam cum corpore ornant. Aliæ à corpore animam purgant, & ad ſeipſam reuocant, quæ quidem purgatiuæ dicuntur. Aliæ animam perfectè purgatam in rerum quæ intellectu percipiuntur contemplatione exercent, quæ quidem cõtemplatiuæ atque intellectuales appellãtur. Et alia quidem Dei,alia Angeli, alia hominis virtus eſt. Quemadmodum enim variæ

Virtutũ triplex ordo. Ornatus. Purgatio. Contemplatio.

sunt eorum essentiæ, ita & virtutes variæ. Atque anima quidem propriè rationalis est, & dicitur. Mens autem id quod animæ præest. Rationalem porrò animam irrationalis anima, ipsúmque animæ idolum subsequitur. Iam per omnes Angelorum ordines virtus diffunditur, quæ ἀπὸ τῶν Seraphim incipit. Deus autem supra virtutem, omne bonum, omnémque perfectionem supereminet. *Anima.* *Mens.* *Angelorum virtutes.*

** Item de virtutibus. Et sex gradibus earum. Cap. 66.*

VIrtutum gradus sex esse perhibentur. Alia enim virtus naturalis est, quæ quidem inferis quoque deprehenditur. Alia moralis, qua imperitorum quoque nonnulli prædití sunt. Alia ciuilis, quæ ratione & prudentia Rempublicam moderatur. Alia purgatiua, quæ hominem ab omni affectione perturbationéve purgat. Alia contemplatiua, quæ mentem contemplatur. Alia deificatiua, quæ diuiniorum animæ nostræ partem excitat, & cum ipso Deo coniungit. atque diuinum furorem immittit. Sunt verò aliæ quoque his superiores virtutes. Aliæ quidem tanquam reliquarum virtutum exemplar. aliæ essentiam omnem transcendunt. quæ quidem nõ sunt *Sex Gradus virtutum.* *φυσική.* *ἠθική.* *πολιτική.* *καθαρτική.* *θεωρητική.* *θεουργική.*

accidentia, quemadmodum cæterę virtutes nobis accidere solent. sed intellectuales, atque superessentiales essentiæ.

** De virtutibus, quibus homo perfectus euadit. Cap. 67,*

TRes sunt virtutes, quibus homo perfectus euadit: Sanctitas, quæ ad Deum ascendere contendit. quasi hominis vitā Deo consecrans; Altera Iustitia, quę rebus necessariis prouidet: Tertia prudentia, quæ nobis ipsis vitam intelligentiæ participem accōmodare studet. Nam sanctitate cum vno atque cum Deo coniungimur: Iustitia verò iis prouidemus, quæ inferiora sunt: Prudentia denique scientiam ineffabilem cōsequimur. Iam Moralis virtus à prudentia exoritur. nec actione, sed longo rerum vsu comparatur. Ea porrò virtutis diuinitas est, vt omnia quæ sunt in rerum natura permeet. Est enim super cœlestis, super mundana, & mundana virtus. Item intellectualis, animalis, Angelica, & humana.

Ethices origo.

Alia virtutis diuisio.

Est verò virtutibus suus quasi fons, cuius tum demum participes efficimur, cùm particulari intelligentia longùm valere iussa, perfectissimè, virtutes omnes exequimur.

De vir-

** De virtutibus, & earum finibus μετριοπάθεια & ἀπάθεια. Cap. 68.*

CIuilium quidem virtutum, seu exteriora hominis exornãtium μετριοπάθεια, seu affectionum modus, finis est, quæ quidẽ ad humanam societatem, quæ à damno vicinis inferendo cauet, tanquam ad scopum respicientes, à congregatione mutuáque beneuolentia ciuiles dicuntur. Purgatiuarum autem virtutum finis ἀπάθεια, seu impatibilitas. Contemplatiuarum porrò Dei assimilatio. Atque alio quidem modo temperantia, prudentia, fortitudo, & iustitia in virtutibus ciuilibus, alio in purgatiuis, alio denique in contemplatiuis consideratur. Rerũ enim subiectarum modi, virtutum quoque facultates nominantur. Et qui maioribus præditus est virtutibus, idem & minoribus præditus est. Qui verò minoribus caret, idẽ maioribus quoque caret, nisi ad illas proficiendo ascendat.

Politicarum virtutum. ἔτυμον. ἡ πρὸς θεὸν ὁμοίωσις.

** De virtutibus. Deo similes variis modis efficimur. Cap. 69.*

NOn vna eadémque numero Dei similitudo est; imò diuersæ sunt. Illi enim similes euadimus & ciuilium beneficio virtutum, sed obscuriùs atque tenebricosiùs. Purgatiuarum quoque beneficio similes illi efficimur, sed expressiùs. Contemplatiuæ in-

ſuper nos ei ſimiles efficiũt, ſed etiã clariùs. Deificatiuis deniq; virtutibus Deo ſimiles efficimur, per quas verè demùm prętſtãtiorẽ Dei ſimilitudinem conſequimur. Animarũ enim expiatio, & eorum quæ ſunt contemplatio, non omni ex parte Deo ſunt ſimiles. Ille enim expiationem omnem & contemplationem exuperat. Sed facultas illa, quæ hominẽ deificat, materiæ ſubducit, atque ab affectibus ita liberat, vt alterum eadem deificatione præſtare poſſi t, illa, inquã perfectiſſima Dei ſimilitudo eſt. Ait enim Deus in Euangeliis. Qui ſeparat precioſum à vili, quaſi os meum erit. Viden' quomodo deificatiuæ virtuti veriſſimam Dei ſimilitudinem aſcripſit? ſed præclarè nobiſcum agatur, ſi nos ipſos virtutibus ciuilibus exornare poſſimus.

Nicetæ conſilium.

Dei ſimilitudo perfectiſſima.

*Item de anima. Cap. 70.

ANima rationalis eſt eſſentia tenuis, materię & formę expers, typus & imago Dei. Anima porrò à Græcis ψυχὴ dicitur, διὰ τὸ ψύχειν, ἤτοι διὰ τῆς οἰκείας ἐνεργείας ζωοποιεῖν τὸ σῶμα, hoc eſt, propterea quòd corpus refrigeret, propriáque actione viuificet. Anima irrationalis eſt materia conſtans actio, quæ Spiritus beneficio ſanguini vitam, calorem, & motum ſuppeditat. Vita autem animalis eſt facultas mate-

ἄλογος.

...υή.

rialis actiua & sensitiua, qua corpus constat. Mens rationalis sensus ille, quo animam immortalem & intelligentiæ participem contemplamur. Item, Mens est incorporea visio, quæ citra laborem omnia quæ sunt in rerum natura discurrit. νοῦς.

** De animarum in corpora insinuatione. Philosophiæ difficillima quæque facilia sunt. Cap. 71.*

MOdus quo animæ in corpora insinuãtur, perinde atque is, quo hinc eædem à corporibus dissoluuntur aut separantur, & ambiguitatis refertissimus, & cognitu difficillimus est. Quónam enim modo prima illa elementorum temperamenta in nobis ipsis coierint, nemo est omnium, qui meminerit. Prætereà illa singulorum animantium dissolutio futuris, necdum factis, rebus accensetur. Quî fieri ergo potest, vt eorum ratio à quoquam reddatur, quorum nec meminit, nec periculum fecit? Verumenimuerò quia nihil tam arduum est, quod Philosophia improbo labore non euincat, imò verò ei dictu facilia sunt, quæ aliàs ineffabilia: & explicatu facillima, quæ intricata maximè perplexáque videntur, iccircò ab illa eorum de quibus addubitas solutiones tibi mutuandæ sunt. *Philosophiæ vis.*

Quatuor exemplis animarum in corpora insinuatio demonstratur. Cap. 72.

ITaque (vt hoc primò expediamus) insinuationem illam animarum in corpora caue corpoream existimes. aut animam quę supernè demittitur, necessariò ad corpus applicari, aut diuturno in id motu inspirari, aut infernè trahi aspirari ve, aut ex aëre rapi, aut per narium, vel corporis, vel etiam incertos alios quosdam meatus, non secus atque per quasdam fores, ingredi putes. Nec illa hominis agitatio similia similibus aggerens, animas in corpora detrudit. Nec cœlestis influxio ab Oriente procedens, easdem vrget, intrò ve pellit. nec enim anima tanquam ex apostemate, aut secessu, neque circuitione, neque se paulatim mouendo ad corpus appellit, eíque coniungitur. Sed (vt rem exemplis illustrem) quemadmodum è nihilo progressus ad rerum naturam fieri solet, ita etiam illa cõferta simul & sine motu procedit:

Exemplũ cũcta ex nihilo.

Et quemadmodùm à Solis ortu cuncta sine vlla mora illustrantur, & in primis aër, qui nos ambit: Quemadmodũ item chordæ in fidibus suo loco dispositæ, etiam si paulò longiùs remotæ sint, vnà tamen cum aliis mouentur, concentúsque participes fiunt: Quemadmodum denique Phthas ille qui dicitur, seu Vulcanus, ita igne succendi-

Exemplum. Solis ortus. Exemplum. Chordæ fidiũ

Exemplum. Phthas.

tur, vt intermedius aër non exardeſcat: ita etiam corpus confertim & ſimul ab anima ſuccenditur,& illuſtratur. Atque facultatibus eius repletur,& iis quibus rerum cognitionem adipiſcatur, & iis quibus ſibi ſimile progeneret. *Animæ facultates.*

Nec verò illa paulatim per corporis mẽbra diffunditur,neque cor primum aut hepar,aut cerebrum occupat,indéque per cæteras partes diffluit: Sed ſimul vniuerſum amplectitur,& cõferto lumine illuſtrat.Cęterùm vincula quibus corpori alligatur,hęc ſunt.Harmonicæ rationes,&formarum decrementa. quibus fit, vt & vniuerſa, & ſingularis natura, deinde ipſe quoque ſermo enuntiatiuus, animo conceptus, & perfectus,adhæc ipſa formæ cõtinuitas, vnà cum corporis aptitudine validioribus cedentis facultatibus,non parum in dies imminuantur.In ipſo porrò concurſu operantur Angelorum præfecturæ, quæ ſimul omnes animam cum corpore diſponunt, & conſeruant: *Animæ vincula quibus corpori alligatur.* *Angeli.*

De animarum,præſertim ſanctarum,à corporibus egreſſu. Cap. 73.

ATque hic quidem modus eſt, quo animæ in corpora inſinuantur.Supereſt,vt eum quoque adiiciam, quo tandem à corporibus excedunt.Angelus itaque,vt aiunt,

cui quidē animæ custodia diuinitus demādata est, dissolutionis occasione accepta, illam intellectuali lumine ineffabiliter illustrat, móxque defetiscente corpore, nec iam illius capace (quia nimirum pristinus ille concentus iam dissolutus est, harmonicæq; rationes se paulatim subduxerunt) in vnū congerit, & ad sibi cognatam lucem retrahit. Atque ab hac caligine materiali ereptam prælucida materia impertit, ignéque diuino replet. Nec verò tibi nunc quænam mea de variarum animarum exitu sententia sit, edisseram: sed eam, quæ optima videtur, accuratiùs examinabo. Quemadmodum ergo comprehensim & cumulatè concursus animæ corporísque fit, ita etiam disiunctio. Ita vt animam circunscribi non omnino posse, aut omni prorsus motu carere, vix certò asserere ausim, quamuis eam impartibilem, citò discedere, nec illi, siue ascendat, siue descendat, vlla temporis dimensione opus esse, diffitear.

Mors corporalis.

An anima circunscribatur.

De corporis in vtero formatione quid nostri, quid externi Philosophi senserint.
Cap. 74.

IAm vtrum mauis tibi respondeam, quænam Sanctorum, qui nostra de religione Philosophati sunt, sententia fuerit, an verò quid Græci censuerint? Nec enim com-

mune vllum dogma ſuper quæſtione propoſita, vel ab Apoſtolis traditum, vel ab vllis aliis Diuis Patribus accepimus, quantùm ex illorum ſcriptis colligere poſſum. Noſtrorum ergo nonnulli, qui ea quæ ſublimiora videntur ſagaciori perſecuti ſunt indagine, ſemen animari, cùm primùm vuluæ iniectum eſt, conſtanter aſſerere non addubitarunt. Ita vt partium neutra compoſitionem aut præcedat, aut ſubſequatur. *Theologi.*

Gręcorum autem ſapientum nonnullis embryones, ſeu imperfectos in vtero fœtus ſtatim ab illa informi ſua forma animari placuit. Aliis eoſdem tunc animari viſum eſt, cùm iam iam in ventre mouendi eſſent. Aliis item, cùm à vulua diuellerentur, & iam ad lapſum partúm ve diſponerentur. Qui denique rem oculatiùs & penitiùs rimati ſunt, eos ſtatim à partu participes animę rationalis effici dixerunt, ídque comprehenſim, tanquam ſi diuino accenderentur lumine, aut ad vitam inflammarentùr. Quandiu autem intra vuluę ſepta clauſi, quaſíque obſerati manent, iis vitam quidē, ſed eam naturalē & rationis prorſus expertē ſuppeditari exiſtimarūt, tanquā radice quadam, quę vmbilico innixa ſuū vuluę alimētum ſuggerat: Animalia verò eſſe, nominarí ve debere, inficiati ſunt. cū imperfectiores ſint, quàm qui diuinioris animę capaces eſſe *Philoſophi. Embryo.*

queant. Nec enim rationalis anima volucri similis est, vt in quoduis corpusculũ viuum temerè protrudatur, eiue inhabitet: Sed cùm primùm idoneum, suiq; capax occurrit, ei mox ineffabili concursu cohæret.

Quomodo embryon in vtero moueatur & coalescat Cap. 75.

IAm verò, quî fieri possit, vt viuus embryo in loco humido coalescat? itémque, cùm os ei & nares obturentur & occludandantur, quónam, quæso, modo respiraret, si quis ibi purus aër esset? At animatarum vitarum in illis indicia, vt aiunt, à motibus haudquaquam petenda sunt. Illi enim nec phantasia, nec vlla subiti affectus facultate
Intestina. fiunt: Sed ita mouentur, vt intestinorum inuoluuli, & anfractus suffarcinati: vtque
Cortices. cortices arborum, cùm à truncis diuelluntur.
Plantæ. Quinetiam ipsæ quoque plãtæ crescũt, & excolũtur, earúmque frondes quasi complicantur, túmque demum explicantur,
Lotus. quẽadmodũ Lotus Solis cõuersiõe solet. Postea quàm verò vulua emissus, & ab illa radices auulsus fuerit, sine vlla mora & confestim rationalis animæ particeps efficitur, purúmque deinceps animal euadit.

De anima rationis participe: Quomodo corpori coniungatur, eique præsit. Cap. 76.

RAtionis particeps anima nō miſcetur: Huiuſmodi enim concurſus corporibus conueniunt. ſed ne corpus quidem inſtar formæ materia conſtantis informat: ita enim ſuos ipſa limites excederet, totáque corpori addiceretur, atq; alieno egeret fundamento. at ne ſic quidem corpori præeſt, quemadmodum auriga currui, vel gubernator naui. ita enim partem illā animaret, cui inſideret, ea verò cui minùs inſideret, in anima ſupereſſet. Tametſi autem eorum nonnulli, qui Philoſophicis in rebus excelluerunt, imperium illud, quod anima in corpus exercet, aurigæ & gubernatori ſimile finxerunt, non id tamen voluērunt. ſed hæc duo propoſuerunt, vt eſſentiam animæ à corpore ſeparari poſſe appoſitis exemplis indicarent, quæ nec vnà cum ſeminis eiaculationē conſeratur, ſed tandem abſoluto inſtrumēto, naturáque diſpoſita, familiaris illi, quaſique domeſtica fiat, & adhæreſcat. Ita enim ipſe quoque auriga vehiculum conſcendit, & nauem gubernator ingreditur. *Auriga & currus.*

Quænam eſt igitur animæ cum corpore coniunctio? Inſtrumenti nimirum ad illam aptitudo & ſimilitudo, quæ tunc apparet, cùm propria huius vita in illo eluceſcit. ſecunda, inquam, vitæ coniunctio, itémque

rationum concentus &accurata proportio. Ipsa enim sua ipsius vi subsistit, quemadmodum solaris globus, non extra corpus euagatur, sed incredibili ratione in eo cõtinetur, ei verò vi radiorum ab eo ipso procedentiũ cohæret. qui, etiamsi corpus ipsum dissecetur, aut aliud quid grauius patiatur, insecabiles tamen impatibiléſque manent.

Solis globus.

Quemadmodum etiam aëre ventorum flatibus concitato & mutato, lumen Solis, quo illustratur, neque sectioni, neque fluxui, neque mutationi obnoxium est.

Aer vento concitatus.

[De animarum in integrum restitutione, quæ Angelorum ministerio fit. Cap.77.

QVemadmodum facultates anima corpori coniuncta præstantiores eius vitę pręſunt, & posteà quàm idonea generationi effecta est, à Deo mittuntur, vt eius curam gerant: ita etiam cùm primùm à corpore separata est, aliæ prioribus meliores sursum euehunt, hoc obsequium creaturæ præstãtes, & administræ restitutionum in integrum statum, qui vnicuique animæ conueniat.

Angeli.

Nęc verò anima ab huiusmodi facultatibus ita agitur, tãquam forma quæpiam, quæ aliena vi concitetur, quæque pro libidine hũc & illuc sine discrimine distrahi possit: imò verò tunc temporis vis illa in anima elucescit, qua per se ipsa mouetur, eodémq;, vt ita dicam, impetu cum ducibus suis in su-

Angeli animarũ duces.

blime tendit. nec vagis gradibus consequitur.

[De Iudicio extremo, quo animæ aut Paradisi compotes fiunt, aut ad Inferos detruduntur.] *Cap.* 78.

ATque singulis quidem animas, siue nequiter & flagitiosè vixerint, siue fortiter & generosè cum natura sua colluctatæ sint, locus ille recta conscenditur, qui supra mundi verticem supereminet. Sed quæcunque puras se integrásque conseruarunt, quandiu corpori coniunctæ fuerunt, nec creatoris Patris vllo sunt oblitæ modo, imò assiduis in eum meditationibus eius exemplar in imagine illæsum custodierunt: illæ, inquam, grata illa requie fruuntur, quæ supra totius mundi fastigium beatis parata est eísque, aulæ cælestis: prati & paradisi loco, incredibilis eorum quæ sunt ordo, diuinorúmque bonorum complementū proponitur. *Beatorū requies.*

Quæcunque verò omni prædictorum cura seposita corporis genio indulserunt, his rotundum cæli corpus prætenditur, & circa æthereas regiones allegantur, & velut decuriatæ in earum naturarum, quibus hîc addictæ subditæque fuerunt, album referuntur. nec omnino aut bonorum aut malorum sortis participes euadunt: imò quædam boni, aut bono contrarij mali, vesti-

gia imaginantur & inspiciunt, inter se quibusdam velut insomniis cõuersantes, quantum eis à ducibus suis permittitur: hócque diuino quodam numine faciunt: nec tamen singulę singulas norunt, sed quę sunt eandem sortem adeptæ, suos aliæ aliarum ordines perspectos habent. Nec tamen inter se confabulantur: sed collocutionis vice mutuæ cedunt cogitationes, & quicquid ab vna cogitatum fuerit, huius typus confestim in altera deprehenditur, ac si animæ aliæ aliarum cogitata mutuò inter se communicent.

[Vtrum animæ corporibus præextiterint, Earundémque genera varia.]
Cap. 79.

contra Origenem. CÆterùm antiquiores corporibus animas haudquaquam asserimus, sed vnà cum illis enascentes: non quia in illis vllo semine concrescant: sed quia corporibus, simul atque compacta, & ad generationem disposita sunt, Deus illas inspiret. Græci autem vniuersas animas ab æterno creatas, & à Creatore dispersas fuisse aiunt, *Animarum genera varia* quarum aliæ supra cælum essent, quæ supermundanæ quoque dicerentur: aliæ verò infra cœlum, quarum alię cum firmamento, aliæ cum sideribus circunuoluerentur: nonnullæ verò etiam sublunares, eæque ad

generationem maximè idoneæ, quarum alias, quæ gnauiter corporum custodiæ inuigilarint, nullámque hîc maculam, pro ratione modulóque vitæ contraxerint, sublimioribus locis assignant, alias verò, quæ corporeis voluptatibus plus quàm par est inseruierint, contrà hinc deorsum præcipites ad ima deiiciunt, & corporibus aliis alligant. Quòd si fortè Creatori placeat, vt sublimiori & meliori præfecturæ vita hæc committatur, admirabiliórque rebus mutatio decernatur, tunc super mundanarum animarum nonnullis concedi asserunt, vt in terras descendant, móxque illæ cum triumpho præstantioribus comitatæ naturis huc descendunt, & corporibus præfectæ lóngua die libertatem simul & salutem iis procurant, quæ in vita sibi labem perniciémque contraxerant. *Metempsychosis.*

[*De idolis, seu spectris, vmbrísve φιλοσωμάτοις, circa sepulchra versantibus. Eadem prorsus ad verbum, quæ supra.*]
Cap. 80.

IAm si animæ à quibusdam corporum idola dictæ sunt, ex hoc inferre quispiam poterit, ab animis imaginatiuis corporearum formarum impressiones vi eorum, quæ sub aspectum cadunt, recipi. Corpus enim figura rectum, tactu durum, colore album, *Corpus.*

denique graue & asperum est, nec ita cõparatum, vt in aëre circumuolitet. *Idolum.* Idolum autem tenebricosum est, & vmbræ persimile, ídque adeò, quod quale sit vix coniicias. *Plato.* Quæ res Platonem quoque mouit, vt spectra illa vmbratilia, quæ in sepulcris apparent, animas φιλοσωμάτους, hoc est corporum amantes nominauerit. vt quæ ne tum quidem, cùm ab hoc mundo digressę sint, ad purum lumen reuertantur. sed etiámtum circa corpora versentur, quę quidem seruilium voluptatum illecebris captæ in primis amarunt. Corpus porrò idolum quoque animæ dictum est, quia quod illi oculus, huic mens: quod illi tactus, huic vis illa est, qua rerum veritas exquiritur. Quamuis hæc Gentiũ dogmata maiore sui ex parte redoleant.

An animæ cum corporibus ad pristinas sedes redeant. Cap. 81.

GEntium dogmata & hoc redolet, si quis animas quoque peccatis obnoxias, corporísque familiares & cognatas esse dicat, nec aliter ad pristinas sedes redire posse, quàm si corporibus vtantur, purgatiuísque virtutibus expientur. Vnde fiat etiam, vt ne dæmonibus quidem ad pristinam dignitatem reditus vnquam patêre possit. *contra Origenem.* Quî enim fieri queat, vt diabolus ad lu-

men reuertatur, poteſtate redeundi denegata? Nec enim reditus ille reditui perſonæ cuiuſquam ſimilis eſt, vt cum Solem à tergo habeat, móxque anterioribus in poſteriora conuerſis illum aſpiciat, ſed ſpeculo potiùs obſcuro aſſimilis dici poteſt, quod quidem ſi ita ſit affectum, quanlibet Soli exponatur, nunquam in ſe lumẽ admittat, nec ſplendore ſuo illi reſpondeat, niſi fortè priùs perpurgetur, & perpoliatur. At verò, quî fieri poſſit, vt ſordibus ſuis eluatur Dæmon, cùm voluntas ei non adſit, quæ ad expiationem ſufficiat, viribúſque ſit exhauſtus, quibus id aſſequatur?

Sol à tergo.

Speculum obſcurum.

De metangiſmo ſeu metempſychoſi Pythagorica. & hæc ſuprà, iiſdem verbis.
Cap. 82.

IIdem porrò μεταγγισμοὺς quoque animarum, hoc eſt elutriationes, & ab vno vaſe in aliud transfuſiones tradiderunt. Eſt autem μεταγγισμὸς, hoc eſt elutriatio, cùm vna & eadem anima ex humano egreſſa corpore, corpus in aliud tranſmigrat, aliquando etiam volatilium & quadrupedum corpora ſubit. Huius rei Pythagoras ille Samius teſtis eſt, qui Euphorbum illum ſtatuariũ, qui pro Troianis contra Græcos dimicauerat, ſe eſſe profitebatur.

Teſtis item Sibylla Erythræa, quæ cum primùm è matris vtero prodiit, de poli cœleſtiúmque corporum natura Philoſophari cœpit. Teſtis denique Tyaneus Apollonius, & Zoroaſtres Ægyptius. Hi enim ex aliarum animarum metangiſmis hoc eſt elutriationibus & transfuſionibus, ſe originem duxiſſe dicebant.

Libri Secundi Finis.

D. NICETÆ CHONIATÆ, SEV COLOSSENSIS, Thesauri Orthodoxæ Fidei Liber III. De Verbi diuini Incarnatione. Petro Morello Turonensi interprete.

Prophetarum de Verbi diuini Incarnatione testimonia. *Cap. I.*

VTILIBVS De Incarnatione Verbi capitibus, sanctorúmque Patrum assertionibus, præmittẽda sunt Prophetarum vaticinia: quibus illi Filium Dei ex Virgine carnẽ assumpturum, & in carne cum hominibus versaturũ, sepeliendum, resurrecturum, & in cœlos ascensurum prædixerunt.

1. *De Christi generatione.*

1 Psalmo Centesimo-nono Dauides ait, Ex vtero ante Luciferum genui te. Et Salomon in persona Verbi, quod Patri coæternum est, Necdum montes graui mole constiterant, necdum fontes aquarum eruperãt, ante omnes colles parturiebar. Itémq; Dauides alio in loco. Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis. Item, Deus noster manifestè veniet, *Psal.109.* *Prouerb.8.* *Psal.117.*

O

Psal. 49. & non silebit. Regnabit Deus super gentes.
Psal. 46. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem
Psal. 2. tuam. Omnes gentes quascunque fe-
Psal. 85. cisti, venient, & adorabunt coram te. Item
Esa. 35. Esaias. Non Angelus, non legatus, sed Deus
" ipse veniet, ipse saluabit nos. Tunc aperientur
" oculi cæcorum, & aures surdorum
" patebunt. tunc saliet sicut ceruus claudus,
" & aperta erit lingua mutorum. Item, Ecce
Esa. 7. „ Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur
„ nomen eius Emmanuel.

Esa. 9. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus
„ est nobis, & factus est principatus super
„ humerum eius: & vocabitur nomẽ eius admirabilis,
„ consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri
„ seculi, princeps pacis. Amen.

Ibidem. Idem alio loco, Terra Zabulon, & terra
„ Nephthalim, via maris, trans Iordanem Galileæ
„ Gentium. Populus, qui ambulabat in
Mich. 5. tenebris, vidit lucem magnã. Item Micheas.
Matth. 2. Et tu, Bethleem, domus Euphrata, nequaquam
" minima es in milibus Iuda. Ex te enim
" mihi adueniet Dux, vt sit princeps in
" Hierusalem, & exitus eius à diebus seculi.
Psal. 86. Item Dauides alibi. Mater Sion dicet homo,
„ & homo natus est in ea, & ipse fundauit
„ eam altissimus.

" *2. De fuga Christi.*

Esa. 19. Rursus Esaïas de Christi fuga in Ægyptũ
„ sic ait. Ecce Dominus ascẽdet super nubem
„ leuem, & ingredietur Ægyptum. & commo-

uebuntur simulachra Ægypti à facie eius. "

3. De Baptismo Christi.

Item de Baptismo eius alibi Dauides ita *Psal.28.*
canit. Vox Domini super aquas. Deus maie- "
statis intonuit. Dominus super aquas mul- "
tas.

4. De morbis à Christo curatis.

Item de morbis ab eo curatis, Verè lãguo- *Psa.53.*
res nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse "
portauit.

5. De descensu in Virginem.

Item de descensu eiusdem in virgineam aluum. Descendet sicut pluuia in vellus, & *Psal.71.*
sicut stillicidia stillantia super terrã. Et paù- "
lò pòst. Ante Solem permanet nomen eius, "
& benedicentur in ipso omnes tribus terrę, "
omnes gentes magnificabunt eum.

Fieri autem nõ potest, vt hæc de Salomone, tanquam Iudęo, dicta sint. nec enim fuit ille ante Solem.

Item Iobus, Qui extendit cœlos solus, & *Iob.9.*
graditur super fluctus maris [tãquam super "
pauimentum.] "

Item Zacharias, Exulta satis, Filia Sion: *Zach 9.*
iubila, Filia Hierusalem. Ecce Rex tuus ve- "
niet tibi iustus & Saluator, ipse pauper & "
ascendens super asinam, & super pullum fi- "
lium asinæ.

6. De Iuda Christi proditore.

Præterea Dauides de Iudæ & Pharisæorũ proditione, hunc in modum scribit, Qui "

Psal.40. edebat panes meos magnificauit super me supplantationem.

Psal.2. Item, Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?

7. De Christi detentione.

Eius quoque detentionem his verbis prædixit Esaias. Væ animæ eorũ, quoniam reddita sunt eis mala, quippe qui dixerint. Circumueniamus iustũ, quia inutilis est nobis.

Es.3.
Sap.2.

8. De Christo Crucifixo.

Idem Propheta de Christi quoque Crucifixione sic habet: Sicut ouis ad occisionẽ ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, non aperiet os suum. De angustia & de iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit? (Hoc est generationem eius, quæ secula omnia præcessit) propter scelus populi mei percussi eum. Item, Et dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua.

Esa.53.
Ibidem.

9. De verberibus & colaphis, quibus Christus cæsus est.

Itidem de iis, qui verberibus eum & colaphis confecerunt, apud eundem Prophetam hæc & eiusmodi leguntur. Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus.

Esa.50.

Ipse quoque Dauides in persona Christi sic habet. Quoniam ego in flagella paratus

Psal.37.

ſum, & dolor meus in conſpectu tuo ſem- "
ſemper. "

10. *De Christo vendito.*

De venditione quoq; eius Hieremias hũc in modum verba facit.

Et acceperunt triginta argẽteos, pretium *Matth.27.* appretiati, quem appretiauerunt à Filiis Iſ- *Act.1.* raël, & dederunt eos in agrũ figuli, ſicut con " ſtituit mihi Dominus. "

Et Zacharias, Et appenderunt mercedem *Zach.11.* meam triginta argenteis.

11. *De ſpinea Corona.*

Quin & Salomon in Cantico Canticorũ *Cant.3.* ait, Egredimini, & videte, Filię Sion, Regem " Salomonem in diademate, quo coronauit " illum mater ſua, in die deſponſationis il- " lius. "

Coronam autem ſpineam intelligit, qua coronatus eſt Chriſtus tempore paſſionis, à matre ſua, Iudæorum ſynagoga.

12. *De clauis, veſtibus, felle, & aceto.*

Alio item loco Dauides de clauis. Fode- *Pſal.21.* runt manus meas, & pedes meos, dinumera- " uerunt omnia oſſa mea. Diuiſerunt ſibi ve- " ſtimenta mea, & ſuper veſtẽ meam miſerũt " ſortem. Et, Dederunt in eſcam meam fel, & *Pſal.68.* in ſiti mea potauerunt me aceto. Zacharias *Zach.13.* quoque Propheta ſic, Et dicetur ei, Quid " ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? " Et dicet, His plagatus ſum in domo eorum, " qui diligebant me. "

13. *De tenebris à Christi paßione obortis.*

De tenebris autem idem Propheta quodam alio in loco sic ait, Et erit in die illa: nō
Zach.14.
» erit lux, sed frigus & gelu. Et erit dies vna,
» quæ nota est Domino, non dies, neque nox.
» & in tempore vesperi erit lux.

Amos.8. Amos itē Propheta, Et erit in die illa, di-
» cit Dominus, Occidet Sol in meridie, & te-
» nebrescere faciam terram in die luminis.

Ioel.2. Itémque Ioël. Sol & Luna simul obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem
» suum, & Dominus dedit vocem suam.

Deut.18. » In primis autem Moses ait, Prophetam de
» gente tua, & de fratribus tuis sicut me, su-
» scitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum
Deut.28. » audies. Et erit vita vestra pendens ante oculos vestros.

14. *De Christi morte.*

Esa.57. De morte eiusdem sic Esaias, Iustus perit,
» &non est qui recogitet in corde suo. [nimi-
» rum eius Resurrectionē.] Item, A facie ma-
Ibidem. litiæ collectus est iustus, & erit in pace se-
» pultura eius.

Quæsitus enim est àb Iosepho, eique datus, vt sepeliretur. Qua de re ipse quoque
Psal.87. Dauides his verbis cecinit. Posuerunt me in
Ibidem. lacu inferiori: in tenebris, & in vmbra mor-
» tis. Item, Factus sum sicut homo sine adiu-
» torio, inter mortuos liber. hoc est à peccatis immunis.

15. *De Christi descensu ad Inferos.*

Ita verò apud Iobum ſcribitur, Nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & hoſtia tenebroſa vidiſti? *Iob.38.*

In eandem ſententiam Dauides, Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris. *Pſal. 67.*

16. De Dominica Reſurrectione.

Idem quoque de Reſurrectione hunc in modum vaticinatus eſt, Non derelinques animam meam in Inferno. neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *Pſal 15.*

Item Oſee, Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipſe cepit, & ſanabit nos poſt duos dies. In die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius. *Oſee.6.*

17. De Vnguentiferis mulieribus.

De Vnguentiferis verò mulieribus hunc in modum Eſaias vaticinatur. Mulieres venientes & docentes eam. Non eſt enim populus ſapiens. *Eſa.27.*

18. De Aſcenſione Domini.

Sed & de Aſcenſione Dauides. Aſcendit ſuper Cherubin, & volauit: volauit ſuper pēnas ventorum. *Pſal.17.*

. Item, Aſcendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ. *Pſal.46.*

Item, Attollite portas principes veſtras, & introibit Rex gloriæ. *Pſal.23.*

Itē Eſaias, Quis eſt iſte, qui venit de Edō? tinctis veſtibus de Boſra? *Eſa.63.*

Item, Quare ergo rubrum eſt indumētum *Ibidem.*

" tuum? & veſtimenta tua ſicut calcantium in
" torculari? Torcular calcaui ſolus, & de Gẽ-
" tibus non eſt vir mecum.
Zach.14. Præterea verò Zacharias ait, Et ſtabũt pe-
" des Domini ſuper Mõtem oliuarum, qui eſt
" contra Hieruſalem ad Orientem.

19. *De Iudicio extremo.*

De ſecundo autem Aduentu, Daniel ita
Dan.7. vaticinatus eſt. Aſpiciebam ergo in viſio-
" ne noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi Fi
" lius hominis veniebat, & vſque ad Antiquũ
" dierum peruenit, & in conſpectu eius ob-
" tulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & ho-
" norem, & regnum, & omnes populi, tribus,
" & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius pote-
" ſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum
" eius quod non corrumpetur.
Ibidem, Item alio loco, Aſpiciebam donec poſiti
Paulò antè. ſunt throni, & Antiquus dierum ſedit, veſti-
" mentum eius candidum, quaſi nix, & capilli
" capitis eius quaſi lana munda, Thronus eius
" flammæ ignis, Fluuius igneus rapidúſque e-
" grediebatur à facie eius: milia milium mini-
" ſtrabant ei, decies millies centena milia aſſi-
" ſtebãt ei. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.
" Aſpiciebam, propter vocem ſermonum
" grandium, quos cornu illud loquebatur,
" & vidi quoniam interfecta eſſet beſtia [qui
" eſt Antichriſtus.]

Scutariotes hic Prophetarum contra Iudæos teſtimonia deſiderat.

Ioan. Damasceni, de Christi conceptione, seu diuina humanæ carnis assumptione.

Cap. 2.

ANgelus Domini missus ad Sanctã Virginẽ, quæ genus ex Dauidica tribu ducebat, (constat enim Dominum ex Iuda ortum traxisse, qua ex tribu nullus animum ad sacerdotium appulit, vt Diuus Apostolus ait, de quo posteà dicemus apertiùs) sic Euangelizans dixit, Aue gratia plena, Dominus tecum. Quæ cùm turbata esset hoc sermone, subiecit Angelus. Ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominũ. & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluũ faciet populum suum à peccatis eorum. vnde Iesus Seruatorem significat. Quæ cùm hæsitans respondisset, Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? adiecit Angelus, Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideóque quod nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Illa verò, Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Lacuna vix tandem ex Diuo Paulo ad Heb. 7. cap. restituta

Luc. 1.

Matth. 1.

Iesus.

Luc. 1.

Itaque vbi primum sancta consensit virgo, Spiritus Sanctus in eam descendit, prout Dominus per Angelum dixerat, vt eam purgaret, vímque diuinitatis, & generationis Verbi capacem suggereret. Túncque per se subsistens altissimi Dei sapientia & virtus, nimirum Dei Filius Patri consubstã-

tialis, haud secus atque diuinum semen eam obunbrauit, sibíque ipsi ex castis eius & purissimis sanguinibus carnem anima rationis & intellectus participe animatam compegit, nostræ massæ primitias. Nec id ex semine, sed diuino artificio, per Spiritum Sanctum. nec figura paulatim accessionibus efformata, sed vno eodémque momento perfecta, ipsum Dei Verbum carnis hypostasin assumpsit. [Nec enim eam sibi Deus Verbũ carnem assumpsit, quæ per se anteà subsisteret, sed in sua ipsius hypostasi ratione incirconscriptibili ventrẽ sanctæ Virginis inhabitãs, ex castis Semper virginis sanguinibus carnem anima rationis & intellectus participe animatam subiit: nostræ massæ primitias assumens. Verbum ipsum factum carne hypostasis.] Itaque cùm primùm caro fuit, Dei quoque Verbi caro fuit. Et cùm primũ animata caro, rationísque & intellectus particeps fuit, Dei quoque Verbi animata caro, rationísq; & intellectus particeps fuit. Quo circa non hominem deificatum, sed Verbũ incarnatum dicimus. Nam cùm perfectus natura Deus esset, idem homo quoque perfectus natura factus est. Neque naturã mutans, neque per phantasiam seu simulationem disponens, sed carnem anima rationis & intellectus participe animatam ex sancta Virgine assumens, quæque in ipso ef-

His notis inclusa Zygabeno desunt & hic & infra vbi iisdẽ verbis repetuntur.

Verbum incarnatum.

ſentiam haberet, hypoſtaticè coniunctus eſt: nulla confuſione, nulla mutatione, nulla diuiſione facta: diuinitatis ſuę natura in carnis eſſentiam minimè mutata, neque contrà, carnis ſuæ eſſentia in ſuæ diuinitatis naturam conuerſa, neque vna eadémque natura compoſita ex diuina ſua natura, & humana, quam aſſumpſerat.

** Eiuſdem, de duabus naturis. [aduerſus illos, qui vnam in Chriſto naturam eſſe dicunt.]*
Cap. 3.

NAturæ inter ſe, nulla inuerſione & mutatione facta, coniunctæ ſunt: ita vt neque diuina natura è propria ſimplicitate exceſſerit, nec è diuerſo humana vel in diuinitatis naturam verſa, vel ad nihilum redacta ſit. neque item duabus ex naturis vna compoſita emerſerit. Siquidem compoſita natura earum ex quibus conflata eſt naturarum neutri cõſubſtantialis eſſe poteſt, cùm ex diuerſis diuerſum efficiat: quemadmodum, verbi gratia, corpus quatuor ex elementis compoſitum, neque eiuſdem cum igne eſſentiæ dicitur, neque ignis nominatur: neque item aër, neque aqua, neque terra dicitur, nec vlli prorſus eorum conſubſtantiale eſt.

Infra lib. 10. Sine inuerſione, &c.

Compoſita natura.

Corpus.

Contra Monophysitas. Iam si, vt hæreticis placet, Christus post coniunctionem vnica composita natura constare dictus est, ex simplici vtique natura in compositam trāsiit: ita vt iam nec Patri, cuius simplex est natura, consubstantialis sit: neque Matri, quæ quidem ex diuinitate & humanitate non composita esset, neque item diuinitatis & humanitatis particeps esse queat, denique neque Dei, neque hominis nomine censeatur: sed Christus duntaxat. neque Christus erit hypostaseos eius nomen, sed vnius naturæ, quæ in eo deprehenditur. *Orthodoxa de Christi natura opinio.* Nos autem Christum vnius naturæ compositæ fuisse haudquaquā docemus, neque ex diuersis diuersum quid: vt ex anima & corpore hominē. vel vt ex quatuor elementis corpus: sed ex diuersis eadē ipsa. Nam ex diuinitate & humanitatē eūdem Deum perfectum & perfectum hominem esse & dici, & ex duabus & in duabus naturis cōfitemur. *Christus personæ nomen.* Nomen autem Christus personæ nomen asserimus. cùm non vno modo dicatur, sed duas naturas significet. Nam ipse seipsum vnxit, corpus quidem diuinitate sua tanquam Deus vngens. vnctus verò quatenus homo. Siquidem ipse & hoc & illud est. Diuinitas autē humanitatis vnctio est. *Absurdum.* Nam si Christus naturæ vnius compositæ existens Patri consubstantialis est, compositus certè Pater, & carne consubstātialis erit. Quodquidē absurdum, nullàque

non plasphemia refertum est. Agè verò, quî fieri possit, vt vna natura contrariarum essentialium differentiarum capax dicatur? Quî enim fieri potest, vt eadem natura eodem momento creata & increata, mortalis & immortalis, circunscripta & incircunscripta sit? Quòd si etiã vnius naturæ Christum dicẽtes, simplicem eam intelligant, vel ipsum nudum Deum cõfitebuntur, & phãtasiam, seu fictam carnis assumptionem, pro incarnatione introducent; vel nudum hominem, Nestorio subscribentes. [Iam vbi perfecta diuinitas, vbi etiam perfecta humanitas, cum duarum etiam naturarũ Christum fuisse dicant, ipsum tamen post coniũctionem quoque vnius compositæ naturæ asserunt. Christum enim ante coniunctionem vna fuisse natura præditum, nulli dubium est.]

Phantasia. *Nestorius.* *Et hæc Zygabeno desunt.*

At verò hoc illud est, quod hæreticos in errorem pellicit, dum naturam & hypostasin pro eadem re accipiũt. Quia autem hominum naturam vnam esse dicimus, sciendum est nos ad hæc dicenda non adduci, ratione animæ corporísque habita. (Nec enim fieri potest, vt animam & corpus, inter se mutuo collata, vnius esse naturæ dicamus.) Sed quia hominum quàm plurimæ sunt hypostases, & omnes eadem ratione naturæ constant (omnes enim ex anima & corpore compositi sunt, némoque non ani-

Hominum natura vna quomodo dicatur.

mæ quidem natura, corporis autem essentia censetur) iccircò communem illam plurimarum & diuersarum hypostaseon formã, vnam esse naturam dicimus: singulis nimirum hypostasibus duas naturas habentibus, atque completis in duabus naturis, anima, inquam, & corpore. At in Domino nostro Iesu Christo forma communis intelligi nõ potest, nec enim fuit, nec est, nec futurus est alius Christus ex diuinitate & humanitate, qui in diuinitate & humanitate idem Deus perfectus & homo perfectus sit. [Sed omnis quoque compositę naturæ partes, simul atque ex nihilo in rerum naturam productæ sunt, ad vniuersi complementum disponũtur. Fieríque potest, vt quæ eodem tempore producta sunt, vnam compositam naturam perficiãt. huiusmodi limitem & naturalẽ legẽ beneficio creatoris sortita: ita vt naturæ lege per successionẽ similia ex similib⁹ procreentur. In Domino autẽ naturarũ coniũctarũ alia principio & tẽpore caret. nec forma producta est ad vniuersi cõplementum, quãdoquidẽ non requieuit Deus ab operib⁹ suis septimo die: nec verò naturaliter cõiunctæ sunt: sed admirabili quadã & ineffabili ratione. Quæ autẽ admirabilia sunt, & ineffabili ratione fiũt, ea naturã nõ pficiunt: nec enim naturã rubi dicimus, quæ igne admoto cõbusta non sit, neq; naturã hominis, qui sublimis & tanquã cœlo proximus eue-

Et hæc omnia, vsque ad clausulam. Quocirca duabus ex naturis &c. Zygabeno desunt.

Rubus.

Raptus in cælum.

hatur:neq; corporis humani naturã, quæ in igne veluti rore cõſperſa ſit:ſed admirabilia ea & circa hypoſtaſin vnã facta dicimus.ita etiã Domini incarnationẽ in diuinitatis hypoſtaſeon vna nõ lege naturæ,ſed ineffabili diſpẽſatione cõiunctionẽ naturarũ euaſiſſe dicimus:neq; id infra naturæ terminũ,ita vt à Chriſto Chriſtus natus ſit, formáque adeò emerſerit,quæ multas Chriſtorũ hypoſtaſes cõplexa ſit:ſed vnã hypoſtaſin duabus ex naturis,atq; duab⁹ in naturis cõpoſitã: duáſq; adeò naturas, ita vt natura vtraque vel poſt cõiunctionẽ ꝓpriũ terminũ,legẽ,mutuámq; differẽtiã cõſeruarit. Siquidẽ in hõine, quatenus differẽtiæ mutuæ corporis & aĩæ ratio habetur,duas naturas dicimus:quatenus verò naturalis differẽtia pſonæ ex pſona nõ ſpectatur,vnã.Et vni⁹ qdẽ naturę dicũtur ea, quæ cũ ſint eiuſdẽ ſpeciei, tamẽ hypoſtaticè ſeu pſonę ratione differũt:vnius autẽ hypoſtaſeos,ea quæ hypoſtaticè cõiũgũtur,eſſentiáque differunt. Ita que diuerſiformes hypoſtaſes haudquaquam hypoſtaticè conferuntur, aut diſcernuntur, ſed naturaliter: æquiformẽſq; hypoſtaſes haud naturaliter conferuntur aut diſcernuntur,ſed hypoſtaticè. Et quemadmodum fieri non poteſt, vt ea quæ hypoſtatica differentia differunt, vnius ſint hypoſtaſeos, ita fieri nequit, vt ea quæ naturali differentia differunt, vnius naturæ ſint. His de cauſis vna in Domino

Incarnatio Domini.

Naturæ vni⁹ eſſe quæ dicãtur. ὁμοούσια ὁμοϋπόστατα quæ.

Differentia hypoſtatica quid à naturali differat.

nostro Iesu Christo natura dici nō potest.]

Quocirca duabus ex naturis perfectis, diuina, inquam, & humana, coniunctionem factam fuisse dicimus, non commixtione, vel confusione, vel concretione, vt vesano Dioscoro, Seuero, & sceleratæ eorum factioni placuit: neque persona, aut habitu, aut dignitate, aut eadem voluntate, aut honoris nominis ve similitudine, aut denique approbatione, vt impio Nestorio, Diodoro, Mopsuestiensi Theodoro, & diabolico eorum cœtui visum est: Sed compositione, siue hypostaticè, citra inuersionem, mutationē, confusionē, diuisionē, & distractionē. Atq; duabus in naturis perfectis vnam Filij Dei, eiúsq; incarnati, personā cōfitemur, eādémq; diuinitatis eius & humanitatis personā esse dicimus. Atque duas naturas in ipso post coniunctionem integras seruari confitemur. Nec tamen priuatim separatím ve vtramque ponimus, sed inter se coniunctas vna in hypostasi composita. Coniunctionē enim essentialem dicimus, hoc est veram, nō autem phantasticam seu commētitiam. Essentialem dico, non quòd à duabus naturis natura vna composita fiat, sed quòd mutuò reuera in vnam Filij Dei personam coniungantur, atque ita essentialem earum differētiam seruari definimus. Quod enim creatum erat, creatum māsit: quod increatum, increatum, quod mortale mortale, quod immortale,

Dioscorus.
Seuerus.
Nestorius.
Diodorus.
Theodorus Mopsuest.

immortale,immortale. quòd circunſcriptũ, circunſcriptum.quòd viſibile, viſibile.quòd inuiſibile,inuiſibile.Vna quidem pars miraculis effulget, altera contumeliis obnoxia eſt.Porrò Verbum ea ſibi quæ ſunt hominis aſſumit,quaſiq; domeſtica facit.Ipſius enim ſunt ea,quæ ad ſanctam eius carnem pertinent, carnémque eorum, quæ propria ſibi ſunt,mutuæ compenſationis modo & mutuę partiũ affinitatis,hypoſtaticæq; coniunctionis ratione,participem facit. Adhæc quia vnus idémque is erat,qui diuina & humana in vtraque forma operabatur cum alterius communione. Quocirca Dominus quoque gloriæ crucifixus eſſe dicitur, quãuis diuina eius natura paſſa non ſit. Filium item hominis ante paſſionem in cœlo fuiſſe conſtat:vt Dominus ipſe dicebat. Vnus enim idémque gloriæ Dominus is erat, qui natura & re vera Filius hominis, ſeu homo factus fuerat:atque miracula eius paſſionéſque non ignoramus. quanuis alia ratione miracula ederet, alia item paſſionibus obnoxius eſſet.Vt enim vnam eius hypoſtaſin, ita & eſſentialem naturarum differentiam ſeruari nouimus. Iam quî fieri poteſt, vt eſſentialis differentia ſeruata ſit, niſi ea quoq; ſeruata ſint, quæ inter ſe mutuò differunt? Differentia enim eorum quæ differunt differẽtia eſt. Eadem igitur ratione, qua Chriſti naturæ inter ſe differunt,hoc eſt eſſentiæ

1.Cor.2.

Gloriæ Dominus.

ratione, ipsum quoque cum extremis cõuenire, diuinitate, inquam, cum Patre & Spiritu: humanitate verò cum matre & nobis asserimus. Ipse enim Patri & Spiritui Sancto diuinitatis ratione consubstantialis est, matri autem & cunctis hominibus, ratione humanitatis. Qua autem ratione naturæ eius conueniunt, eadem ipsum quoque differre dicimus, tum à Patre & Spiritu Sancto, tum à matre & cæteris hominibus. Conueniunt enim eius naturæ per hypostasin, cùm vna hypostasi composita constent, secundum quam tum à Patre & Spiritu, tum à matre & nobis ipsis differt.

** Capita quædam, quorum cognitio iis necessaria est, qui quantũ ratio patitur humana, Verbi incarnati mysteriũ cognoscere cupiũt.*

[De enypostato, Heteroypostato, & hypostasi. Cap. 4.

Ἐνυπόστατον. ENypostatum, hoc est id quod per se suáque vi subsistit, in vniuersum pro omni subsistẽtia capitur, corporea, inquam, & incorporea, pro vt ferre potest: quo in significatu color quoque essentia per se subsistens dici queat: cùm tamen propriè color sit heteroypostaton, hoc est res per alium subsistens: propria enim subsistẽtia caret, sed corpori tanquam subiecto inhæret. Essentia verò propriè hypostasis est, seu subsistentia, non autem enypostatum. Abusiuè tamen

Color.

ἑτεροϋπόστατον.

hæc quoque enypostata dicuntur. Enypostaton prætereà dicitur homo vniuersalis, quod externi Philosophi εἶδος εἰδικώτατον, hoc est speciē specialissimam seu infimam vocant. Enypostaton autē vniuersalis homo dicitur, tanquā in hypostasibus cōsideratus: vt in Petro & cæteris hominibus singulis. Hæc porrò tria Enypostati significata citra magnā difficultatem cōprehēdas, de quarto autē quod difficilius est, iā dicēdū nobis est. Enypostaton id est, quod cum alio essentia diuerso ad vnius constitutionem personæ, vniúsq; generationē hypostaseos, componitur, & vnà subsistit: non autē, per se cognoscitur. Attendēda porrò est hæc enypostati definitio. Sācta Ecclēsia Catholica in dispēsatione incarnationis vnā hypostasin, duásq; naturas profitetur: hypostasin quidē, incarnatum Filium, naturas verò diuinitatem & humanitatem. Corpus itaque anima & mēte præditum, à Domino nostro Iesu Christo assumptum, hypostasin minimè vocat: ne duas hypostases dicere, Nestoriíque nugamentis subscribere deprehendatur: sed enypostaton nominat. ὡς ἐν τῇ τοῦ υἱοῦ ὑποστάσει τὸ εἶναι λαβὸν, hoc est quia in Filij hypostasi essentiam habuerit. Siquidem Christus ipse, cùm vna esset hypostasis, imò verò, vt apertiùs dicam, ipse Dei Filius, cùm vna Sanctæ Trinitatis hypostasis esset, fuit & corpori quod assumpsit hypostasis. Ita-

εἶδος εἰδικώτατον

Infra lib. 10.

Ecclesiastica enypostati significatio.

Enypostati ἔτυμον.

Corpus Christi enypostatum, non hypostasis. que corpus Domini enypostaton quidem est, hypostasis verò, minimè.

* De homoousiis, seu iis, quæ sunt eiusdem substantiæ. Cap. 5.

ὁμοούσια. HOmoousia, hoc est consubstantialia, ea sunt, quęcunque hypostasibus quidem à se mutuò dirimuntur, essentia verò coniũguntur. Vt ego & tu & omnes singuli homines hypostases homęousiæ sumus, hoc est eiusdem essentiæ participes. *Hypostases homoousiæ.* Pater itaque & Filius, & Spiritus Sanctus hypostasibus quidem diuiduntur (alius enim Pater, alius item Filius, alius denique Spiritus Sanctus) essentia verò coniunguntur. Vsia autem, seu, essentia, communis est hypostaseon ratio, siue vna diuinitas, vna forma. Pater ergo & Filius, & Spiritus Sanctus, res sunt eiusdem essentię: quod vnius sint & eiusdem essentiæ participes: hypostasi bus autem, siue personis, vt dictum est, diuidũtur. at assentia, siue natura, coniunguntur: eáque de causa ὁμοφυεῖς eiusdẽ naturæ, & ὁμοούσιοι eiusdem essentiæ, participes dicuntur. *ὁμοφυεῖς & ὁμοούσιοι.*

* De Homoypostatis, hoc est iis, quæ sunt eiusdem hypostaseos seu subsistentiæ. Cap. 6.

HOmoypostata, hoc est consubsistẽtialia, ea dicuntur, quęcunque inter se essentia quidem differunt, in vnam autem &

eandem hypostasin inter se componuntur: vt ego & tu, & vnusquisque nostrûm anima & corpore cõstamus. Hæ porrò partes, anima & corpus, essentia quidem diuersæ sunt: (alia enim animæ, alia corporis essentia est.) Homoypostatæ verò, seu subsistentiæ eiusdem, secundum Christianorum placita. Nec enim anima ipso corpore antiquior, neque corpus anima vetustius est, sed simul anima & corpus esse cœperunt. Quæcunque ergo essentia quidem differunt, eodem tamen tẽpore, & simul substiterunt, homoypostata sunt, & dicuntur. Itaque Pater & Filius, & Spiritus Sanctus homoypostata non sunt, quamuis illis antiquius & recentius nihil sit. quia verò essentia minimè differunt, icirco etiam homousia & sunt & dicuntur. *Contra Origenem.*

** De differentia & coniunctione, [eáque triplici, essentiali, personali, & habituali.] Cap. 7.*

ESsentialis coniunctio est, quę multas hypostases ad vnam essentiam congregat: vt omnes singuli homines hypostasib⁹ quidem seu personis diuiduntur, essentia verò, seu ratione humanitatis coniunguntur. Itaque hæc personarum coniunctio, quæ per vnam fit essentiam, cõiunctio essentialis dicitur. Essentialis verò differentia est, quãdo coniunctæ vnam in hypostasin naturæ, sine vlla confusione & imminutione manent: *ἕνωσις οὐσιώδης.* *διαφορὰ οὐσιώδης.*

vt duæ Christi naturæ, siue diuinitas & humanitas, in vnã congressæ hypostasin, haudquaquam confusæ imminutæve sunt: Sed essentiali differentia differũt. Duarum enim naturarum neutra commisceri cõfundíque, essentiæ habita ratione, potest. nec verò inter se differunt hypostasi: vna enim ambarũ hypostasis est: at essentiali differentia.

** De hypostatica seu personali coniunctione & differentia.* Cap. 8.

HYpostatica, seu personalis, coniunctio ea est, quæ diuersas essentias siue naturas in vnum & vnam eandémque hypostasin colligit & colligat: vt in dispensatione incarnationis Domini nostri Iesu Christi hypostatica coniunctio fuit. Duæ enim eius naturæ in vnam eandémque hypostasin citra confusionem coniunctæ sunt. Hypostatica verò differentia est, quando hypostases, quæ sub vnam essentiam cadunt, inter se diuiduntur, & in numerum multitudinémque characteristicis seu figuratiuis proprietatibus cedunt. Alij enim ab aliis hypostaseon ratione differimus. Verbi gratia, ego quidem sum prouecta ætate, nigro colore, & subalbus: tu autem media ætate, albus, verbáque distinctè profers. Eodem modo cæteri quoque singuli homines huiusmodi proprietatibus hypostaticè differunt.

De schetica seu habituali coniunctione, & differentia. [*de differentia tamen nihil.*

Cap. 9.

SChetica, seu habitualis, coniunctio, amica & beneuola dispositio est, vel concors voluntatum consensus. Qui ergo mutua se beneuolentia prosequuntur, amicitiæ respectu schetice coniuncti dicuntur. Hæreticus enim impius ille Nestorius Ecclesiasticam doctrinam non admittens, qua ipse Deus homo factus, nostræque naturæ coniunctus asseritur, hypostaticã quidem seu personalẽ cõiunctionem esse negabat: nugabatur autem è Sancta Maria nudum & simplicẽ hominem natum esse, erga quem Deus Verbũ eadem ex generatione beneuolam dispositionẽ affectionémve haberet. Atq; cõiunctionem quidem fatebatur, non tamen hypostaticam, sed scheticam. Ex quo fiebat, vt nõ vnam hypostasin miser ille profiteretur, sed duas, quę inter se quidem essentia & hypostasi diuiderentur: amicitia verò eadémque voluntate, vel voluntaria dispositione, coniungerentur, cæteráque id genus deliria deblaterabat.

Schetica coniũctio à Nestorio confi-cta.

De Sancta Trinitate. [*Pater Filius, & Spiritus in quo differant, in quo conueniant.* *Cap.* 10.

PAter quidem causa caret, éstque ingenitus: nec enim ab vllo, ne à seipso quidem essentiã habet. Filius autem à Patre genitus

eſt. Sanctus denique Spiritus & ipſe quidẽ ex Patre, at non generationis, ſed proceſſionis modo. Et ſimul atque Filij ex Patre generatio fuit, fuit & Spiritus Sancti proceſſio. Quo autem modo & generatio & proceſſio differāt, nemo nouit. Itaque hypoſtaſes ſolis hypoſtaticis proprietatibus differunt, ſiue non generatione, generatione, & proceſſione: quæ indiuiduè quoque diuiduntur. Trium autem perſonarũ vnaquæq; perfecta conſtat hypoſtaſi. In tribus enim perfectis hypoſtaſibus vna ſimplex ineſt eſſentia, quæ terminum omnem præcedit & exuperat. *Paracletus.* Paracletum autem ſeu aduocatũ & Spiritum & Filium vocamus, vt qui vniuerſorum aduocationes & patrocinia ſuſcipiant. Spiritum quidem certè à Patre [& Filio] procedere dicimus, ita tamen vt per Filium impertiatur.

**De Verbi incarnatione. Cap.* II.

ERrore non caret, ſi naturam diuinam incarnatam fuiſſe dicamus, cùm Verbi hypoſtaſis dicenda ſit. Si enim carnem à natura diuina aſſumptam fuiſſe dixerimus, vtique vnà Patrem & Spiritum comprehẽdemus. cùm vna Sanctæ Trinitatis natura ſit. Synalœpha, ſeu coünctio, propriè confuſio eſt. ἕνωσις autem, ſeu coniunctio, cùm quid citra mixtionem alij cuipiam applicatur, vt oleum aquæ. Diuinitatis naturam hu-

manitatis naturæ coniunctam fuiſſe non dicimus, imò potiùs Verbi hypoſtaſin incarnatam fuiſſe.

De eſſentia [natura, hypoſtaſi, & perſona.] Cap. 12.

ESſentia propriè dicitur id quod eſt, nec alio eget, vt ſubſiſtat, multis autem modis accipitur, vt eſſentia DEI, eſſentia angeli, eſſentia hominis, itémque omnia ab iis diuerſa eſſentiæ nomine deſignantur. Item, Eſſentia eſt, quod per ſe ſuáque vi ſubſtat, nec ab alio eſſentiam habet. neque alio quoquã extrario indiget, vt ſit. Siquidem colori albo & nigro & id genus cæteris, eſſentiæ nomen haudquaquam tribuimus, quia per ſe ſubſiſtere non poſſint, abſque corpore illorum capace.

Natura. Natura verò eſt eorum quæ ſunt motus & quietis principium, in quibus primùm ineſt per ſe, non per accidens, Verbi gratia naturam vocamus quietem & motum, quæ eſſentiali ratione terræ inſunt, nec id vllius cauſæ beneficio, ad germen & fœtum rebus naturalibus ſuggerenda. Deductum porrò φύσεως ſeu naturæ nomen eſt, παρὰ τὸ πεφυκέναι, τουτέστιν ὑπάρχειν, hoc eſt ab eo quod ſit. Itaque οὐσίας καὶ φύσεος, hoc eſt eſſentiæ & naturæ nominum eadem ſignificatio eſt, quorum illud παρὰ τὸ εἶναι eſſe, hoc verò παρὰ τὸ πεφυκέναι hoc eſt natu-

essentia,natura,genus,& forma.

[Hypostasis,persona & character in Deo quid. Hypostaticæ proprietates. Cap.15.

HYpostasis quoque insuper, ex ecclesiastica & Apostolica traditione, *πρόσωπον* est, seu persona, siue character, quemadmodum Paulus Filium splendorem gloriæ Patris, item & hypostaseos eius characterem seu figurã vocat, hoc est personã eiusdẽ essentiæ cum charactere & hypostasi Patris. *Hebr.1.* Personas autem & characteras in Deo incorporea ipsa dicimus, & ea quę circunscribi exprimíque non possunt. Persona verò seu hypostasis, ex sanctorum Patrum sentẽtia, proprium est præter commune. Communitas enim est, vniuscuiusque rei natura: propria verò, hypostases ipsę sunt. Verbi gratia, Natura siue essentia est, vna Deitas, hypostases verò tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: tres personæ, seu characteres, vna autẽ essentia & genus. Si ergo dicas, Diuinitas nostrûm omnium custos est, totam Trinitatem sanctam significasti: si verò dicas, Vobiscum Filius Dei, ex tribus hypostasibus vnam, totámque diuinitatem pronunciasti. Hæc præterea de iisdem audito. Diuinitas, ecce communitatem, & absolutam perfectionem essentiæ. Paternitas, ecce personam seu hypostasin vnam. Filialitas, ecce aliam hypostasin. Spiritus sanctus, ecce aliam. Cę-

terùm tres hypoſtaticæ proprietates ſunt in diuinitate: Ingenitum Patris, Genitum Filij, Proceſſio Spiritus ſancti. Nec enim genitus eſt Pater, nec procedens Filius, nec genitus Spiritus ſanctus.

Synopſis, ſeu compendium, De modo ἀντιδόσεως; ſeu mutuæ naturarum retributionis [de quo apertiùs & planiùs infra.]
Cap. 16.

Diuinitatem quidem & humanitatem cùm dicimus, totam diuinitatis naturam, & totam humanitatis naturam indicamus; cùm verò Deum & hominem dicimus, non prorſus naturarum totalitates demonſtramus, ſed aliquando & perſonas & hypoſtaſes. Cùm ergo nos in Deum credere, abſque adiuncto, dicimus, totam diuinitatem ſignificamus. Cùm verò Deum hominẽ factum eſſe dicimus, iam non diuinitatẽ denotamus, ſed ſolum filij nomen exprimimus. Adhæc, ſiquidem his verbis vtar, Deus propter hominem incarnatus eſt; totam humanitatem deſigno: ſi verò his, Quidam homo: illum ſolum indico. Itaque in Domino noſtro Ieſu Chriſto duas quidem naturas, diuinitatem, inquam, & humanitatem, at vnam hypoſtaſin ex vtraque compoſitã confitemur. Et cùm ipſas quidem naturas conſideramus, diuinitatem & humanitatem di-

Credere in Deum quid.

cimus:cùm verò hypoſtaſin illam,quæ duabus ex naturis coniuncta eſt, nunc quidem Chriſtum, & hominem nominamus, nunc verò Deum ſolum,& hominem ſolum. nec cùm Deum ſolum dicimus,ipſum ab homine ſeparamus. nec cùm hominem ſolum nominamus,ipſum à Deo ſeiungimus.Itidē cùm diuinitatem dicimus, vnà cum ea humanitatis proprietates non cōprehēdimus: è conuerſo cùm humanitatē enūciamus,in ea diuinitatis proprietates nō intelligimus. nec enim impatibilem & increatam humanitatem dicimus.at in vna hypoſtaſi non ita dicere ſolemus,ſed audacter & ſolum Deū, & ſolum hominem, atque Chriſtum, qui vtrumque comprehendit, confitemur: eundémque Deum patibilem dicimus,humanitatis ratione, & purum qui fuit ante ſecula, ratione diuinitatis. Atque hic ἀντιδόσεως, ſeu mutuæ naturarum retributionis, modus eſt, qua fit, vt vtraque natura, quæ propria ſibi ſunt retribuat, ratione hypoſtaſeos eiuſdem,& mutuæ illarum affinitatis. Confitendum porrò eſt,Verbi naturam incarnatam, ſiue carni coniunctam fuiſſe, non quia Verbi natura in carne paſſa ſit. Quòd enim Deus homo,verſáque vice homo Deus fuerit,id verò illud ipſum eſt, quod cōfitemur. quòd autem diuinitas homo facta ſit,vel incarnata,vel humanitatem induta, nullo vſquam modo audiuimus.

Chriſtus.

Item De natura & hypostasi. [*Variis exemplis nõ tantùm ab intellectualibus, rationalibus, & animatis, sed etiam ab inanimis, immobilibus, & insensibilibus, ostendit Christi carnem non personam, sed essentiam esse. Hypostaseos, enypostati, &c. definitiones & exempla. Cap. 17.*

NAtura dicitur ipsa angelitas, hypostases autem singularum angelicarũ personarũ proprietates, Gabriël, Michaël. Itẽ, Natura vna & communis est humanitas, hypostasis verò Petrus & Paulus & cæteræ personæ, & characteres. Natura itaque domina est, & causa, & genitrix hypostaseon, quæ in ea insunt, atque iccircò hypostases dicuntur, quia naturæ tanquam fonti subiiciuntur. Si ergo dicas; Bona natura est angelus, totam eorum essentiam significas. Si verò dicas, magnus est Gabriel, vnam ex omnibus hypostasin denotas. Si verò, humanitas, ecce totam essentiam. Conon autem & Simon hypostases sunt. Rursum si dicas, volucris naturam esse leuem, ecce vniuersam essentiam indicas, si verò columba, vel turtur, vel luscinia sit, ecce hæ sunt hypostases. *Inanima.* Nec tantùm in ratione intellectu animáque præditis eadem hæc regula locũ habet, sed in omni quoque natura animæ motus & sensus experte. Verbi gratia, si dicamus, *Lumen.* Fecit Deus lumẽ, vniuersam stellarum essentiam significamus. si verò solare iubar

dicamus,ipſum & Solem innuimus. quemadmodum & lunare, & aſtrorũ. Idem quoque de ventis,& de ignis eſſentia dicere poſſumus,ſecantur enim in eſſentias,ſiue in Aquilonem,in Auſtrum,in lychnos& lampadas. Itaque ſanctam Chriſti carnẽ hypoſtaſin ſeu perſonam non dicimus, ſed eſſentiã, vt totam naturam noſtram ab illo aſſumptã & ſeruatam fuiſſe ſignificemus. Si enim ipſam hypoſtaſin dixerimus,vnum aliquem hominem dicere deprehendemur,quòd nimirum Chriſtus aſſumpſerit & ſeruauerit. Cæterùm ne hypoſtaſis quidem dici poteſt, quatenus caro à diuino Verbo ſeparari nequit.hypoſtaſis enim perſona ſeparata dicitur. Quo fit,vt enypoſtaton ipſam,id eſt per ſe ſuáque vi ſubſiſtentem non autem hypoſtaſin dicamus. Ἐνυπόστατον enim τὸ ὑπάρχον dicitur, ſiue id quod ſubſiſtit. quemadmodum contrà ἀνυπόστατον id quod ſubſiſtentia ſiue eſſentia caret, vt inſomnium & eſſentia,& ſubſiſtentia caret.quippe quod à ſola phantaſia dependeat. Ἀνυπόστατον & ἀνύπαρκτον,& ἀνούσιον id ipſum eſt, quod verbo quidem ſæpè profertur, nulla tamen in eſſẽtia vel hypoſtaſi dignoſcitur,vt mors, infernus. Ἐνούσιον contrà dicimus, vel id ipſum quod eſt,vel proprietatem,quæ in eſſentia innoteſcit, vt Ingenitum in Deo Patre,genitũ in Filio,proceſſio in Spiritu ſancto,vt ſuprà dictum eſt.

Chriſti caro ἐνυπόστατον non ὑπόστασις

Inſomnium.

De habitu, voluntate, proprietate, & accidente. *Cap-* 18.

HAbitus eſt vniuerſa naturæ facultas ad qualitatem relata, qua quidē facultate ipſam à cæteris diſcernit & ſegregat, quēadmodum D. Dionyſius ait his verbis. Corruptio enim ſeu interitus naturæ, infirmitas & defectus naturalium habituū, actionum & facultatum.

Dionyſ.

De voluntate. Quid ſit voluntas, de quónam, & quot modis dicatur. *Cap.* 19.

VOluntas quidem eſt eſſentiæ intellectualis & rationalis deſideriū ad rem concupitam. Conſtat enim quicquid intelligentia præditum eſt, idem quoque velle poſſe. Θέλησις enim ſeu volitio eſt quaſi quidam fons & vita, quę omni rationali naturæ eſſentialiter ineſt. Dicitur autem θέλημα ſeu voluntas, κατὰ τὸ θέλειν λίαν ἅμα τῇ φύσει πρὸς αὐτὴν λῆγον, hoc eſt quia naturæ admodum concurrat, & in ipſa tādem deſinat. Cæterùm triplex conſideratur volūtas, Diuina, Angelica, & Animalis. Siquidem tres hæ naturæ & ſolæ voluntate præditæ ſunt. Triplicem item diuina quoque in ſcriptura voluntatem dictam deprehendimus, Diuinam, Naturalem ſeu mediam, & carnalem tertiam, qua quidem diabolica ſignificatur. Naturalis autem voluntas à Deo creata

θέλησις.

θελήματος ἔτυμον.

Duplex voluntatis diuiſio.
θεῖκόν.
ἀγγελικόν.
ψυχικόν.
θεῖκόν.
φυσικόν.
σαρκικόν.

creata hominis eſt, nimirum cupidæ partis animæ motus intelligentia conſtans, qui hominem natura ad rem concupitam impellit. Diuina verò voluntas apud homines eſt, cùm innatus intellectualis appetitus ad ea, quæ naturæ conueniunt, ab iis quæ naturæ repugnant properat. Carnalis denique pathica, ſeu perturbationibus ſuccumbẽs, animæ præuaricatio eſt abeo quod naturæ cõuenit, ad id quod naturæ repugnat.

Voluntas eſſentialis ea eſt, quæ communiter in natura cõſimili modo videtur, quali eſſentialiter Domini caro prædita erat, cùm mori nollet, vt ſancti Patres dicunt. Si talis voluntas in Patre & Spiritu ſancto inueniatur, vna prorſus carnis & diuinitatis volitio fuerit. Naturalis voluntas hominis, vt ſancti Baſilius & Cyrillus autores ſunt, eſt ipſe vitæ amor. Omni enim homini vita & lucis fruitio chara eſt, ecce hæc eſt cõmunis voluntas. Gnomicæ porrò, ſeu ſciẽtes voluntates in noſtra natura multæ ſunt, Alius enim homo priuatim ſecum agere vult, alius ædificare, alius arare, alius nauigare, & cæteri conſimiliter multis gnomicis voluntatibus ſeu ſpontinis, vna autem naturali hoc eſt viuendi cupiditate, præditi ſumus. Nec verò fruſtra eſt, quòd homini chara vita eſt, imò natura vnum illud ſignificans, quod ab initio habebat, (nata enim eſt ad immortalitatem) ipſum diligit &

οὐσιώδες θέλημα.

Baſil. *Cyrill.*

γνωμικὰ θελήματα.

amat. Diuina voluntas, mandata Dei ſunt. Naturalis voluntas naturæ ratione prædi-tæ nihil aliud eſt, quàm diuinæ legis executio. Voluntas carnalis nihil aliud, quàm diuinæ legis contemptus.

Quid proprietas, de quónam dicatur, & quot modis. [Quid hypoſtaſis, quid accidens.]
Cap. 20.

I'δίωμα, ſeu proprietas dicitur, κατὰ τὸ ἰδία εἶναι ἅμα τῇ ἰδίᾳ φύσει, ἀμιγὲς τῶν λοιπῶν ὀυσιῶν ὑπάρχον, hoc eſt, quia priuatim propriæ naturæ ita inſit, vt cum cæteris eſſentiis miſceri non poſſit (Proprietates enim à naturis & hypoſtaſibus ſeparari non poſſunt) ſiue Proprietas id propriè eſt, quod aliqua in natura priuatim cognoſcitur, in alia verò non inuenitur. vt verbi gratia, in natura diuina id quod ante ſecula, increatum, & incircunſcriptibile eſt, quæ quidem alij cuicunque eſſentiæ non inſunt, ne ipſi quidem ſanctiſſimo Chriſti corpori, nec enim ante ſecula eſt, neque increatum, neque incircunſcriptibile. Angelicæ naturæ proprietas eſſentia eſt impatibilis, quæ ſibi à laudibus Deo canendis ſilentium imperare non poteſt. Impatibile porrò in iis id dixi, quod immortale eſt. Proprium hominis id

propriè est, quod ex mortali & immortali natura constat, nec in alia vlla essentia cognoscitur. Naturales proprietates eæ sunt: quas iam dixi, sunt verò & hypostaticæ, vt albedo, simitas, longitudo, decurtatio, viriditas, truculentia, & cætera id genus, quę omnibus in hominibus haud simili modo reperiuntur. nec enim omnes sunt similes: non omnes sunt truculenti, non omnes flaui. Vnde fit etiam, vt hypostasin nonnulli priuatum & peculiarem catharacteristicarũ seu figuratiuarum proprietatum, quas prædixi, concursum definiant. Naturales autẽ proprietates ex æquo in omni genere cõsimiliter inueniũtur, vt omnes homines mortales, consimili modo morti obnoxij, rationis, respirationis, somni & ambulationis participes sunt, omnes latis vnguibus præditi, omnes denique agriculturæ, artibúsve cæteris dediti sunt.

Proprietates hypostaticæ.

Hypostasis quid.

Quid sit accidens. Cap. 21.

ACcidens dicitur, id quod adest vel abest. vt infantia & adest & abest perfectionis ratione. Consimili modo sanitas quoque mutatur & morbus, & calor, & siccitas, atque, vt vno verbo absoluam, quicquid commutari potest, id accidẽtis nomine significatur.

De energia, seu actione. Cap. 22.

Nyssenus.

ENergia itaque, seu actio, vt sanctus Gregorius Nyssenus inquit, naturalis est singularum essentiarum facultas & motus, cuius vnum id expers est, quod in rerum natura non est. Quod enim essentiæ alicuius particeps est, omnino actionis etiam illam designantis particeps erit. Vera siquidem ratione instruimur, essentiarum fines in verbis earum actionibus cōsistere, intelligentiam autem eorum quæ intellectu prædita sunt actionem esse, vt sensum eorum quæ sensilia, motum eorum quæ mobilia, volatum eorum quæ volatilia, natationem eorum quę natatilia, reptionem eorum quæ reptilia, illuminationem eorum quæ illuminari possunt, calorem eorum quæ calida, fluxum eorum quæ fluxa, contemplationem eorum quæ contemplationi patent, generationem eorum quæ generationi obnoxia sunt, esse dicimus. atque, vt in vniuersum dicam, nullius non naturæ significatio & determinatio à naturali eius actione cōstituitur. qua sublata, prorsus ipsa quoque natura deperditur & interit. Sublato calore, ignis extinguitur. sublato intellectu, eæ quoque partes animæ tolluntur, quæ intellectu & ratione præditæ sunt, motu item animalis sublato, deperditur animal. Eáque de causa duas in Christo vo-

Finis essentiarum.

luntates & actiones dicimus, ne inanimatum corpus, animámque rationis expertem in ipso confiteamur. Animati enim corporis actio deambulatione & operatione: Rationalis autem animæ actio cogitatione ipsa definitur, qua volumus, ratiocinamur, & consultamus.

Voluntas & actio Christi duplex.

Nec in animatis & mobilibus tantùm, sed in iis etiam, quæ anima motúque carent, naturales actiones deprehendi possunt, vt in scammonia patet, & cæteris expurgantibus pharmacis, quæ quidem euacuandi facultatem habent: item Argentum viuum letali actione præditum: & cicuta consimiliter, qua nullum ad mortem inferendam præsentius venenum est.

Inanima.

Scammonia.

Argentum viuum.

Cicuta.

Nulla verò non admiratione dignum est, quòd diuersæ quædam naturæ plerunque naturalibus actionibus priuatæ, alias actiones pariant, vt lapis ardens actione frigida priuatur. calx enim viua factus vim corporum adustiuam sibi comparat. quemadmodum cedrus quoque ardens actione quidem naturali & vegetatiua, & germinatiua priuatur, actionem verò seu facultatem sanatiuam, & vermibus exitialem emittit, quæ cedræa dicitur.

Lapis ardẽs. calx viua.

Cedrus ardẽs.

Cedræa.

Coniunctio quid est, quânam de re, quótque modis dicatur. Cap. 23.

Coniunctio nihil aliud est, quàm familiaris distantium rerum concursus. A Græcis autem ἕνωσις dicitur, διὰ τὸ εἰς ἓν ὦσαι, τουτέστι συνωθῆσαι τὰ πράγματα. hoc est quia in vnum res cogat & compellat. Cæterùm coniunctio quintuplex est, confusiua, vt vini & aquæ: diuisiua, vt hominis ad hominem: habitualis, vt aurum ad aurum. Christi autem coniunctio super has omnes hypostatica seu personalis dicitur.

ἑνώσεως ἔτυμον.

Hic deest vnum diuisionis membrũ.

Hypostatica porrò coniunctio concursus ille duarum naturarũ fuit, qui per se suáque vi in Dei genitricis vtero fuit.

Neque enim corpus ante Dei Verbũ substitit, neque anima, sed simul atque facta est caro, Deus quoque Verbum, atque animata caro rationísq; particeps. In ipso enim subsistit, vt mihi quidem videtur, quemadmodum nostra quoque conceptio.

Hominis conceptio.

Anima enim per se vísque sua existens cum corpore concurrit. Nec enim corpus per seipsum constituitur, nec anima corpori præexistit, quæ quidem coniunctionẽ Christi velut præfigurat.

contra Origenem.

Homouſion, ſeu conſubſtantiale quid, quánam de re, quótque modis dicatur.

Cap. 24.

HOmoüſion id quidem eſt, quod eiuſdem ſubſtantiæ & actionis citra cõmutationẽ particeps eſt. vt homo homini, angelus angelo, animal animali, flamma flammę: conſubſtantialia ſunt, cùm diuerſis in hypoſtaſibus eandem habeant eſſentiam. Dicitur autem ὁμοούσιον, quia eandem ſibi eſſentiam vímque comparauit. Quatuor porrò modis dicitur ὁμοούσιον ſiue id quod eiuſdem eſt ſubſtantiæ, nimirum ὁμογενὲς, eiuſdem generis, συγγενὲς cognatum, ὁμοιογενὲς ſimilis generis, & ὁμόφυλον eiuſdem tribus. Homoüſion eſt, quod potentia minus ipſa ſui eſſentia eſt. vt lapis carioſus & lapis durus. ita & lignum palmæ, & lignum ebeninum. item caro piſcis & caro cameli. Heteroüſiõ, ſeu diuerſiſubſtantiale, id eſt quod modis omnibus alij diſſimile eſt, vt ignis aqua & homo, Deus & angelus, lutum & ſol ad gramen proferẽdum. Hemiüſion, hoc eſt ſemiſubſtãtiale, à quibuſdam cadauer dictũ eſt, à quo vita abſceſſit. Ἑτεροφυὲς & ἀλλογενὲς, & ἑτερογενὲς, hoc eſt diuerſæ naturæ, alterius diuerſique generis vtrunque diuerſa eſſentia præditum dicitur, nimirum hoc & illud, ſiue ambo.

Homoüſii ἔτυμον & diuiſio.

ἑτερούσιον

Innouatio quid [quámque necessaria eius cognitio.] Cap. 25.

καινοτομία.

INnouatio dicitur quicquid modis omnibus à cōmunis naturę lege immutatum est. nec vlla in re assimile est ei, quod inter homines vsu & cōsuetudine inualuit & inoleuit. Hic autem modus necessariò ediscēdus est, propter eos qui malè innouationem in Christo intelligunt. Etsi enim natura innouauit, cùm sine semine natus est, à partu tamen ætatis incrementum, multáque corporibus humanis accidentia, ciborum ingestiones & egestiones, circuncisionem, transmigrationem, formam, membra, capillorū, dentium & vnguium excrescentias, balbutiem, puerilésque deambulationes: hæc, inquam, omnia per Innouationem nō habuit, sed ad nostri similitudinem, dempto peccato, quemadmodum Paulus exclamat.

i naturæ τρόπον nō λόγον vt Infr. li. 15 in fi dispu. Maximi & Pyrrhi.

Hebr. 4.

Corruptibile quid, vnde, quótque modis dicatur. Cap. 26.

COrruptio duob⁹ modis sacra ī scriptura dicitur. nimirum corporis & animę, vt cùm dicit: Vidit autem Dominus Deus, & ecce vniuersa terra corrupta erat peccato. Item de hominibus hūc in modum verba facit. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in adinuentionibus suis. Supereſt ergò, vt cùm audis doctorem incorruptibile Domini corpus dicentem antequàm crucifigeretur, vt peccati corruptionem intelli-

Gen. 6.

Psal. 13.

gas. Dicit autem ἄφθαρτον incorruptibile, siue ἀμίαντον, hoc est impollutum: non autem quia subtilitate aliqua aut à nostris corporibus diuersitate præditum fuerit. Nã incorruptibile propriè id est, quod ab omni passione, materia, & tactu liberum est. Incorruptibile id etiam est, quod ab alia essentia lædi non potest. Incorruptibile id quoque, quod modis omnibus à fluxu, defectu, & læsione liberum est. Atqui sanctissimum Christi corpus passum est, clauis cõfossum, & lancea, sanguinem & aquam emisit, è viuo denique mortuum euasit. Corruptibile est, quicquid morti obnoxium à vita separari potest. Corruptio autem naturæ, vt sanctus Dionysius ait, nihil aliud est, quàm imbecillitas & defectus naturaliũ habituum, actionum, & facultatum. Vt autem quibusdam placuit, sanctissimum Christi corpus potestate quidem corruptibile erat, hoc est corruptionis capax: actu verò incorruptibile in monumento à Verbi diuinitate conseruatum est.

Dionys.

Non dabis sanctum tuũ videre corruptionem.

* *De libero arbitrio.* *Cap.* 27.

Αὐτεξούσιον, seu liberum arbitrium, est τὸ αὐτοδέσποτον, hoc est quod in cuiusque potestate situm est. Quod enim Domino subiectum est, liberi arbitrij non est.

Αὐτεξουσιότης ergo, seu Arbitrij libertas, propriè est, libera nec vllius dominationi

ſubdita ad rem concupitam dominatio.

Arbitrij libertas intellectualis animæ, eſt libera cupidæ partis animæ ad virtutem vel vitium inclinatio & motus. Vbi autem nulla virtutis & vitij pugna eſt, ibi neque arbitrij animæ libertas innoteſcere poteſt. Quî enim fieri poteſt, vt ibi libera voluntatis electio appareat, vbi contrariorum certamini locus nullus eſt? Sola itaque Chriſti mens, & ſanctiſſima eius anima, ab omni mali ſuggeſtione immunis & libera fuit. Serui enim forma erat, quæ tanquam habenis & imperio Dei Verbi regebatur, qui quidem ei cõiunctus erat. Quocirca homo ille dicebat, qui de ſeruatore intelligitur: Non poſſum ego à meipſo facere quicquã. Cùm enim ſupra naturæ noſtræ terminos & leges ſine ſemine ſubſiſteret, vt qui Dei corpus & anima eſſet Domini nutui confeſtim ſubiectus eſt, tanquam Dei forma præditus.

ἀυτεξούσιος προαίρεσις.

Ioan 5.

Diuerſorum Patrum de incarnationis diſpenſatione Aſſertiones.

D. Dionyſij Areopagitæ de diuina incarnatione, ex cap. 1. De diuinis nominibus. Cap. 28.

THearchia illa, ſeu ſumma diuinitas, humanum genus ſingulari quodam amore proſequitur: putà quæ ea omnino, quibus

obnoxij ſumus, in hypoſtaſeon ſuarum vna ſubierit, humanam vilitatem ſeu abiectionē ad ſeipſam reuocans & aſciſcēs, ex qua ineffabili ratione qui ſimplex eſt Ieſus compoſitus eſt, & qui æternus eſt, temporis extenſionem aſciuit: noſtræ denique naturæ finibus is contentus eſt, qui ſupereſſentiali ratione omnem vniuerſæ naturę ordinem excedit: vnà cum immutabili miniméque cōfuſa proprietatum ſuarum conſeruatione.

2 Eiuſdem, ex epiſtola ad Caium Therapeuten. Quî fieri poteſt, inquit ille, vt Ieſus, qui rebus omnibus antecellit, cum rebus vniuerſis eſſentialiter conſtituatur? nec enim quatenus hominum autor eſt, homo dicitur, ſed quatenus tota ipſa eſſentia verè homo eſt. At nos Ieſum haud humano more definimus. Nec enim Deus tantùm eſt, ſed etiam verè homo eſt, qui ſingulari quodam amore genus humanum proſequitur: & qui, cùm homines antecelleret, hominibus adæquatus eſt, ex hominū eſſentia ſubſtantiam ſibi comparans, qui ſupra omnem eſſentiam conſtitutus erat. Nec minùs tamē ſupereſſentialitate quàm pleniſſimus eſt, qui nunquam ſupereſſentialis eſſe deſinit: cuius nimirùm abundantia factum eſt, vt cùm in hominis eſſentiam verè tranſiiſſet, ſupereſſentiali ratione hominis eſſentiam aſſumpſit. atque adeò ſupra hominem ea ſucceſſerunt, quæ ſunt hominis. Teſtis eſt Virgo,

Non medicū, vt Zinus. ſed monachum. ſic enim monachi primitiuæ eccleſiæ dicebātur: ex Philoſone, Iuſtino Euſeb. &c.

Ieſus.

Luc.1.

Ioan.6.

ſupernaturali ratione concipiẽs, atque aqua immobilis, materialium terrenorúmque pedum pondus ſuſtinens, nec illorum grauitati ſuccumbens, ſed ſupernaturali facultate ita conſtituta, vt neutram in partem difflueret. Quid porrò opus eſt, vt ea quis percurrat? multa illa, inquam, & quàm plurima,

Luc.1. quibus qui diuina contemplari nouit, ſupra mentis captum etiam iis, quæ de humanitate Ieſu affirmantur, excellentiſſimę negationis vim ineſſe cognoſcet. Nam, vt rem in pauca contrahamus, ne homo quidem erat, non quòd homo non eſſet, ſed quòd ex hominibus, ſuprà quàm homines ſoleãt, atque ſupra hominem verè natus homo ſit: tum prætereà neque diuina diuinè, neque humana humanè operatus: ſed incarnato Deo

Actio Theãdrica. nouam quãdam Theandricam, hoc eſt Dei & hominis, actionem nobis exhibuerit.

3 Eiuſdem, ex Theologicis elementis Sancti Hierothei. Quia verò prę ſuo erga genus humanum amore ad noſtram vſque naturã venit, certè eſſentiam quoque noſtram verè ſubiit, ſummúſque adeò Deus homo & factus & dictus eſt. Nobis autem ſit propitius is, quem eorum nomine celebramus, quæ neque ratio noſtra conſequi, neque oratio exprimere queat, quamuis in his quoque ſupereſſentialis exiſtat, non ſolũ quia citra mutationem & confuſionem naturæ noſtræ particeps, nihil paſſus eſt ab in-

effabili coniunctione, quod exuberanti plenitudini suæ repugnaret, sed quia etiam (quod quidem noua omnia nouitate sua inaudita superat) in iis quæ nobis naturalia sunt superiorem natura, & in iis quæ nobis essentialia sunt, essentia maiorem se præstitit: denique omnia quæ nobis insunt, quadam ratione modóque nobis inusitato possedit.

** Magni Gregorij, ex oratione in diem natalem Domini.* *Cap.* 29.

POsteaquã verò Diaboli inuidia, & fraudulenta illius vi, quam mulier, vt & imbecillior perpessa est, & ad persuadendum aptior obtrusit viro (ô infirmitatem meam, mea enim est primi parentis infirmitas) mãdati, quod acceperat ipse oblitus est, & amaro pomi superatus, simul & à ligno vitæ, & à Paradiso, & à Deo, tanquam exul extruditur, & pelliceis induitur vestimẽtis, crassiore nimirum carne, quæ mortem subiret, & Spiritui repugnaret. Ac primùm quidem agnoscit turpitudinem suam, atque ideò se Dei conspectum fugiens abscondit. Hic tamen lucratur mortem, per quam peccatum abscinditur, ne miseria sit immortalis, & cum supplicio beneficium coniunctum cernatur. Hac enim ratione Deus, vt mihi quidem persuadeo, punit. Cæterùm

Adami & Euæ lapsus.

Pellicea vestimẽta quid.

Mors stipendiũ peccati.

Deus quomodo puniat.

cùm variis occaſionibus, atque temporibus humanum genus multorum peccatorum, quæ illa malitiæ radix protulerat, multis modis, nempe oratione, lege, Prophetis, beneficiis, minis, plagis, eluuionibus, incẽdiis, bellis, victoriis, cladibus, prodigiis ex cœlo, ex aëre, ex terra, ex mari, inſperatis hominũ, ciuitatum, gentium euerſionibus, (quibus rationibus nihil aliud agebatur, niſi vt malitia euerteretur) fruſtra priùs eſſet admonitum & reprehenſum, & maioribus peccatis, vt mutuis homicidiis, adulteriis, periuriis, inſanis hominum amoribus, & (quod omnium malorum grauiſſimum erat) ſimulacrorum cultu, quo homines, neglecto procreatore, ad res procreatas colendas & adorandas ſe conuertebant, obſtringeretur: grauioráque iam eiuſmodi morti remedia medicamentáque requirerent, maiora, grauioráque ſunt adhibita. Ipſum enim Dei Verbum, quod eſt ante ſecula, quod comprehẽdi non poteſt, quod corpus non habet (& quæ ſequuntur) ipſa Dei imago incommutabilis, Patris definitio & ratio, imaginem quam homini impreſſerat ipſe ſuſcipit, & propter carnem, carnem gerit, & animo ratione prædito pro ſalute animi mei commiſcetur, vt ſimili ſimilem purget, in omnibus denique, peccato tamen excepto, fit homo. Ex virgine, cuius animum & carnem Spiritus antè purgauerat, naſcitur. Decebat

Malorũ quæ Dei contemptum conſequuntur enumeratio.

εἰδωλολατρεία omniũ malorum grauiſſimum.

Malorũ præcedentiũ amuletum Chriſtus.

Incarnationis Chriſti ſcopus.

enim, vt & liberorum susceptio honoraretur, & illi tamen in honore virginitas anteferretur, atque ita humana forma assumpta ad nos progreditur vnum ex duobus cōtrariis, carne & Spiritu, constans, quorum hic diuinitatem tribuebat, illa diuinitate afficiebatur (ô nouam mistionem! ô coniunctionem admirabilem!) ille qui effector est, efficitur: qui creator est, creatur: qui comprehendi non potest, vinculo humani animi diuinitatem & carnis crassitudinem copulante comprehenditur. Qui ditat alios, pauper fit. Paupertatis enim meæ paupertatem amplectitur, vt ego diuinitatis eius diuitias assequar. Qui plenus est, exinanitur: parumper enim gloriam suam sinit exhauriri, vt ego plenitudinis eius particeps efficiar. Quænam sunt hæ bonitatis diuitiæ? quódnam circa me mysteriū apparet? Ego imaginem, cuius particeps eram factus, non seruaui: ille carnem meam suscipit, vt & imaginem seruet, & carnem reddat immortalem. Alteram init societatem priore societate, eò quidem lōgè admirabiliorem, quòd in priore præstantius, quod erat attribuit, in posteriore quod deterius erat accepit.

Honorabile connubium. Honorabilior virginitas.

Christus duobus ex contrariis constans.

Incarnationis scopus.

Imaginis Adami & Christi differentia.

2 Eiusdem, ex oratione in lumina. Atque Dei filius, hominis Filius & fit, & vocatur: haudquaquam id immutans quod erat: mutari enim non potest: sed id assumens quod

non erat, quæ illius erga nos humanitas eſt: vt ſeparâretur qui ſeparari nequit, intermedia carne tanquam velo nobiſcum verſans, quandoquidem puræ eius diuinitati ferendæ naturæ ortui & interitui obnoxia non ſatis idonea eſt.

3 Eiuſdem, ex oratione ſecunda ad Cledonium. Vtraque enim vnum commixtione euaſerunt, cùm Deus incarnetur, homo autem deificetur.

4 Eiuſdem, ex ſecunda oratione de Filio. Etſi enim ex vtroque vnum factum ſit, non tamen id natura, ſed concurſu.

5 Eiuſdem, ex oratione in lumina. Honorem enim corpori defert, quandoquidem hoc quoque deificatione Deus eſt.

6 Eiuſdem, ex oratione ſecunda de Paſchate. Et per aſſumptionem, quam diuinitas vnxit, quæque eadem cum vngente, atq; (auſim enim dicere) Deo æqualis euadit.

7 Eiuſdem, ex oratione ad baptiſmum exhortatoria. Eundem totum hominem, & totum Deum, pro toto eo, qui paſſus eſt, vt toti tibi ſalutem largiatur, [totam peccati ſoluens condemnationem.]

8 Eiuſdem, ex eadem oratione. Tantùm homo propter te, quàm tu propter illum Deus.

Nyſſeni,

** Nyſſeni, de diuina incarnatione, ex oratione Catechetica. [Diuinitatis & humanitatis cum igne & ellychnio, itémque cum carne & animo collatio.] Cap. 30.*

QVemadmodum enim in lucerna materiam circumplexum ignẽ aſpicimus, eúmq; à materia, quæ ipſum attingit, ratione diſtinguimus, quę tamen reipſa diſtingui non poſſunt, vt flãma per ſe à materia ſeiuncta oſtendatur, ſed vtraque vnum eſt (nullus autem id mihi ſumat in hoc exemplo, quòd ignis corrumpatur, ſed id ſolum accipiens, quod ſimilitudini conuenit, quæ ab ea ſunt aliena repudiet) quid prohibet, quin eodem modo, quo cernimus flammam attingere materiam ſubiectam, nec in ea tamen includi, Deo dignam cogitationem ſuſcipiamus: credamúſque naturam diuinam ita coniungi, atque vnum fieri cum natura humana, vt in ipſa coniunctione atque vnitate, quanuis in homine Deus ſit, nulla tamen circunſcriptione concludatur? Quòd ſi quæris, quomodo Deus cum homine commixtus ſit, priùs conſidera coniunctionem animi cum carne tua, qui quidem animus, ſi intelligere non potes, qua ratione cum corpore copuletur, multò minùs exiſtima te poſſe aſſequi, quo pacto Deus cum homine coniungatur. Verùm quemadmodum in te credis

Ignis cũ materia coniunctio.

Diuinitatis cum humanitate coniunctio.

Animæ cum corpore coniũctio.

aliud quiddam esse animum, quàm corpus sit, quoniam corpus ab animo desertum cadauer euadit, atque iners fit, & ad agendum inutile, licet coniunctionis rationem ignores: sic etiam in Dei cum homine coniunctione confitemur diuinam naturam caducæ mortalíque modis omnibus dignitate præstare, qua ratione autem efficiatur ipsa coniunctio, nō possumus intelligere. Quòd Deus in hominis natura genitus sit, ex rebus admirandis, quæ visæ scriptæque sunt, non ambigimus, rationem autem ac modum, vt maiorem quàm qui à nobis percipi possit, omittimus indagare. Neque enim cùm res omnes incorporeas, & quæ mente solùm percipiuntur, à natura incorporea, & quæ creata non est, procreatas esse credimus: vnde aut quomodo factæ sint, inuestigamus. Sed cùm mundum conditum fuisse acceperimus, rationem qua conditus fuerit, curiosè nō exquirimus, quippe qui planè sciamus, eam nullo modo posse percipi aut explicari.

Quomodo diuinitas cum humanitate coniuncta sit curiosè quærendum non est.

Quòd autem Deus in carne nobis apparuerit, si quis demonstrationes inquirit, is eius opera conspiciat. Nam & quòd Deus ipse sit, nullo alio nisi operum ipsius testimonio comprobatur. Vt igitur rerum vniuersitatem intuentes, earúmque moderationem & ordinem, vitæque nostræ commoda diuinitus data considerantes, vim quan-

Cœli enarrát gloriam Dei &c.

dam mundi effectricem, conseruatricémque cognoscimus, sic in Deo nobis per carnem patefacto admiranda illius opera similia iis quæ scripra sunt, quibus, tanquam notis, natura diuina declaratur, locuples nobis diuinitatis eius testimonium afferūt. Dei nanque esse cognoscimus, hominibus vitam tribuere. Dei, ea quæ sunt prouidentia tueri, ac conseruare. Dei, cibum & potum iis quæ in carne vitam degunt, elargiri.

Dei beneficiorum enumeratio.

Dei, de pauperibus & indigentibus bene mereri. Dei, naturam quæ infirmitate sua de recta via deflexerat, reducere ad sanitatem, & in pristinum statum reuocare. Dei, cunctis æquè rebus procreatis imperare, terræ, mari, aëri, & iis quæ supra aërē sita sunt.

Dei, perpetuam in omnia potestatem habere, in primísque esse morte & corruptione superiorem. Horum si quid in historia, qua vita ipsius describitur, desideraretur, illi qui à religione sunt alieni, meritò mysterium nostrum repudiarent. Sin omnia quibus Deus cognoscitur, in ea conspiciuntur, quid prohibet, quo minùs fidem religionémque suscipias? At enim, inquies, nasci & obire propria sunt huiusce carnis. Cōcedo: verùm ea quæ ortum eius præcesserunt, quæque mortem sunt subsecuta, communem naturæ nostræ conditionem superant. Nam si vtrunque terminum humanæ vitæ consideres, videbis vnde incipiamus,

Inexcusabiles sunt, qui religiōi Christianæ aduersantur.

Hominū ortus & interitus qualis.

& quò deducamur. A corruptione enim principium ducimus, & in corruptionem desinimus. Eius autem nec ortum nec mortem excepit corruptio. Hoc tibi admirandum videtur, & incredibile? gaudeo. Quæ enim suprà quàm credi possint, admirabilia putas, ea supra naturã esse confiteris. Quapropter hoc tibi diuinitatis eius certissimum sit argumentum, quòd quæ de illo prædicantur, non sequuntur omnino ordinem naturalem. Etenim si ea quæ de Christo memoriæ prodita sunt, naturæ terminis omnia continerentur, vbi illius esset diuinitas? Cùm verò multorum, quibus fidem non habes, ratio naturam superet, hæc ipsa testimonio sunt, illum quem prædicamus Deũ etiam esse. Homines enim generantur ex parentum coniunctione, & post mortem ipsam corrumpuntur. Quæ si de ipso dicerentur, Deum esse non posses existimare, quem eandem quam nos, habere naturæ conditionem intelligeres. At cùm illum quidem natum esse audis, sed nascendi ratione communem naturæ nostræ ordinem superasse, eundémque mortuum quidem, sed corruptionem non attigisse: consequens foret, vt si alterutrum tibi credendum non esset, hominem potiùs eum esse non crederes, vnum ex iis qui in natura conspiciuntur, & quem non esse hominem crederes, eum necessariò Deum esse arbitrareris. Qui

Diuinitatis Christi certissimum argumentum.

Quæ de Christo prædicantur, ordinem naturalẽ non omnino sequuntur.

Christus quo modo natus & mortuus.

enim eum ortum esse memoriæ tradidit, idem ex Virgine natum testatus est. Quamobrem si scriptoris verba te adducunt, vt natum credas, eadem scriptoris verba tibi illum ita natum esse persuadeant. Qui enim ortum ipsius enarrauit, idem eum ex Virgine adiunxit extitisse. Et qui de morte mentionem fecit, resurrectionem etiam post mortem est attestatus. Quòd si ex iis quæ audis, & mortuum & genitum esse concedis, ex eisdem dabis omnino, & ortum & mortem eius à corruptione procul abfuisse. Quæ si naturam superant, is intra naturam non continetur, qui propter hæc natura superior fuisse demonstratur.

Resurrectio Christi.

** D. Maximi, de diuina incarnatione, ex interpretatione orationis, De recta cõfessione. [Incarnationis mysteria nullius facundia exprimi possunt, sed sola fide creduntur.]*

Cap. 31.

1 ECquis tantùm excellit dicendi facultate, vt audeat, aut possit explicare, quomodo comprehensus sit Deus?
2 Quomodo caro sine semine generata sit?
3 Quomodo sine corruptione mulieris partus extiterit?

4 Quomodo virgo nullo intercedente homine mater euaserit?
5 Quomodo mater, partu virginitatem nô soluente, virgo permanserit?
6 Et (vt extremo loco quod primum est dicam) quomodo Deus factus sit homo?
7 Et (quod maius mysterium continet) quomodo per essentiam secundum personam in carne existens, per essentiam secundum personam totus semper in Patre fuerit?
8 Quomodo & totus sit natura Deus, & totus natura ita factus sit homo, vt nec diuinam, nec humanam abiiceret, sed ambas sine confusione coniunctas conseruaret?

Fidei definitio.

1 Hæc fides sola comprehendit, cùm eorum quæ mentem & cogitationem superant demonstratio sit, atque etiam cognitio & scientia, quæ nullis verbis demonstrari possit.

Carnis ortus cum voluptate finis cũ dolore. regenerationis ortus cum dolore, finis cum voluptate.

2 Eiusdem, Adamus à diuino mandato recedens in causa fuit, vt hominis principium sit cum voluptate, finis cum dolore. Nam cum voluptate gignitur, cum dolore moritur. Christus autem factus obediens alium ex Spiritu ortum hominibus largitus est, cuius initium à dolore quidem excolendæ virtutis, & laboribus nascitur, finis verò voluptatem & quietem consequitur. Quamobrem & ipse cùm vellet homo fie-

ri, quanuis ſemine noluerit generari, mortem tamen perferre voluit, non vt voluptatis, quæ nulla fuerat, eſſet pœna, ſed vt nos damnatos abſolueret, & morte ſua mortem noſtram interimeret, & conciliaret nobis immortalitatem.

3 Eiuſdem, Æquum fuit, vt Deus, qui natura & bonus, & ſapiens, & iuſtus, & potens eſt, neque vti bonus hominis à ſe procreati deſpiceret infirmitatem: & vti ſapiens eius curandæ rationem cognitam haberet: & vti iuſtus eos qui volentes ſeruituti ſeſe ſubiecerant, nulla violentia in libertatem vindicaret: & vti potens ad hoc perficiendum vires & facultatem obtineret.

Bonitatē, ſapientiam, & iuſtitiam, & potentiā ſuā Deus Chriſto nato exeruit.

4 Dei Verbum carne ſemel generatum Spiritu volentibus ſemper generatur. Mores virtutéſque quaſi corpus eius conſtituunt, ſermones in Spiritu habiti animam, mentem verò Theologica contemplatio.

Chriſtus in fidelibus quomodo generetur.

5 Eiuſdem, Qui ſine peccato factus eſt homo, omnino, ſine mutatione in diuinitatem, hominem diuinum efficiet. eúmque per ſe tantùm extollet, quantùm per illum ſeſe ſummi ſit. In ſeculis enim futuris, vt ait Apoſtolus, patefient excellentes diuitiæ bonitatis erga nos Dei.

Homo quomodo diuinus euadat.

6 Quemadmodum in lana candida, ſi co-

In mente humana à Deo assumpta vn' tantùm princeps Deus. lore purpuræ imbuatur, non duo sunt, sed vnus color: sic in mente humana à Deo assumpta, diuináque reddita, non duo sunt principes Deus & mens, sed vnus qui mentem diuinam reddidit Deus.

** Ioannis Damasceni.*
Cap. 32.

Hæc eadem suprà ad verbum. ANgelus Domini missus ad Sanctam Virginem, quæ genus ex Dauidica tribu ducebat (constat enim Dominum ex Iuda ortum traxisse, qua ex tribu nullus animum ad Sacerdotium appulit *

Heb.7. * vt D. Apostolus ait, de quo

Luc.1. posteà dicemus apertiùs) sic Euangelizans
» dixit, Aue gratia plena, Dominus tecũ. Quæ
» cùm turbata esset hoc sermone, subiecit
» Angelus. Ne timeas, Maria, inuenisti enim
» gratiam apud Dominum: & Paries Filiũ,
» & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim
» seruabit populum suum à peccatis eorum:
» vnde Iesus Seruatorem significat. Quæ cùm
» hæsitans respondisset. Quomodo fiet istud,
» quia virum non cognosco? adiecit An-
» gelus, Spiritus Sanctus superueniet in te, &
» virtus altissimi obumbrabit tibi. ideóque
» quod nascetur Sanctum, vocabitur Filius
» Dei. Illa verò, Ecce, inquit, ancilla Domini,
» fiat mihi secundum verbum tuum.

Itaque vbi primùm sancta consensit Vir-

go, Spiritus ſanctus in eam deſcendit, prout Dominus per Angelum dixerat, vt eam purgaret, vimque diuinitatis, & generationis Verbi capacem ſuggereret. túncque per ſe ſubſiſtens altiſſimi Dei ſapiétia & virtus, nimirum Dei Filius Patri conſubſtantialis, haud ſecus atque diuinum ſemen eam obũbrauit, ſibíque ipſi ex caſtis eius & puriſſimis ſanguinibus carnem anima rationis & intellectus participe animatam compegit, noſtrę maſſę primitias. nec id ex ſemine, ſed diuino artificio, per Spiritum ſanctum. nec figura paulatim acceſſionibus efformata, ſed vno eodémque momento perfecta, ipſum Dei Verbum carnis hypoſtaſin aſſumpſit. Itaque cùm primùm caro fuit, Dei quoque Verbi caro fuit. & cùm primũ animata caro, rationíſq; & intellectus particeps fuit, Dei quoque Verbi animata caro, rationíſque & intellectus particeps fuit. Quocirca non hominem Deificatum, ſed Verbum incarnatum dicimus. Nam cùm perfectus naturâ Deus eſſet, idem homo quoque perfectus naturâ factus eſt. neque naturam mutans, neque per phantaſiam ſeu ſimulationẽ diſponens, ſed carnem anima rationis & intellectus participe animatam ex ſancta virgine aſſumens, quæque in ipſo eſſentiam haberet, hypoſtaticè coniunctus eſt. nulla confuſione, nulla mutatione, nulla diuiſione facta, diuinitatis ſuæ natura in carnis eſſentiã

Plura ſunt ſuprà.

minimè mutata, neque contrà, carnis suę essentia in suæ diuinitatis naturam conuersa, neque vna eadémque natura, composita ex diuina sua natura, & humana, quam assumpserat.

Eiusdem, De modo ἀντιδόσεως, seu mutuæ proprietatum retributionis.
Cap. 33.

VOces hæ Diuinitas & humanitas essentiam siue naturam significant. Illæ verò, Deus & homo, modò essentiam indicant, vt cùm dicimus: Deus essentia est, quæ comprehendi non potest. item, Deus est vnus, modò personas declarat, de quibus ita dicitur, vt species de suis indiuiduis. vt in eo scripturę loco, Proptereà vnxit te Deus, De⁹
Psal. 44. tuus: ecce enim hic Patrem & Filium significauit. Et cùm legis in alio loco. HOMO qui-
Iob. 1. dam erat in regione Ausitide. Iobus enim
„ solus indicatur. Quoniam igitur in Domino nostro Iesu Christo duas naturas agnoscimus, & vnam tantùm personam, quæ ex vtraque constat natura. Proinde cùm naturas contemplamur, diuinitatem & humanitatem dicimus. quando autem ex natura cō stantem personam, si ex vtraque natura con stare consideretur, eam tum Christum, tum Deum & hominem simul, tum Deum incar natum vocamus. sin ex vna, tum Deum dúntaxat, & Filium Dei, tum hominem solum

appellamus. Et aliquando quidem ex sublimioribus rationibus, aliquando autē ex humilioribus consideratur. Vnus enim est, siue hoc siue illo modo existat. Iam cùm diuinitatem dicimus, eam humanitatis proprietatibus non denominamus. Neque enim dicimus, diuinitatē pati, aut creatam esse. Nec rursum de carne, aut humanitate diuinitatis proprietates enuntiamus. Quandoquidem nec carnem nec humanitatem increatam appellamus. At personæ, siue ex vna, siue ex vtraque parte nominemus, vtriusque naturæ proprietates attribuimus. Etenim Christus, quemadmodum vtrunque est, sic etiam dicitur, tum Deus & homo, tum creatus & increatus, tum pati & non pati, Quinetiam cùm ex vna tantùm parte, vel Deus aut Filius Dei nominatur, coniunctæ sibi naturæ seu carnis suscipit proprietates. Itémque Deus passus, & Dominus gloriæ affixus cruci, non quatenus Deus, sed quatenus homo dicitur: vel homo, aut Filius hominis vocatur, essentiæ diuinæ proprietates & dignitates admittit, vocatúrque puerulus ante secula, & homo sine principio: non quatenus est puerulus, aut homo: sed quatenus Deus existens ante secula in nouissimis natus est seculis. Atque hæc quidem est ratio mutuæ alternæque attributionis vtriusque naturæ quę suas vtraque proprietates alteri vicissim præbet. propterea quòd vnam & eandem

Naturarum Christi proprietates non confunduntur.

ἀντίδοσις quid.

personam constituunt, séque mutuò comprehendunt. Ex quo fit, vt de Christo possimus dicere, Hic Deus noster, in terra visus est, & cum hominibus versatus. Item, Hic homo nec creatus est, nec patitur, nec vllo termino circunscribitur.

Eiusdem, Totam diuinam naturam in vna suarum personarum toti humanæ naturæ coniunctam esse, non autem partem parti. [quæ quidem oratio necessaria est etiam aduersus illos, qui in sancta & eiusdem essentiæ Trinitate tres asserunt esse singulares essentias. Cap. 34.

Essentia de persona dicitur.

QVæ commune & vniuersum, ac veluti totum quiddam constituunt, ea de subiectis sibi partibus dicũtur. Itaque enim essentia commune & vniuersum quiddam sit, ac totius rationem obtineat, persona autem pars (pars, inquam, non quòd naturæ partem habeat, partem non habeat, sed numero pars, vt indiuiduũ, numero enim, non natura differunt personę) essentia dicitur de persona. Quoniam in vnaquaque eiusdem speciei personarum est essentia perfecta.

Accidentia.

Quamobrem personæ essentia non differunt inter se, sed accidentibus. Accidentia voco characteras ac notas illas ꝓprias, quæ personam, non autem essentiam designant.

ὑπόστασις quid.

Sic enim personam definiunt, vt sit essentia cum accidentibus coniuncta. Quare perso-

na habet id, quod eſt commune cum propria nota copulatum. Eſſentia verò non per ſe ſubſiſtit, ſed in perſonis conſideratur. Itaque cùm vna patitur perſonarum, omnis eſſentia, per quam eſt perſona, in vna ſuarum perſonarum dicitur paſſa. Nec tamen ſequitur neceſſariò, vt omnes eiuſdem ſpeciei perſonæ ſimul cum illa quæ paſſa eſt, ipſæ quoque paſſæ dicãtur. Sic ergo confitemur totam diuinitatis naturam in ſingulis perſonis ſuis eſſe perfectam, totam in patre, totam in filio, totam in Spiritu ſancto. Quocirca & perfectus Deus eſt Pater, & perfectus Deus eſt Filius, & perfectus Deus eſt Spiritus ſanctus. Sic item in humanitate aſſumpta ab vno ſanctæ Trinitatis Deo Verbo totam & perfectam diuinitatis naturam, in vna ſuarum perſonarũ, toti humanæ naturę, non autem partem parti fuiſſe coniunctam dicimus. Nam vt diuinus inquit Apoſtolus, in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, id eſt in carne eius. Et Pauli diſcipulus in rebus diuinis explicandis excellentiſſimus Dionyſius, Se totam, inquit, in vna ſuarum perſonarum cõmunicauit. Nec tamen cogemur dicere omnes, ſeu tres, ſanctæ diuinitatis perſonas omnibus humanitatis perſonis ſecundum perſonas eſſe coniũctas. Nulla enim alia, niſi approbationis & voluntatis ratione Pater & Spiritus Sanctus aſſumptæ à Deo Verbo

Coloſ. 2. « «

Dionyſ.

Pater & Spiritus quatenus incarnationi Verbi cõmunicarĩt.

humanitati communicarunt. Totam verò diuinitatis eſſentiam toti humanæ naturæ coniunctam aſſerimus. Quia nihil eorum, quæ naturæ noſtræ Deus Verbum inſeruit, cùm initio nos procrearet, dimiſit, ſed omnia ſuſcepit, nempe corpus, animam, mente rationéque præditam, & eorum proprietates (animal enim quod harum aliqua parte caret, non eſt homo) Totum enim totus aſſumpſit, & totus toti coniunctus eſt, vt toti ſalutem largiretur. Quod enim non eſſet aſſumptũ, foret incurabile. Coniunctũ igitur eſt carni Verbum Dei, & Deus per mentem inter Dei puritatem, & carnis craſſitudinem intercedentem. Nam animæ quidem carníſque princeps eſt mens, vt pote puriſſima ipſius animæ pars, Deus autem ipſius mentis, quæ cùm cedit præſtantiori, principatum oſtendit ſuum. Sic autem cum præſtantiori coniungitur, atque illi obſequitur, vt faciat quæcunque voluntas diuina præſcribit.

Incarnationis Chriſti ſcopus.

Dei & mentis cognatio.

Mens eſt diuinitatis ſibi per perſonam coniunctæ locus, quemadmodum & caro, non autem ſimul inhabitat, vt opinionis errore decipiuntur hæretici, qui, Quomodo, inquiunt, quod vnum tantùm modium capit, duos modios continebit? Errant imperiti, quia ratione corporea diiudicant ea, quæ à materia ſunt remotiſſima. Quomodo enim Chriſtus dicetur perfectus Deus, & perfectus homo, & eiuſdem cum Patre & nobiſ-

Hoc Philoponus dicebat vt Scutariotes hic adnotat.

cum essentiæ, si partem diuinæ naturæ cum parte naturæ humanæ in seipso coniungat? Porrò dicimus naturam nostram à mortuis surrexisse, & in cælum ascendisse, & sedisse ad dexteram Patris, non quòd omnes omnium hominum personæ surrexerint, & ad dexteram Patris consederint, sed quòd omnis natura nostra hæc in Christi persona sit consecuta. Nos, inquit D. Apostolus, cõsurgere & considêre fecit in Christo. Præterea dicimus coniunctionem hanc ex communibus essentiis cõfectam. Nam omnis essentia, vt commune atque vniuersum quiddã, omnes sibi subiectas personas complectitur. Nec licet naturam siue essentiam vllam singularem, priuatámque reperire. Sic enim esset necessarium, personas ipsas essentiæ & eiusdem esse & diuersæ, & sanctam Trinitatem eiusdem esse, diuersǽque essentiæ, quãtùm pertinet ad diuinitatem. Eadem igitur natura in singulis personis consideratur. Et quando dicimus, Verbi naturam carnem assumpsisse, diuinitatem, ex beatorum Athanasij Cyrillíque sententia, carni esse cõiunctam affirmamus. Quamobrem non possimus dicere, Verbi naturam esse passam, neque enim diuinitas in ipso passa est. Dicentes autem naturam humanam fuisse passam in Christo, non omnes hominum personas significamus, sed in natura humana Christũ esse passum confitemur. Quare cum Verbi

Resurrectio.

Coloss. 3.

Athanas. Cyrill.

Humanam naturam in Christo passã. quõ intellig.

Verbum. naturā dicimus, ipſum Verbum indicamus. Verbum autem & eſſentiæ communitatem obtinet, & perſonæ proprietatem.

Eiuſdem. [De vna Dei Verbi compoſita perſona. Cap. 71.] Cap. 35.

Ortus Chriſti duplex. Chriſtus natus propter nos, ex nobis, & ſupra nos.

EVndem igitur etiā poſt humanam carnem aſſumptam vnum Filium Dei & Filium hominis, vnum Chriſtum, vnum Dominum, vnigenitum Filium, & Verbū Dei, Ieſum Dominum noſtrum confitemur. Duos ipſius ortus venerātes, vnum quidem ex Patre ante ſecula, omni cauſa & ratione tum temporis tum naturæ ſuperiorem: alterum autem in nouiſſimis temporibus propter nos, & ex nobis, & ſupra nos: propter nos, quia propter ſalutem noſtram: ex nobis, quia ex muliere natus eſt homo legitimo partus tempore: ſupra nos, quia ſine ſemine ex Spiritu ſancto, & ſancta Virgine, ſupra pariendi legem. Nec Deum ſolū ipſum prædicamus à noſtra ſeiunctum humanitate, nec ſolum hominem remotum à diuinitate: nec alium atque alium, ſed vnum & eundem, ſimul Deum atque hominem: Deum perfectum, & perfectum hominem. totum Deum & totum hominem, eundem totum Deum etiam cum carne ſua, & totū hominem etiam cum ſumma diuinitate: vt dicentes perfectum Deum & perfectum hominem, abſolutam & nulla re deficientem natura-

Perfecti & totius differētia. Perfectus Deus & homo quid.

naturarum plenitudinẽ oſtendamus, dicentes autem totum Deum & totum hominẽ, vnicam & ſingularem perſonã declaremus. Vnam item Dei verbi naturã carnem aſſumpſiſſe confitemur, id eſt carnis eſſentiam, vt beatus Cyrillus intelligit. Carnẽ igitur Verbum aſſumpſit, nec tamen à natura ſua receſſit materiæ experte, & cùm totum carnem aſſumpſerit, totum tamen nullo termino circunſcribitur. Corpore minuitur, atque contrahitur, at diuinitate non circunſcribitur, cùm eius caro ſuper diuinitate, quæ circunſcribi non poteſt, non extendatur. Totus ergo perfectus eſt Deus, non totum autem Deus, neque enim ſolùm Deus, ſed etiam homo. Et totus homo perfectus, nõ autem totum homo, neque enim ſolùm homo, ſed etiam Deus. vt totum quidem naturam conſtituat, totus autem perſonam, itémque naturæ ſit aliud, alius autem perſonæ. In omnibus erat, & ſuper omnia, etiam in vtero diuinæ genitricis. In hoc tamen ea potiſſimùm actione, qua carnem induebat.

Totus Deus & homo quid.

Incarnatio quid.

Cyrillus.

Totus & totum in Christo quid diff.

Alius & aliud in Christo quid diff.

Illud ſciendum eſt, quamuis dicamus Domini naturas inter ſe mutuò commeare, id tamen à natura diuina proficiſci. Ipſa enim, vt vult, per omnia commeat, tranſit, ac penetrat, per ipſam verò nihil. Atq; ipſa quidem dignitates ſuas carni ſic elargitur, vt nihil patiatur, & carnis affectionum ex-

Quod naturæ in Christo cõmeent, diuinæ beneficio fit.

Sol. Christus.

pers maneat. Nam si nobis Sol actiones impertit suas, & à nostris nihil accipit, quanto magis id Solis autor & Dominus ipse præstabit?

Eiusdem, De natura in specie & indiuiduo considerata, necnon De coniunctionis & incarnationis differentia.

Cap. 36.

ψιλῇ ἐπινοίᾳ ἢ κοινῶς.

NAtura vel cogitatione sola & nuda cõsideratur, per se enim non subsistit: vel communiter in omnibus eiusdem speciei personis, eas ipsa coniungens. Et dicitur in specie aut communiter considerata natura eadem, quæ assumptis accidentibus in vna persona. Et dicitur in indiuiduo considerata persona eadem esse, quæ in specie consideratur. Deus igitur Verbum carnem assumens, neque nuda & sola cogitatione comprehensam naturam accepit (neque enim id esset carnem assumere, sed decipere, & carnis assumptionem contingere) neque naturam illam, quæ in specie consideratur: neque enim personas omnes accepit, sed naturam in indiuiduo, quę eadem est cum illa, quæ est in specie (primitias enim accepit nostræ massæ) non per se subsistentem, & quæ prius esset indiuiduum, vt sic ab ipso assumeretur, sed quæ in sua ipsius existeret persona. Nam ipsa Dei Verbi hypostasis, siue persona, carnis hypostasis siue persona ex-

titit. Atque ita Verbum caro factum est, ἀτρέπτως.
sine incitatione tamen, & caro Verbum, ἀμεταβλήτως.
sine commutatione. Et Deus homo, & homo Deus, ob hanc personalem coniunctionem. Quapropter idem est dicere, naturam Verbi, & naturam in indiuiduo. Neque enim id indiuiduum, seu personam propriè & singulariter declarat, neque personarum communitatem, sed communem naturam, quæ in vna personarum consideratur & expenditur. Aliud igitur est coniunctio, aliud carnis assumptio. Con- ἕνωσις.
iunctio enim solam indicat copulationem, cum quo autem fiat ipsa copulatio non declarat. At carnis, seu (quod idem est) hu- σάρκωσις.
manitatis assumptio cum carne, siue cum homine coniunctionem demonstrat, quemadmodum & ignitio (vt ita dicam) ferri cũ πύρωσις.
igne coniunctionem ostendit.

Eiusdem, De naturalibus, & nulli crimini obnoxiis affectionibus. [Verbum, dempto peccato, totum hominem, & cuncta quæ sunt hominis, assumpsit.]
Cap. 37.

AD hæc confitemur, eum omnes naturales & culpa carentes affectiones hominis suscepisse. Totum enim hominem, & quæ sunt hominis assumpsit omnia, præter peccatum. Hoc enim neque naturale est,

Peccati origo iuxta illud, Peccatum nihil est in mũdo.

φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη.

neque nobis insitum à creatore, sed diaboli satu in libero nostro proposito nobis volentibus, non autem inuitis coaluit, & propagatum est, dominióque potitum. At naturales, & vitio culpaque vacantes affectiones sunt illæ, quæ in potestate nostra non sunt, quæ nimirum ex admissi peccati damnatione, & noxa in vitam humanam irruerunt: vt fames, sitis, lassitudo, dolor, lacrymæ, interitus, mortis deprecatio, timor, angor, ex quo sudores, sanguinis guttæ, Angelorum propter naturæ imbecillitatem, subsidium, & consolatio. Hæc & alia id genus, quæ omnibus insunt hominibus naturaliter; omnia suscepit, vt omnia prorsus sancta redderet.

Incarnationis scopus.

Ex natura quomodo affectiones Christus habuerit

Supra naturam quomodo.

Naturales autem omnes affectiones & ex natura, & supra naturam erant in Christo, Ex natura enim in eo mouebantur, cùm permittebat carni, vt quæ propria illius sunt, pateretur, atque sentiret. Supra naturam verò, quoniam naturales in Domino motus & affectiones eius voluntati non imperabant. Nihil enim in eo coactum, inuitum, & necessarium consideratur, sed omnia voluntaria. Volens enim esuriit, volens sitiuit, volens timuit, volens mortuus est.

Item alia de diuina Incarnatione. [Aliorum Patrum.] Demonstrationes syllogisticæ, ex communibus notionibus.

Cap. 38.

1 SI ignis in suo loco manens cum ferro coniungitur, multo magis ille qui est omnipotens, immobilis manens assumptæ carni coniunctus est, vt qui totus erat in Patre, totus in illa esset assumptione. Quæ quidem ratio si naturæ vim superat, nil mirum est, quando Filius, & Verbum ipsa est natura præstantius. *Ignis & ferri coniunctio.*

2 Si mens animæ corpus incolenti coniuncta quolibet progreditur, ipsam animam non derelinquens, & impenetrabilis (vt ita dicam) per omnia commeat, & penetrat, superuacaneum est dubitare, quomodo Filius & Deus nec Patrem relinquens, nec cælum deserens in terram descenderit, & cum nequeat comprehendi, sit ab anima & corpore comprehensus. Nam si res procreata hanc obtinet potestatem, qualis erit procreator ipse, admirabilis huius, quæ verbis explicari non potest, elargitor? *Mentis & animæ coniunctio.*

3 Totum Verbum, qui Deus est, carnem assumpsit, & totum nequit comprehendi. Quamobrem & totum erat in sinu Dei & Patris, & totum simul in vtero diuinæ matris, illic vt nullo termino comprehen- *Deus Verbũ quatenus cõprehendi potest, quatenus non potest.*

ſum, hîc autem, vt indutum humana carne.

4 Iam ante mundi conſtitutionem, vt Deus humanam carnem aſſumeret, præfinitum erat. Nunquam autem, ante ſanctiſſimam Mariam, diuinæ carnis aſſumptione dignum repertum eſt domicilium. Vbi autem repertum eſt, humanam carnem aſſumpſit Deus. Qui ideo in deſponſa Virgine cōcipi voluit, vt & matrimonium, cuius initium ſponſati ſunt, commendaret, & ei virginitatem anteponeret.

Mariæ virginis excellētiā, præ creaturis omnibus.

Incarnationis tempus.

Honorabile connubium,

Honorabilior virginitas.

5 Humanitas, quæ per coniunctionem in vna eadémque perſona aſſumpta eſt, ex ipſa coniunctione & communione effecta diuina eſt, ſtatímque ab humanæ naturæ terminis non recedens, excellentes & magnificas diuinitatis dotes accepit, vt & vitam tribueret, & eſſet omnipotens, & omnia cerneret. Dicitur autem ſerua & ignara, & aliis eiuſmodi nominibus appellatur, ſi quis (vt inquit Gregorius Theologus) ſola nuda cogitatione ſeparet id, quod videtur, ab eo quod intelligitur. In hac autem Chriſtus obnoxius fuit naturalibus & culpa vacantibus affectionibus, vt nec à propria natura diſcederet, & ſe verè carnem humanam aſſumpſiſſe confirmaret, & doloribus ſuis noſtros curaret, & naturalibus affectionibus eas quæ ſunt præter naturam aboleret, & denique vt eas vincens ipſe tanquam

Humanitas quomodo in diuinitatem tranſierit.

Nazianz. ψιλῇ ἐπινοίᾳ

homo nobis ſimili natura ſecum coniunctis & cognitis victoriam ipſam largiretur. Peccatum enim non eſt affectio naturalis, & quæcunque ad peccatum pertinent.

6 Vt ignis ferrum ignitum & illuſtre reddens frigiditatis & nigredinis eius particeps ipſe non efficitur, ita diuinitas virtutem ſuã humanitati communicans eius non accipit imbecillitatem. *Ignis, Ferrum.*

7 Puritas quidem cum ſordibus noſtris verſatur, ſed ipſæ tamen ſordes puritatem non inficiunt. Lux enim, inquit, in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Nam cùm tenebræ præſentia radiorũ expellantur, Sol tamen à tenebris nõ obſcuratur. *Lux. Tenebræ. Ioan. 1.*

8 Vnum dicitur in iis quidem, quæ ſunt eiuſdem eſſentiæ, cùm eadem eſt natura, & diuerſæ perſonæ. Ex quo illud, Et tria vnum ſunt. In iis autem quæ diuerſæ ſunt eſſentiæ, vnum dicitur, cùm eadẽ perſona eſt, & diuerſæ naturę, ex quo illud, Et vtrunque vnum. Vnum autem non naturâ, ſed coniunctione duarum naturarum in vna perſona. *Vnum in homoüſiis & heteroüſiis. 1. Ioan. 5.*

9 Idem dicitur vel eſſentia, ſeu (quod idẽ eſt) natura, vt Petrus & Paulus idem natura ſunt. vel genere, vt bos & equus idem ſunt genere: vel ſpecie, vt Titus & Timotheus idem ſunt ſpecie. Nam ſub homine ſunt ambo: vel numero, vt quod multa habet *Idem 6. modis. 1. Eſſentia, 2. Genere, 3. Specie, 4. Numero.*

nomina. gladius enim, ensis, mucro, idem numero, his enim vnum subiicitur: vel analogia, seu conuenientia, aut proportione. Quod enim est oculus in corpore, idem est mens in animo; vel persona, vt in Christo. eius enim diuersæ naturæ persona idẽ sunt, siue vnum.

Analogia. *Oculus,* *Mens.* *Persona.*

10. Coniunctio est mutuus rerum diuersarum concursus. fit autem variis modis, vel mixtione, vt in iis, quæ liquida sunt, qualę est vinum & aqua. vel aceruo, vt in iis, quæ sunt arida, vt triticum & hordeum: vel imbibitione, vt in humido & sicco, qualis est terra & aqua: vel remixtione, vt in diuersis farinis. vel confusione, vt in iis quæ liquefiunt, qualia, sunt aurum, & argentum, & cera, & pix: vel congruentia, vt in lapidibus. vel appositione, vt in tabulis: vel coniunctione, vt in lampade, quæ ex igne proficiscitur, & rursum coniungitur: vel essentia, vt in indiuiduis, quales sunt Petrus & Paulus, aut aliqui vel equi vel boues, aut alia animalia: vel habitu, vt in amicis & sententiis in vnam voluntatem conuenientibus: vel compositione, vt in anima & corpore: vel persona, id quod de sola diuinitate & humanitate in Christo dicitur. Hoc autẽ coniunctionis genus primus tradidit sanctus Cyrillus, cùm repugnaret Nestorio,

Cõiunctio 12 modis. *Mixtione.* *Aceruo.* *Imbibitione.* *Remixtione.* *Confusione.* *Congruentia.* *Appositione.* *Cõiunctione.* *Essentia.* *Habitu.* *Cõpositione.* *Persona.* *Cyrillus. cõtra Nestorium.*

qui duarum in Christo naturarum copulationem habitu fieri docebat. Execrandæ enim illius resistens opinioni coniunctionē quæ fit per hypostasin, siue personam, induxit, qua duæ naturæ in vna persona, non autem in duabus, vt nugis suis asserebat Nestorius, copulantur. Dicitur autem hæc & οὐσιώδης hoc est essentialis cōiunctio, quòd vera sit, non autem sola opinione fingatur. Alioqui personalis coniunctio est eorum, quæ diuersæ sunt essentiæ, in vnam personā concursus, sua cuique vel post coniunctionem seruata proprietate. Quæ quidem coniunctio quadrat etiam animæ & corpori in vnam coëuntibus personam, vt Damascenus edocuit. *Essentialis coniunctio.* *Damasc.*

11 Homoypostaton, seu eiusdem personæ, id esse dicitur, quod in vna eadémque persona cum alio, à quo differt essentia, cōiungitur. Vt in anima quoque fit & corpore. Omnibus quidem rebus immixtus est Deus per potentiam, naturam cuiusque regentem & conseruantem. Filius autem & Deus cū humanitate assumpta mixtus est per personam. *ὁμοϋπόστατον.* *Anima & corpus homoypostata.*

12 Si assumpta humanitas est Verbi propria, quæ humanitatis assumptæ propria sunt, erunt etiam Verbi propria, licet eis seipsum nō subiiciat, sed illi communicet quæ sua sunt, quanuis non eo modo, quo ea à se possidentur. Hanc autem mutuæ tributio- *ἀντίδοσις.*

nis rationem vocamus, qua naturæ se vicissim capiunt, & quæ vtrique propria sunt, sibi mutuò tribuunt. At tametsi vicissim ac mutuò has inter se commeare dicimus, hoc tamen ex diuina propriè natura pédet, quæ per omnia transit, & commeat, & penetrat, vbi vult, per illam autem nihil.

13 Hæc mutua tributio tria in primis significat. Nam vel in nominibus consideratur, vt cùm hominem dicimus Deum, & Deum hominem: vel in rebus, & hæc est duplex. Aut enim ęqualis est & dissimilis, vt in Deo homine facto, & in homine facto Deo. Licet enim tantùm assumptus homo factus sit Deus, quantùm Deus hominem assumens factus est homo (per corpus enim & animã, & mentem, vtrunque factum est) non similiter tamen. Deus enim per naturam factus est homo, homo autem per gratiam factus est Deus. Aut similis & inæqualis, vt in anima à Deo homini data, vt in carne ab homine Deo & Verbo tributa. Imago enim Dei est, & quoad fieri potest, Deo similis anima, æqualis autem nullo modo. Et tunc quidem id dedit, quod præstantius erat, pòst autem id quod deterius erat, accepit. Verum animaduertendum est, quanuis aliquando dicamus Deum hominem, aliquando hominẽ Deum, diuinitatem tamen hominẽ, aut humanitatem Deum nos nunquam dicere.

14 Etsi nullum potest exemplum excogi-

pati, quod planè rem propositam exprimat, nos tamē aliquod afferre conabimur, quod quidem si rei magnitudini minùs respondebit, appositè tamen vtcumq; veritatē adumbrabit. Quemadmodum si totus exardescat aër, vel potiùs sit totus ignis, exiguum autē ferri frustulum in illum coniiciatur, necesse quidē erit illud sic affici, vt nihil aliud quàm ignis esse videatur, attamē illi essentiæ ratio permanebit. Eodem modo natura humana diuinæ coniuncta, sic ab illa comprehensa est & superata, vt non ampliùs natura hominis esse videatur. Et hac de causa Patres nostri quod exuperat & dominatur, id intuentes, illam Deum esse factam dixerunt. Ideóque propter vnam horum personam, & indissolubilem coniunctionem, vnum item his adorationis cultum deberi.

Ferri frustulū aeri exardescenti iniectum.
Vt arundo Acesta volās liquidis in nubibus arsit. Aen. 5.
Diuinitas humanitati quomodo cōiuncta.
Infra contra Ioan Philip.

15 Personarum quidem in Christo differentias non admittimus, ne quartam personam in Sancta Trinitate confingamus. Naturarum autem differentias agnoscimus, ne carnem eiusdem per naturam essentiæ cum Christo credamus esse.

Differt Christus naturis non personis.

16 Coniunctione duarum naturarum in Christo facta, iam non diuisio, sed differentia dicenda est. Differentia enim ratio est per quam rerum subiectarum alia differt ab alia. Diuisione verò res eædem prorsus & in vniuersum à se disiunguntur.

Differentia in Christo, at non diuisio locum habet.
διαφορά. διαίρεσις.

17 Verbum & Deus aut vniuersum aut sin-

Christus singularem non vniuersam hominis naturã assumpsit.

gularem assumpsit hominem. Si vniuersum, oculis non cerneretur. Natura enim vniuersa non est conspicua. Prætereà multas haberet personas: plures enim genus vniuersum complectitur. Nec eiusdem nobiscum esset substantiæ: nos enim sumus individua, & multa eiusmodi incommoda sequerentur. Sin hominem assumpsit singularem, duas deprehenderetur habere personas. Reliquum igitur est, vt neutrum assumpserit, sed singularis, hoc est indiuidui naturam hominis, cuius ipse persona fuit. Singularis autẽ hominis natura communis quidem est, sed in indiuiduo. Singularem verò dicimus hominẽ, vt indiuiduum speciei, non animam solam, aut corpus solum, sed quod ex vtroq; conficitur.

Singularis homo.

[illegible]

18 Quæ in natura humana sunt à vitio reprehensionéque aliena, ea Christus partim supra homines accepit, partim vt homines, partim abiectiùs quàm homines. Supra homines fuit, quòd sine semine conceptus est, quòd ex Virgine natus, & cætera horum similia. Hominum more fuit, quòd diuinæ genitricis vterũ infantulus tumefecit, quòd nouem mensium spatio natus est, quòd hausit lac, quòd plorauit, & id genus alia. Abiectiùs & humiliùs, quàm pro hominum cõsuetudine, fuit, quòd eius species in cruce

Esai. 53.

» turpis apparuit, & cum ignominia, & defi-
» ciens, vt inquit Esaias, supra Filios hominũ;

quódque priùs quàm latrones, qui simul in ‹‹ crucem acti erant, præ clauorũ dolore mor- ‹‹ tuus est. Adde & illud, si placet, quòd sub *Ioan.19.* humili forma hortulani se post resurrectio- ‹‹ nem conspiciendum præbuit, & Apostolis *Ioan.22.* cicatrices, & loca vulnerum ostendit, quód- ‹‹ que cibum cepit. Nam reliqui homines po- *Matt.13.* steà quàm fuerint in vitam reuocati, fulgebunt vt Sol, nec vllus eorum eiusmodi cicatrices in corpore, aut vulnerum loca retinebit, nec comedet.

19 Filius Dei, atque idem Deus, & conceptus & natus esse dicitur, & docuisse, & res admirandas fecisse, & (vt paucis omnia cõplectar) tum egisse, tum passus esse, & mortuus, & surrexisse. Quoniam assumptæ carnis ipse fuit persona, quæ quidem caro sine semine genita nullam aliam propriam personam habuit. Quocirca cùm assumentis & assumptæ humanę naturæ vna sit eadémque persona, ipse dicitur & agere & pati ex eius, quod assumpsit, natura. Et quæ illius propria sunt, sibi asciscit vt propria, quippe qui sit eius hypostasis, atque persona, vt demonstrauimus. *Christus egit & passus est diuersa ratione.*

** Item, De Filij Dei incarnatione. [Tredecim hæresibus reiectis, Ecclesiæ verã de Christi nominibus & incarnatione opinionem solam amplexandã esse docet.]* Cap. 39.

OPeræpretiũ verò mihi facturus videor,

Verbum. naturā dicimus, ipſum Verbum indicamus. Verbum autem & eſſentiæ communitatem obtinet, & perſonæ proprietatem.

Eiuſdem. [De vna Dei Verbi compoſita perſona. Cap. 71.] Cap. 35.

Ortus Chriſti duplex. *Chriſtus natus propter nos, ex nobis, & ſupra nos.*

EVndem igitur etiā poſt humanam carnem aſſumptam vnum Filium Dei & Filium hominis, vnum Chriſtum, vnum Dominum, vnigenitum Filium, & Verbū Dei, Ieſum Dominum noſtrum confitemur. Duos ipſius ortus venerātes, vnum quidem ex Patre ante ſecula, omni cauſa & ratione tum temporis tum naturæ ſuperiorem: alterum autem in nouiſſimis temporibus propter nos, & ex nobis, & ſupra nos: propter nos, quia propter ſalutem noſtram: ex nobis, quia ex muliere natus eſt homo legitimo partus tempore: ſupra nos, quia ſine ſemine ex Spiritu ſancto, & ſancta Virgine, ſupra pariendi legem. Nec Deum ſolū ipſum prædicamus à noſtra ſeiunctum humanitate, nec ſolum hominem remotum à diuinitate: nec alium atque alium, ſed vnum & eundem, ſimul Deum atque hominem: Deum perfectum, & perfectum hominem.

Perfecti & totius differētia. *Perfectus Deus & homo quid.*

totum Deum & totum hominem, eundem totum Deum etiam cum carne ſua, & totū hominem etiam cum ſumma diuinitate: vt dicentes perfectum Deum & perfectum hominem, abſolutam & nulla re deficientem natura-

naturarum plenitudinē oſtendamus, dicentes autem totum Deum & totum hominē, vnicam & ſingularem perſonā declaremus. Vnam item Dei verbi naturā carnem aſſumpſiſſe confitemur, id eſt carnis eſſentiam, vt beatus Cyrillus intelligit. Carnē igitur Verbum aſſumpſit, nec tamen à natura ſua receſſit materiæ experte, & cùm totum carnem aſſumpſerit, totum tamen nullo termino circunſcribitur. Corpore minuitur, atque contrahitur, at diuinitate non circunſcribitur, cùm eius caro ſuper diuinitate, quæ circunſcribi non poteſt, non extendatur. Totus ergo perfectus eſt Deus, non totum autem Deus, neque enim ſolùm Deus, ſed etiam homo. Et totus homo perfectus, nō autem totum homo, neque enim ſolùm homo, ſed etiam Deus. vt totum quidem naturam conſtituat, totus autem perſonam, itémque naturæ ſit aliud, alius autem perſonæ. In omnibus erat, & ſuper omnia, etiā in vtero diuinæ genitricis. In hoc tamen ea potiſſimùm actione, qua carnem induebat.

Totus Deus & homo quid.

Incarnatio quid.

Cyrillus.

Totus & totum in Christo quid diff.

Alius & aliud in Christo quid diff.

Illud ſciendum eſt, quamuis dicamus Domini naturas inter ſe mutuò commeare, id tamen à natura diuina proficiſci. Ipſæ enim, vt vult, per omnia commeat, tranſit, ac penetrat, per ipſam verò nihil. Atq; ipſa quidem dignitates ſuas carni ſic elargitur, vt nihil patiatur, & carnis affectionum ex-

Quod naturæ in Christo cōmeent, diuinæ beneficio fit.

Sol. Christus.

pers maneat. Nam si nobis Sol actiones impertit suas, & à nostris nihil accipit, quanto magis id Solis autor & Dominus ipse præstabit?

Eiusdem, De natura in specie & indiuiduo considerata, nécnon De coniunctionis & incarnationis differentia.

Cap. 36.

ψιλῇ ἐπινοίᾳ ἢ κοινῶς.

NAtura vel cogitatione sola & nuda cõsideratur, per se enim non subsistit: vel communiter in omnibus eiusdem speciei personis, eas ipsa coniungens. Et dicitur in specie aut communiter considerata natura eadem, quæ assumptis accidentibus in vna persona. Et dicitur in indiuiduo considerata persona eadem esse, quæ in specie consideratur. Deus igitur Verbum carnem assumens, neque nuda & sola cogitatione comprehensam naturam accepit (neque enim id esset carnem assumere, sed decipere, & carnis assumptionem contingere) neque naturam illam, quæ in specie consideratur: neque enim personas omnes accepit, sed naturam in indiuiduo, quę eadem est cum illa, quæ est in specie (primitias enim accepit nostræ massæ) non per se subsistentem, & quæ priùs esset indiuiduum, vt sic ab ipso assumeretur, sed quæ in sua ipsius existeret persona. Nam ipsa Dei Verbi hypostasis, siue persona, carnis hypostasis siue persona ex-

titit. Atque ita Verbum caro factum eſt, ſine incitatione tamen, & caro Verbum, ſine commutatione. Et Deus homo, & homo Deus, ob hanc perſonalem coniunctionem. Quapropter idem eſt dicere, naturam Verbi, & naturam in indiuiduo. Neque enim id indiuiduum, ſeu perſonam propriè & ſingulariter declarat, neque perſonarum communitatem, ſed communem naturam, quæ in vna perſonarum conſideratur & expenditur. Aliud igitur eſt coniunctio, aliud carnis aſſumptio. Coniunctio enim ſolam indicat copulationem, cum quo autem fiat ipſa copulatio non declarat. At carnis, ſeu (quod idem eſt) humanitatis aſſumptio cum carne, ſiue cum homine coniunctionem demonſtrat, quemadmodum & ignitio (vt ita dicam) ferri cũ igne coniunctionem oſtendit.

ἀτρέπτως. ἀμεταβλήτως. ἕνωσις. σάρκωσις. πύρωσις.

Eiuſdem, De naturalibus, & nulli crimini obnoxiis affectionibus. [Verbum, dempto peccato, totum hominem, & cuncta quæ ſunt hominis, aſſumpſit.] Cap. 37.

AD hæc confitemur, eum omnes naturales & culpa carentes affectiones hominis ſuſcepiſſe. Totum enim hominem, & quæ ſunt hominis aſſumpſit omnia, præter peccatum. Hoc enim neque naturale eſt,

Peccati origo iuxta illud, Peccatum nihil est in mũdo.

φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη.

neque nobis insitum à creatore, sed diaboli satu in libero nostro proposito nobis volentibus, non autem inuitis coaluit, & propagatum est, dominióque potitum. At naturales, & vitio culpaque vacantes affectiones sunt illæ, quæ in potestate nostra non sunt, quæ nimirum ex admissi peccati damnatione, & noxa in vitam humanam irruerunt: vt fames, sitis, lassitudo, dolor, lacrymæ, interitus, mortis deprecatio, timor, angor, ex quo sudores, sanguinis guttæ, Angelorum propter naturæ imbecillitatem, subsidium, & consolatio. Hæc & alia id genus, quæ omnibus insunt hominibus naturaliter, omnia suscepit, vt omnia prorsus sancta redderet.

Incarnationis scopus.

Ex natura quomodo affectiones Christus habuerit.

Supra naturam quomodo.

Naturales autem omnes affectiones & ex natura, & supra naturam erant in Christo, Ex natura enim in eo mouebantur, cùm permittebat carni, vt quæ propria illius sunt, pateretur, atque sentiret. Supra naturam verò, quoniam naturales in Domino motus & affectiones eius voluntati non imperabant. Nihil enim in eo coactum, inuitum, & necessarium consideratur, sed omnia voluntaria. Volens enim esuriit, volens sitiuit, volens timuit, volens mortuus est.

Item alia de diuina Incarnatione. [Aliorum Patrum.] Demonstrationes syllogisticæ, ex communibus notionibus.

Cap. 38.

1 SI ignis in suo loco manens cum ferro coniungitur, multo magis ille qui est omnipotens, immobilis manens assumptæ carni coniunctus est, vt qui totus erat in Patre, totus in illa esset assumptione. Quæ quidem ratio si naturæ vim superat, nil mirum est, quando Filius, & Verbum ipsa est natura præstantius. *Ignis & ferri coniunctio.*

2 Si mens animæ corpus incolenti coniuncta quolibet progreditur, ipsam animam non derelinquens, & impenetrabilis (vt ita dicam) per omnia commeat, & penetrat, superuacaneum est dubitare, quomodo Filius & Deus nec Patrem relinquens, nec cælum deserens in terram descenderit, & cum nequeat comprehendi, sit ab anima & corpore comprehensus. Nam si res procreata hanc obtinet potestatem, qualis erit procreator ipse, admirabilis huius, quæ verbis explicari non potest, elargitor? *Mentis & animæ coniunctio.*

3 Totum Verbum, qui Deus est, carnem assumpsit, & totum nequit comprehendi. Quamobrem & totum erat in sinu Dei & Patris, & totum simul in vtero diuinæ matris, illic vt nullo termino comprehen- *Deus Verbũ quatenus cõprehendi potest, quatenus non potest.*

ſum, hîc autem, vt indutum humana carne.

4 Iam ante mundi conſtitutionem, vt Deus humanam carnem aſſumeret, præfinitum erat. Nunquam autem, ante ſanctiſſimam Mariam, diuinæ carnis aſſumptione dignum repertum eſt domicilium. Vbi autem repertum eſt, humanam carnem aſſumpſit Deus. Qui ideo in deſponſa Virgine cõcipi voluit, vt & matrimonium, cuius initium ſponſati ſunt, commendaret, & ei virginitatem anteponeret.

Mariæ virginis excellẽtia, præ creaturis omnibus.
Incarnationis tempus.
Honorabile connubium,
Honorabilior virginitas.

5 Humanitas, quæ per coniunctionem in vna eadémque perſona aſſumpta eſt, ex ipſa coniunctione & communione effecta diuina eſt, ſtatímque ab humanæ naturæ terminis non recedens, excellentes & magnificas diuinitatis dotes accepit, vt & vitam tribueret, & eſſet omnipotens, & omnia cerneret. Dicitur autem ſerua & ignara, & aliis eiuſmodi nominibus appellatur, ſi quis (vt inquit Gregorius Theologus) ſola nuda cogitatione ſeparet id, quod videtur, ab eo quod intelligitur. In hac autem Chriſtus obnoxius fuit naturalibus & culpa vacantibus affectionibus, vt nec à propria natura diſcederet, & ſe verè carnem humanam aſſumpſiſſe confirmaret, & doloribus ſuis noſtros curaret, & naturalibus affectionibus eas quæ ſunt præter naturam aboleret, & denique vt eas vincens ipſe tanquam

Humanitas quomodo in diuinitatem tranſierit.

Nazianz.
ψιλῆ ἐπινοίᾳ

homo nobis ſimili natura ſecum coniun-
ctis & cognitis victoriam ipſam largiretur.
Peccatum enim non eſt affectio naturalis,
& quæcunque ad peccatum pertinent.

6 Vt ignis ferrum ignitum & illuſtre red- *Ignis,*
dens frigiditatis & nigredinis eius particeps *Ferrum.*
ipſe non efficitur, ita diuinitas virtutem ſuã
humanitati communicans eius non accipit
imbecillitatem.

7 Puritas quidem cum ſordibus noſtris *Lux.*
verſatur, ſed ipſæ tamen ſordes puritatem *Tenebræ.*
non inficiunt. Lux enim, inquit, in tenebris *Ioan. 1.*
lucet, & tenebræ eam non comprehende-
runt. Nam cùm tenebræ præſentia radiorũ
expellantur, Sol tamen à tenebris nõ obſcu-
ratur.

8 Vnum dicitur in iis quidem, quæ ſunt *Vnum in ho-*
eiuſdem eſſentiæ, cùm eadem eſt natura, & *moüſiis & he-*
diuerſæ perſonæ. Ex quo illud, Et tria v- *teroüſiis.*
num ſunt. In iis autem quæ diuerſæ ſunt eſ- *1. Ioan. 5.*
ſentiæ, vnum dicitur, cùm eadẽ perſona eſt,
& diuerſæ naturę, ex quo illud, Et vtrunque
vnum. Vnum autem non naturâ, ſed con-
iunctione duarum naturarum in vna per-
ſona.

9 Idem dicitur vel eſſentia, ſeu (quod idẽ *Idem 6. mo-*
eſt) natura, vt Petrus & Paulus idem natura *dis.*
ſunt. vel genere, vt bos & equus idem ſunt *1. Eſſentia,*
genere: vel ſpecie, vt Titus & Timotheus *2. Genere,*
idem ſunt ſpecie. Nam ſub homine ſunt *3. Specie,*
ambo: vel numero, vt quod multa habet *4. Numero.*

nomina. gladius enim, ensis, mucro, idem numero, his enim vnum subiicitur: vel analogia, seu conuenientia, aut proportione. Quod enim est oculus in corpore, idem est mens in animo; vel persona, vt in Christo. eius enim diuersæ naturæ persona idē sunt, siue vnum.

Analogia. *Oculus,* *Mens.* *Persona.*

10. Coniunctio est mutuus rerum diuersarum concursus. fit autem variis modis, vel mixtione, vt in iis, quæ liquida sunt, quale est vinum & aqua. vel aceruo, vt in iis, quæ sunt arida, vt triticum & hordeum: vel imbibitione, vt in humido & sicco, qualis est terra & aqua: vel remixtione, vt in diuersis farinis. vel confusione, vt in iis quæ liquefiunt, qualia, sunt aurum, & argentum, & cera, & pix: vel congruentia, vt in lapidibus. vel appositione, vt in tabulis: vel coniunctione, vt in lampade, quæ ex igne proficiscitur, & rursum coniungitur: vel essentia, vt in indiuiduis, quales sunt Petrus & Paulus, aut aliqui vel equi vel boues, aut alia animalia: vel habitu, vt in amicis & sententiis in vnam voluntatem conuenientibus: vel compositione, vt in anima & corpore: vel persona, id quod de sola diuinitate & humanitate in Christo dicitur. Hoc autē coniunctionis genus primus tradidit sanctus Cyrillus, cùm repugnaret Nestorio,

Cōiunctio 12 modis. *Mixtione.* *Aceruo.* *Imbibitione.* *Remixtione.* *Confusione.* *Congruentia* *Appositione.* *Cōiunctione.* *Essentia.* *Habitu.* *Cōpositione.* *Persona.* *Cyrillus cōtra Nestorium.*

qui duarum in Christo naturarum copulationem habitu fieri docebat. Execrandæ enim illius resistens opinioni coniunctionẽ quæ fit per hypostasin, siue personam, induxit, qua duæ naturæ in vna persona, non autem in duabus, vt nugis suis asserebat Nestorius, copulantur. Dicitur autem hæc & οὐσιώδης hoc est essentialis cõiunctio, quòd vera sit, non autem sola opinione fingatur. Alioqui personalis coniunctio est eorum, quæ diuersæ sunt essentiæ, in vnam personã concursus. sua cuique vel post coniunctionem seruata proprietate. Quæ quidem coniunctio quadrat etiam animæ & corpori in vnam coëuntibus personam, vt Damascenus edocuit. *Essentialis coniunctio.* *Damasc.*

11 Homoypostaton, seu eiusdem personæ, id esse dicitur, quod in vna eadémque persona cum alio, à quo differt essentia, cõiungitur. Vt in anima quoque fit & corpore. Omnibus quidem rebus immixtus est Deus per potentiam, naturam cuiusque regentem & conseruantem. Filius autem & Deus cũ humanitate assumpta mixtus est per personam. *ὁμοϋπόστατον.* *Anima & corpus homoypostata.*

12 Si assumpta humanitas est Verbi propria, quæ humanitatis assumptæ propria sunt, erunt etiam Verbi propria, licet eis seipsum nõ subiiciat, sed illi communicet quæ sua sunt, quanuis non eo modo, quo ea à se possidentur. Hanc autem mutuæ tributio- *ἀντίδοσις.*

nis rationem vocamus, qua naturæ se vicissim capiunt, & quæ vtrique propria sunt, sibi mutuò tribuunt. At tametsi vicissim ac mutuò has inter se commeare dicimus, hoc tamen ex diuina propriè natura pẽdet, quæ per omnia transit, & commeat, & penetrat, vbi vult, per illam autem nihil.

13 Hæc mutua tributio tria in primis significat. Nam vel in nominibus consideratur, vt cùm hominem dicimus Deum, & Deum hominem: vel in rebus, & hæc est duplex. Aut enim ęqualis est & dissimilis, vt in Deo homine facto, & in homine facto Deo. Licet enim tantùm assumptus homo factus sit Deus, quantùm Deus hominem assumens factus est homo (per corpus enim & animã, & mentem, vtrunque factum est) non similiter tamen. Deus enim per naturam factus est homo, homo autem per gratiam factus est Deus. Aut similis & inæqualis, vt in anima à Deo homini data, vt in carne ab homine Deo & Verbo tributa. Imago enim Dei est, & quoad fieri potest, Deo similis anima, æqualis autem nullo modo. Et tunc quidem id dedit, quod præstantius erat, pòst autem id quod deterius erat, accepit. Verum animaduertendum est, quanuis aliquando dicamus Deum hominem, aliquando hominẽ Deum, diuinitatem tamen hominẽ, aut humanitatem Deum nos nunquam dicere.

14. Etsi nullum potest exemplum excogi-

tari, quod planè rem propositam exprimat, nos tamẽ aliquod afferre conabimur, quod quidem si rei magnitudini minùs responde-bit, appositè tamen vtcumq; veritatẽ adumbrabit. Quemadmodum si totus exardescat aër, vel potiùs sit totus ignis, exiguum autẽ ferri frustulum in illum coniiciatur, necesse quidẽ erit illud sic affici, vt nihil aliud quàm ignis esse videatur, attamẽ illi essentiæ ratio permanebit. Eodem modo natura humana diuinæ coniuncta, sic ab illa comprehensa est & superata, vt non ampliùs natura hominis esse videatur. Et hac de causa Patres nostri quod exuperat & dominatur, id intuentes, illam Deum esse factam dixerunt. Ideóque propter vnam horum personam, & indissolubilem coniunctionem, vnum item his adorationis cultum deberi.

Ferri frustulũ aëri exardescenti iniectum.

Vt arundo Acesta volãs liquidis in nubibus arsit. Aen. 5.

Diuinitas humanitati quomodo cõiuncta.

Infra contra Ioan Philip.

15 Personarum quidem in Christo differentias non admittimus, ne quartam personam in Sancta Trinitate confingamus. Naturarum autem differentias agnoscimus, ne carnem eiusdem per naturam essentiæ cum Christo credamus esse.

Differt Christus naturis non personis.

16 Coniunctione duarum naturarum in Christo facta, iam non diuisio, sed differentia dicenda est. Differentia enim ratio est per quam rerum subiectarum alia differt ab alia. Diuisione verò res eædem prorsus & in vniuersum à se disiunguntur.

Differentia in Christo, at non diuisio locum habet.

διαφορά.

διαίρεσις.

17 Verbum & Deus aut vniuersum aut sin-

Christus singularis seu indiuidui hominis naturã assumpsit.

gularem assumpsit hominem. Si vniuersum, oculis non cerneretur. Natura enim vniuersa non est conspicua. Prætereà multas haberet personas: plures enim genus vniuersum complectitur. Nec eiusdem nobiscum esset substantiæ: nos enim sumus indiuidua, & multa eiusmodi incommoda sequerentur. Sin hominem assumpsit singularem, duas deprehendetur habere personas. Reliquum igitur est, vt neutrum assumpserit, sed singularis, hoc est indiuidui naturam hominis, cuius ipse persona fuit. Singularis autẽ hominis natura communis quidem est, sed in indiuiduo. Singularem verò dicimus hominẽ, vt indiuiduum speciei, non animam solam, aut corpus solum, sed quod ex vtroq; conficitur.

Singularis homo.

φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη.

18 Quæ in natura humana sunt à vitio reprehensionéque aliena, ea Christus partim supra homines accepit, partim vt homines, partim abiectiùs quàm homines. Supra homines fuit, quòd sine semine conceptus est, quòd ex Virgine natus, & cætera horum similia. Hominum more fuit, quòd diuinæ genitricis vterũ infantulus tumefecit, quòd nouem mensium spatio natus est, quòd hausit lac, quòd plorauit, & id genus alia. Abiectiùs & humiliùs, quàm pro hominum cõsuetudine, fuit, quòd eius species in cruce „ turpis apparuit, & cum ignominia, & defi- „ ciens, vt inquit Esaias, supra Filios hominũ;

Esai. 53.

quódque priùs quàm latrones, qui simul in crucem acti erant, præ clauorũ dolore mortuus est. Adde & illud, si placet, quòd sub humili forma hortulani se post resurrectionem conspiciendum præbuit, & Apostolis cicatrices, & loca vulnerum ostendit, quódque cibum cepit. Nam reliqui homines posteà quàm fuerint in vitam reuocati, fulgebunt vt Sol, nec vllus eorum eiusmodi cicatrices in corpore, aut vulnerum loca retinebit, nec comedet.

Ioan. 19. Ioan. 21. Matt. 13.

19 Filius Dei, atque idem Deus, & conceptus & natus esse dicitur, & docuisse, & res admirandas fecisse, & (vt paucis omnia cõplectar) tum egisse, tum passus esse, & mortuus, & surrexisse. Quoniam assumptæ carnis ipse fuit persona, quæ quidem caro sine semine genita nullam aliam propriam personam habuit. Quocirca cùm assumentis & assumptæ humanę naturæ vna sit eadémque persona, ipse dicitur & agere & pati ex eius, quod assumpsit, natura. Et quæ illius propria sunt, sibi ascíscit vt propria, quippe qui sit eius hypostasis, atque persona, vt demonstrauimus.

Christus egit & passus est diuersa ratione.

** Item, De Filij Dei incarnatione. [Tredecim hæresibus reiectis, Ecclesiæ verã de Christi nominibus & incarnatione opinionem solam amplexandã esse docet.] Cap. 39.*

OPeræpretiũ verò mihi facturus videor,

ſi iam profitear, quid de diuina humanæ carnis aſſumptione ſentiã. Hac enim ratione ipſa Dei, qui corpus hoc vniuerſitatis moderatur, prouidentia clariùs innoteſcet.

Valentini fabula.

1 Valentinus itaque in fabuloſis illis nugamentis ſuis alium Vnigenitum, aliud Verbum confingebat: atque etiam alium Chriſtum, qui intra Pleroma, ſeu plenitudinem, comprehenderetur, alium item Ieſum, aliũ denique Chriſtum, qui extra Pleroma conſiſteret. Ieſum porrò hominem factum exteriore illo Chriſto indutũ, corpore ex animæ eſſentia ſibi aſſumpto. ſolúmque tranſitum per Virginem habuiſſe, nec humana ex natura quicquam aſſumpſiſſe fabulabatur.

2 Baſilides eodem modo, alium quoque Chriſtum, aliud Verbum, aliam denique Sapientiam dicebat.

3 Cerdo, Marcio, & Manes, Chriſtum quidem homini ſimilem apparuiſſe, humani tamen nihil habuiſſe dicebant.

4 Cerinthus Ieſum ex Ioſepho & Maria ſecundum communem hominum legẽ natum eſſe, Chriſtum autem cœlitus in Ieſum deſcendiſſe.

5 Ebionæi autem, Theodotiani, Artemoniani, & Photiniani, Chriſtũ nudum & ſimplicem hominem ex Sancta Virgine natum dicebant.

6 Arrius & Eunomius ab illo ſolum corpus aſſumptum fuiſſe, diuinitatem verò ani-

mæ partes suppleuisse.

7 Apolinarius denique animatum quidē esse Seruatoris corpus aiebat. at non anima rationis participe. Superflua enim fuisset mens, inquit ille, Verbo præsente.

[Confutatio Præcedentium hæreseon. Cap. 40.

CÆterùm hæc multarum hæreseon dogmata visum est adscribere, vt Ecclesiæ veritatem hoc pacto patefacerem. Eūdem, qui & Vnigenitus, & Deus Verbum, & seruator, & Dominus Iesus est, Ecclesia Filium nominat: ita tamen vt Filius Vnigenitus, & Deus Verbum, & Dominus, etiam ante carnem assumptam dictus sit, atque etiamnum carne assumptā iisdem nominibus dicatur. Iesus autem Christus tantùm post carnem assumptam dici cœperit, huiusmodi nomina rebus ab ipsis adeptus. Iesus enim tanquā Seruator nominatur, & exponitur: cuius interpretationis Gabriel ipse testis est, cùm Virginem his verbis alloquitur. Vocabis nomen eius Iesum, quoniam ipse seruabit populum suum à peccatis eorum. Christi autem cognomen accepit, ab vnctione Spiritus. Hymnificus enim Dauides ait. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lętitiæ præ consortibus tuis: Ipse quoque Dominus per Prophetam inquit. Spiritus Domini super me, quapropter vnxit me.

Iesus. *Matth. 1.* *Christus.* *Psal. 44.* *Esai. 61.*

Ita autem de Prophetia illa ſentiendum eſſe Dominus ipſe nos docuit. Ingreſſus enim Synagogam, libro quo Prophetiæ continebantur præ manibus ſumpto, prædictum
Luc. 4. quidem locum legit, at præſentibus, Hodie,
„ inquit, impleta eſt ſcriptura hæc in oculis
„ veſtris. Prophetis ea quoque conſentanea fuerunt, quæ magnus ille Petrus prędicauit. Cùm enim iis qui apud Cornelium congregati erant myſterium aperuiſſet, ita ſubiun-
Act. 10. xit. Vos ſcitis Verbum quod factum eſt
„ per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa
„ poſt baptiſmum, quem prędicauit Ioannes:
„ Ieſum Nazarenum, quomodo vnxit eum Deus Spiritu Sácto & virtute. Ex iis quæ
Christus vnde dictus. ſuprà dicta ſunt perſpicuum eſt, Chriſtum id nominis iccirco ſortitum, quia vnctus à Spiritu fuerat. Vnctus autem eſt, non vt Deus, ſed vt homo. Quanuis autem ratione carnis aſſumptæ vnctus, & poſt aſſumptam carnem Chriſtus nominatus ſit, alius tamen non fuit Deus Verbū, aliúſque Chriſtus. Deus enim Verbum aſſumpta carne nomen Ieſu Chriſti adeptus eſt.

Incarnationis ſcopus. Carnem porrò aſſumpſit, vt naturā peccato corruptam reſtitueret. Propterea vniuerſam eam, quæ peccauerat, aſſumpſit, vt vniuerſam ſanaret. Nec enim vt diuinitatē obtegeret, naturam corpoream aſſumpſit, vt Arrius & Eunomius inſani deliramentis ſuis aſſeruerunt. Facilè nanque vel ſine corpore,

pore, videndum se præbere poterat, quemadmodum olim Abrahamo, Iacobo, aliísq; Sanctis apparuit: sed voluit, vt ipsa, quæ iam olim succubuerat, natura hostem debellaret: eiúsque victrix euaderet. Iccirco etiam corpus & animam rationis participem assumpsit. Nec enim triplicem hominem diuina scriptura facit, sed illum ex corpore & anima constare testatur. Cùm enim Deus corpus è limo finxisset, animam ei insufflauit, duásque naturas, nõ tres, exhibuit. Quin ipse quoque Dominus in Euãgeliis ait. Nolite timere eos qui occîdunt corpus, animã autem non possunt occidere: multa item id genus alia in diuina scriptura inuenire est. *Homo.* *Matth. 10.*

Quòd autem perfectam hominis naturã assumpserit, non vt diuinitati suæ pallium obduceret, vt hæretici fabulantur, sed vt his primitiis omni humano generi victoriã cõpararet, testis verus, & diligens doctor est D. Apostolus. Nam in Epistola ad Romanos dispensationis reuelans mysterium sic ait. Propterea sicut per vnum hominẽ peccatum in hunc mũdum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerũt. Quibus verbis demõstrata peccati origine, fructúque qui inde suppullulauit, néc non eo, qui ab initio illi obnoxius factus est, eiusdẽ quoque finem demonstrat. Vsque ad legẽ enim peccatum erat in mundo. Peccatum *Rom. 5.* *Ibidem.*

» autem non imputabatur, cùm lex non esset.
» Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Mo-
» sem: etiam in eos, qui non peccauerunt, in
» similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Mosis autem nomine legem intelligit: cuius politia, seu Reipub. administratio, vsque ad Seruatoris aduétum inualuit. Cùm autem peccassent & ij, qui ex legis illius præscripto viuebant, & ij, qui naturæ legem sequebantur, meritò imperium mors in illos exercuit: eius potentiam confirmante peccato. Stipendia enim peccati, mors
» erat. Itaque posteà quàm docuit, vndé nam peccatum cœperit, & quousque mors regnauerit, docet etiã quo nã modo eius imperium dissolutum fuerit: atque immensam Dei humanitaté laudat his verbis. Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim
» vnius delicto multi mortui sunt, multò ma-
» gis gratia Dei & donum, in gratia vnius ho-
» minis Iesu Christi in plures abundauit.

Rom. 6. *Rom. 5.*

Ambitio humanitatis, inquit, ius & æquũ transgreditur. Iuris enim præscripto, propter vnius delictum, vniuersa eius prosapia morti addicebatur. Diuina verò misericordia, cùm omnes homines sub execratione essent, & peccati cassibus implicarétur, propter vnius iustitiam, cunctis salutem elargita est. Hominem autem Seruatorem appellauit, nõ vt eius diuinitaté inficietur. Ipsum enim Deum esse nouit: eiusdem cum Deo,

Adam. *Christus.* *Seruator homo.*

genitore honoris:sed vt simile à simili sanatum fuisse, ab ipsisq; primitiis sanctificationem toti accessisse doceat. Cùm enim humanitatis ratione legi obnoxius esset, legẽ adimpleuit, legísque transgressores ab execratione liberauit. Tum deinde eandẽ orationem aliis verbis iterat. Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudicium ex vno,in cõdemnationem:gratia autem ex multis delictis, in iustificationem. *Ibidem.*

Quo tempore,inquit,vnus peccauit,vniuersi condemnati sunt:nunc autẽ cùm peccauerint omnes, vniuersis, dum modò velint, salus per fidem proposita est. Quibus verbis posteaquàm ostendit vnius iustitiam communis peccati amuletum fuisse, subiicit per eundem mortis quoque mansionem intercidisse, finémq; suũ accepisse. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnũ,multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ,accipiẽtes,in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Peccatum,inquit, mortem conciliat:in vitam verò regni cum vnius iustitia seruamur:non lege, sed misericordia diuinam salutem consequentes.Iuris enim lex omnes supplicio reos addixerat. Omnes enim peccati operarij eramus. Nam si ob vnius peccatum prosapia condemnata est, æquius vtique prorsus erat, vt qui peccatò seruiebant,supplicio addicerẽtur.Sed diuina misericordia iuris fines trãs- *Christi iustitia peccati amuletum.* *Ibidem.*

gressa est atque humanitas æqualitatem superauit:ita vt lege ab vno completa omnes in eum credentes salute fruerentur. Quibus verbis posteà quàm immensam humanitaté ostendit,denuò ad Verbi diuini explicationem transit. Igitur sicut per vnius delictũ in omnes homines in condemnationem:sic & per vnius iustitiam,in omnes homines in iustificationem vitæ. Hinc à rebus ad personas transiens,Sicut enim,inquit, per inobedientiam vnius hominis,peccatores constituti sunt multi:ita & per vnius obeditionem,iusti constituentur multi. Pernecessarium porrò erat, vt in vtroque dictione, Multi, vteretur. Cùm enim peccasset Adamus, quamplurimíque leges diuinas transgressi essent, nõnulli intra naturæ fines perseuerarunt: & studiosi virtutis fuerunt, vt Abelus,Enochus, Noæus, Patriarchæ, Prophetæ,cæteríque permulti,nõ tantùm apud Iudæos,sed etiam apud alias gentes:De quibus ita D.Apostolus ait, Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes,ipsi sibi sunt lex.Ab aduentu autem Seruatoris non omnes salutem consequuntur,sed ij qui credunt, & ex diuinarum eius legum præscripto vitam suam instituunt. Qua etiam de causa in imagine & in archetypo dictione,Multi,vsus est.

Ibidem. (margin)

Ibidem. (margin)

Rom. 2. (margin)

Quinam salui fiant. (margin)

[*Cur Christus homo factus. Resurrectio. Iudicium. Varij beatorum & damnatorum ordines. Cap.41.*

SEd videamus, cuiúsnam rei ergô Vnigenitus Dei Filius carnem assumpserit: humanáque natura semel assumpta, homo fuerit, & audiuerit. Eandem nobis Apostolus doctrinã in ea quoque proposuit epistola, quam ad Corinthios scripsit, vbi sic ait. Nũc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Tum deinde à natura ad personas transit, his verbis. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabũtur: Communis enim resurrectio est: post resurrectionem autem, iudicium erit. quod quidem significat iis quæ subiunxit, Vnusquisq; autem in suo ordine. Multi sunt enim, & eorum qui puniuntur, & eorum qui seruantur, ordines. Siquidem pro iustitiæ qualitate, & quantitate donorum retributiones fient. Eodémque modò, pro peccatorum differentia, pœnæ quoque & supplicia irrogabuntur.

1. Corin. 10.

Resurrectio.

Ordines multi.

Libri tertij finis.

D. NICETÆ CHONIATÆ, SEV COLOSSensis, Thesauri Orthodoxæ fidei Lib. IIII. Aduersus Antearrianas hæreses 44. Petro Morello Turonensi interprete.

Vnicuique autem capiti seu hæresi sua annexa est confutatio.

Præfatio [de Christi & Satanæ ministris.



CVM Sapientissimus vniuersorum Deus humanam propter nos massam subiisset, ita demū, quemadmodum iam diximus, Trinitatis lumen, primo quidem paucorum piscatorum, deinde verò Doctorum pietatis opera & ministerio, per vniuersum terrarum orbem propagauit, & erroris illius, qui Deorum examen myrmeciāq; inuexerat, sentes radicitus extirpauit.

Primi Christianæ religionis assertores.

πολυθεΐα.

Satanas.

Hæretici.

Quòd cùm ille cōmunis hominum aduersarius æquo animo ferre non posset, vt qui sibi subditos à se abduci cerneret, hominum sua ipsius nequitia dignorum mini-

ſterio, fidei Orthodoxæ inſidiatus eſt, nihil prius aut antiquius habens, quàm vt homines in exitium pertraheret. Ex quo euenit, vt cùm vix adhuc Apoſtolorum confirmata prædicatio eſſet, verùm primorum etiámnum fundamentorum firmitatem experiretur, ille confeſtim ſemina impietatis ei permiſcere, eáque ſuperſeminare cœperit. *Zizania.*

** Prima Hæreſis, Simonis Magi [& Baſilidis.] Cap. I.*

HVius adeò vaframenti Simon primus adminiſter fuiſſe fertur, qui Gitthis ortus (is Samariæ vicus eſt) cùm præſtigias omne genus ad vnguem teneret, multos miraculorum editione ſuam in ſentẽtiam pelliciebat. Atque ſiquando cum Iudæis verſaretur, ſe Dei Filium: ſi cum Samaritanis, Deum Patrem: ſi cum reliquis nationibus, Spiritum Sanctum eſſe profitebatur. Vt generaliori verbo, communique doctrina cõcludam, ſeipſum infinitam Dei potentiam nominabat. Principatuum, & poteſtatum nomina, cœlóſque confingebat. Et vnicuique cœlo poteſtates aliquot barbaris nominibus dictas adſcribebat. Inſuper meretrici cuidam Tyriæ genere, Helenæque nomine, quam ſecum circunductabat, primæ notionis appellationẽ indiderat, & queádmodum ſe Deum Patrem, ita & illã aliorũ eſſe matrem: per eámque ſe Angelos & Archá- *Helena Tyria meretrix.* *Irenæus, omnium. vt ὅλων pro ἄλλων legas.*

gelos fecisse, imò ipsum ab Angelis mundũ cõditum fuisse asserebat. His addebat, quẽadmodum Helenæ inuidẽtes Angeli, eã penes se detinuerãt, vt qui eius opera seu creaturę dici nollent. Vnde factũ esset, vt eam in plurimarũ fœminarũ corpora detrusissent, nouissiméq; adeò in Helenam Tyndari, quę Troiano bello causam dedisset. In huius Helenæ gratiã cœlo se descẽdisse subiungebat, vt eã à vinculis, quibus detinebatur, assereret: hominibúsq; in seipsum credẽtibus salutis autor esset. Idem mysteria quoque fœditatis omne gen⁹ refertissima, quæq; iccirco linguis humanis exprimi nequeant, in seipsum credẽtibus, viris quidẽ per genitalis seminis defluuium, fœminis autem per mẽstruos defluxus suggerebat, atq; huiusmodi μυσταγωγίαν, seu initiationem, impurissimã, γνώσεως, hoc est sciẽtiæ cognitionísque nomine homo impurissimus insigniebat. Vnde Gnosticorũ etiã hæreticorũ hæresis suppullulauit. Insuper actionẽ quoq; quamlibet, vel fœdissimam, citra vllum discrimen obeundam esse docebat. Huius hæresibus Menãder Samaritanus imbutus, nec eorum quicquam, quæ didicerat, immutans, Simone etiam ipso maiorem se profitebatur.

Helena Tyndari.

Gnosticorum origo & ἔτυμον.

γνῶσις.

Menander Samaritanus.

In huius autem errores Basilides & Saturninus iurauerant, quibus etiam Simonis decreta summoperè placebant. Cæterùm Basilides quasdam etiam appendices magi-

Basilidis ad Simonis hæresin appendices.

ſtri ſui fabulamentis interſerens ingenitum eſſe dicebat,eo nomine ſolum Patrẽ omniũ intelligens; ex eo Intellectum, ex Intellectu Sermonem,ex ſermone Prudentiam,ex Pru dentia virtutem & ſapientiam, ex ſapientia & virtute principatus,poteſtates, & Angelos,ex Angelis denique Intellectum primũ & ſummum proceſſiſſe fabulabatur : à quibus Angeli facti ſecundum cœlum conſtruxiſſent, & alios inſuper Angelos, qui alios itidem Angelos, aliúdque cœlum fabricaſſent,eóque rem deduxiſſent, vt trecenti ſexaginta quinque cœli, pro dierum anni numero reperirentur. His addebat,mundum ab iis Angelis conſtructum eſſe,qui cœlum infimum, quod aſpectabile nobis eſt,incolerent, terræque adeò principatum inter ſe diuiſiſſent: eum denique Angelum,cui ſortitò prouincia Iudæorũ obtigiſſet, Angelorum Principem fuiſſe, cuiquidem cæteras nationes Iudæis ſubiicere volenti, Angeli reſtitiſſent. Quibus perſpectis Ingenitus Intellectum primogenitum ſuum miſiſſet, Chriſtúmque nominaſſet,vt credentes omnes ſaluos faceret. Porrò Chriſtum paſſum nõ eſſe, ſed Simonem Cyrenenſem.Chriſtũ enim eminus, extráque teli iactum, ſtetiſſe, atque Iudæorum dementiam irriſiſſe, tandémq; velut poſtliminiò ad Ingenitum rediiſſe,à quo miſſus fuerat. Credendũ porrò dicebat,non in Crucifixum, ſed in eum,

365. cœli. *Mundi creatio.* *Iudæorum Angelus.* *Chriſtus.*

qui crucifixus videbatur. Basilides insuper, vt Simon,& quotquot eiusdem deliramenta,verborúmque portenta tuebantur, Carnis resurrectionem negabat. ab eóque Angelo,qui Iudæis præesset, mundum factum fuisse dicebat. Quemlibet etiam hortabatur,vt pro libidine Idolothytis, hoc est,iis quæ idolis essent immolata, vesceretur. Illicitísque adeò actionibus citra delectum vacabat. Idem prætereà incantationum, præstigiarúmque inuentor fuisse perhibetur: quas dementibus posteà, & væsanis, quasi per manus tradiderit.

Carnis resurrectio.

Legémque Mosi datam, addendum videtur, ex confutatione, sub finem.

Idolothyta.

Præstigiæ.

Hæreseos præcedentis Confutatio per eundẽ Nicetam Chomatam.

Qui ab hac hæresi se ad Ecclesiam Catholicam recipiunt, baptizantur.

EX Simonis traditionibus nulla est, quæ confutatore indigeat.Omnes enim sese satis supérque subuertunt, in quibus nulla sit omnino consequentia, nihílque adeò, quod sanis auribus arrideat.

Siquidem ille, dum sibi aliàs Patris, aliàs Spiritus sancti,aliàs denique Potentiæ diuinæ nomen imponit, eo ipso satis ea nihili prorsus esse coarguit,quæ sibi tantoperè dissentanea vendicabat.Imò verò, dum cœlorum quoque multitudinem introducit, de quibus Græcorum Philosophi nihil omni-

Aliàs Filij, addẽdum videtur ex præced.

Philosophorum solertia.

no tractaſſent,qui tamen intactum nihil reliquerunt, neque vetus illa, & ab ipſo Deo data,ſcriptura métionem vllam feciſſet. Illa inſuper,quæ ſunt in rerum natura,ab Angelis creata nugabatur,(qui tamen nihil aliud ſunt, quàm Virtutes miniſterio deputatæ, quas Deus produxit, & quæ ad eius miniſterium ſemper apparatæ ſunt) interim Dei Patris vniuerſorum,ſanctíqueSpiritus,nécnon immenſæ Dei Potentiæ ſibi nomen affingens. Quódque nulla non blaſphemia, nulla non impietate ſcatet, ab Helena quoque neſcio qua meretrice Tyria, cuius illegitimo cótubernio vtebatur, Angelos creatos eſſe affirmabat. *Angelus quid.*

Pluribus itaque verbis,ad huiuſmodi nugaměta Simonis explanāda,quid opus? quæ quā vana ſint,& abſurda, eiuſmodiq; adeò, vt vel ſuo ſe gladio iugulēt, ſatis ſupérq; Simon ipſe ex iis confirmauit,quę ab Apoſtolis & audiuit, & paſſus eſt. Cùm enim Philippus in Samariam ſe contuliſſet, ille quidem ex ſeptem Diaconis vnus, iíſque adeò qui ibidem in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti baptizati fuerant, Simon & ipſe luſtrales ad aquas acceſſit, cœpítque familiariùs cum Philippo verſari, magna, vt præ ſe ferebat, animi conſtantia cum illo perſeuerans. Qui cùm mira illa, quæ à Philippo fiebant,coràm cerneret, admiratione rapiebatur. Cùm verò tādem in Samariam,promul- *Philippus Apoſtolus in Samaria.* *ὑποκριτής.*

gata iam Philippi prædicatione, Petrus & Ioannes Apostoli venissent, & credentibus in Christum sancti Spiritus communicationem apprecati fuissent, illúmque adeò per manuū impositionem recepissent. Hæc ipsa coràm Simon intuitus, pecunias Apostolis obtulit, dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Nō est tibi pars, neque sors, in sermone hoc. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. [Roga ergo Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.] In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis, videmus te esse.

Act. 8. Iren. lib. 1. cap. 20. Dist. 28. cap. Quod interrogasti.

Desunt Ireneo, & Paulo aliter in Actis Apost. leguntur. ἀποστάτης.

Proinde huiusmodi repulsam miserrimus ille passus, & ad proprium vomitum reuersus, Samaria excessit, & ad ea se oppida ciuitatésque contulit, quibus nondum Euangelij lumē illuxerat, iam túmque aduersus Verbi diuini pręcones in primis autem Petrum, crucem se Satanámque præstare cœpit. Siquidem cùm nihil prius & antiquius haberet, quàm vt Petro per omnia refragaretur, ad eum, cùm pietatem in confertissima populi cōcione doceret, canem misit, qui hæc humanis verbis proloqueretur. Finem tuis, Petre, quibus populum circunuenis, imposturis imponito. Mox vicissim canis idem

Crucem & Satanam se contra pios præstant heretici.

Canis humana voce loquens.

ad Simonem à Petro relegatus, eadem illi renuntiauit. Tandem cùm multos ex illis, quos Petrus cōcionibus suis instruxerat, ad priuatū dogma suū Simon pellexisset, iam de fidei suæ traditione & expositione cogitabat. At ne sic quidem Petrus animum despondit: imò verò in Simonis ipsius caput fraudulentæ artes omnes reciderunt.

ὁι αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Tandem verò, cùm Romam, omnium ciuitatum decus, appulissent, ibi controuersis dogmatibus concertarunt. Iam autem apud Romanos Simon tātam nominis celebritatem consecutus erat, vt ærea statua donatus esset à Claudio Cęsare. Cuius ea fuisse fertur inscriptio, SIMONI DEO SANCTO, Cùm itaque Simon Petro refragaretur, atque partim Spiritus sancti verbis, partim miraculis, præstigiæ illius & imposturæ patuissent, ille graui se affici ratus ignominia, in cœlos ad proprium Patrem ascensurum se, pœnásque de incredulis inde repetiturum, comminatus est. Et cum dicto à dæmonibus in cœlos ferebatur, cùm Petrus orando Deo intētibus, spiritus, à quibus ille rapiebatur, increpatis, effecit, vt in caput ex alto Magus corruerit, pedibúsque in aëra protensis, miseram animam exhalans, effuso viam cerebro dispersit.

Petrus Romam venit.

Egesip li. 3. cap. 2.

Simon Deus Sanctus.

Egesip. vbi supra nō exanimatum esse ait, sed fracto debilitatóque crure Aritiā concessisse, atque ibi mortuum esse.

Menandri, Saturnini, & Basilidis hæreseon Confutatio.

Iam Si primus absurdorum autor hunc vitæ finem sortitus est, hauddubiè Menander, Saturninus, & Basilides, eiusdem exitij cohæredes aliquando, & consortes erunt, qui non modò dogmatum Simonis sectatores extiterũt, verùm illis absurdiora quoque multò attexuerunt, qualia sunt ea, quibus varios Angelorum ortus commenti, eo cœlos numero corrotundarunt, vt totidem esse cõfinxerint, quot in anni curriculo dies deprehenduntur. Quòd si Cyrenensis ille Simon, vt illi volunt, passus est, quis alter ille, quæso, fuit, qui surrexit à mortuis, vulnera, quę in cruce acceperat, ostendit Apostolis, denique cum corpore in cælos ascendit? Porrò in Deum ipsum manifestè refractarius est, cùm Mosaïcam legem ab Angelis datam esse asserit. Nec enim Angeli dederunt, sed is demum, qui Mosi locutus est, & *Exod. 3.* seipsum Eum qui est nominauit. Illi enim ex nihilo producti sunt, vt ad Dei obsequium parati spiritus semper essent, pro vt vel ipse Moses his verbis attestatur.

Deut. 32. Constituti sunt termini gẽtium, secũdum *Psal. 103.* numerum Angelorũ eius, & Dauides. Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem vrentem. At verò, quónã, quæso pacto sibi temperassent, ne linguam flagitiis huiuscemodi constuprarent, qui portentosas omnegenus, impudicásque, libidines, citra delectum, nullàque honesti ratione ha-

bita, actionibus suis, & mysteriis expresserunt?

Secunda hæresis, Nicolaïtarum est, qui & baptizantur. [& Gnosticorum.]
Cap. 2.

NIcolaus Quidam Antiochiæ ad Daphnen ortus, aduena inter Apostolos versabatur, sub quibus cùm Christianam fidem imbibisset, viduarum curam demandatam cum sex aliis suscepit, quos inter Philippus & Stephanus primas facilè tenebant, quorum ille Samariam ad fidem adduxit, & Cádacen baptizauit, hic primus omnium pro Christi nomine martyrium passus est.

Philippus.
Stephanus.

Nicolaus ergo, cùm formosam vxorculā duxisset, primùm quidem ab illa sibi continebat, deinde rursus congrediebatur. Cæterùm hic neminem ad vitam æternam peruenturum esse dicebat, qui se quotidie vitiis omnegenus non immergeret. Hinc ergo Gnostici, à Simone sati, incrementa suscepe runt. quorum quidem alij alia fabulabātur, alij verò fœminam quandam, nomine Prunicum, colebant, eíque vim illam adscribere non verebantur, quæ genitali semini insita est. Alij denique Caulacam venerabantur. Sunt autem omnia hæc effœminatam mollitiem significantia nomina ab illis excogitata, qui spurcitiam quamlibet laudi & honori ducebant. Quandoquidem προύνικος

Prunicus Ireneo Deꝰ. imò & Sophia & Masculo fœmina dicitur. li. 1. c. 34 Prunico ἔτυμον

Gallica vox à Græca non abludit. *Caulacan.* coïtum significat. Græci enim, si de Virginũ defloratoribus loquantur, his verbis vti solent, ἐπρουνίκευσεν τήνδε, hoc est istam vitiauit. Ad Caulacã quod attinet, honesto id quidẽ sensu ab Hebręis effertur, à Gnosticis verò ad turpitudinem detortum est. Siquidẽ in duodecima Danielis visione ita scribi-
Dan. 11. tur, Saulasan, Saulasan, Caulacã, Caulacan, hoc est Afflictio post afflictionem, spes post
Varia Gnosticorum nomina. *Borboriani.* *Codiani.* spem. Hi porrò Gnostici multis designantur nominibus. Alij enim Borboriani, διὰ τὸν βόρβορον, hoc est à luto denominati sunt. Alij Codiani, κόδα enim Syris escarium vas dicitur. eo quòd vnà cibum cum illis sumere, propter insignem illorum spurcitiem, ne-
Borbolitæ. *Secundiani.* *Socratitæ.* *Racchæi.* mo non detrectaret. Alij etiam Borbolitæ, Secundiani, Socratitæ, & Racchæi nominãtur. Sunt autem vxores illis communes, quódque nullam non in illis spurcitiem & impuritatem arguit, in ipso coïtu cauent, ne
Obscœnitas inaudita. semen in mulieris vuluam eiaculentur, aut in terram defluat. sed manibus exceptum aliàs deglutiunt, aliàs eo seruato, sanguiniq; muliebrium mẽstruorum permixto, pro mysteriis vtuntur. Quòd si per illorum imprudentiam in vuluã deciderit, muliérque prægnans ex eo facta fuerit, fœtum, simul ac editus est, arreptum in mortario contundunt,
Pascha Nicolaitarum. illíque mel, piper, & vnguenta nescio quæ immiscent, tum cuncti ex eo gustantes digito, Gratias, aiunt, agimus, ô Deus, quòd à

Principe

Principe concupiſcétiæ deluſi minimè fuerimus,ſed lapſum fratris collegerimus. atq; hoc perfectum eſſe Paſcha putant.

Hæreſeos præcedentis Confutatio.

QVemadmodum inter duodecim Apoſtolos proditor Iudas inuentus eſt, ita & in ſeptem diaconorum numero Nicolaus Antiochenus illi ſe haud abſimilem præbuit. vſque adeò rerum omnium nulla eſt, quam ſynceram, & à malo prorſus immunem dicere queas: Sed inter ſpinas etiam roſa naſcitur,& vnà cum frumento lolium emergit. Cæterùm miſer ille, impóſque mentis,cùm primùm à ſeptenario Diaconorum numero digreſſus, virgineum quoque cœtum corrupiſſet, eo quòd adulteræ ſceleſtæque mulieri ſeſe vxorius addixerat, iam neque ſeptem collegis quicquam impertiebatur,neque viduarum curam ampliùs gerere volebat,imò verò ſeculum quoque illud octauum, quod nobis aliquandò ſucceſſurum eſt,aſpernabatur.

Iudas proditor.

γνώμη.

Seculum octauum.

Eorum porrò, qui Gnoſtici dicti ſunt, actiones & præſtigiæ tanta ſpurcitiarum omnegenus illuuie infames euaſerant, vt præ illis ipſe turpitudinum magiſter Diabolus honeſtus videri poſſit. Proinde ab huiuſmodi Camarina mouenda ſuperſedens, iiſque adeò deſcribendis,quę modis omnibus deteſtanda iuxtà, Deóque ingratiſſima,de-

Gnoſticorum obſcœnitas pluſquã Diabolica.

Ouid. Non dubia est Ithaci prudētia. &c. signatũt, hæreseos Gnosticæ lectoribus autor fuerim, vt Ithacum Heroa imitati aures suas cera obstruant, non eò quidem, quò *Syrenes.* Syrenæos modulos præteruehantur, sed nec *γνῶσις.* cum auribus & lingua ipsam quoque γνῶσιν, hoc est, rationem & intelligentiam, conspurcent, dum faciles aures iis legendis præbent, quæ sua impietate quamlibet impietatem multis parasangis exuperant.

Tertia hæresis, Carpocratenorum. Hi baptizantur. Cap. 3.

Iren. li. 1. cap. 24. CArpocrates quidam, cùm ageret in Asia, spurcitias omnegenus ibi docuit, nullúmque scelus prætermisit, cuius nō certa præcepta traderet, hoc addito, fieri non posse, vt quisquam hinc ad supremum cœlum transcendat, nisi se priùs peccatis omnibus immerserit, Dæmonúmque voluntati obsecutus fuerit. Nuptias porrò abrogat, nec mortuorum resurrectionem admittit. Excogitarunt etiam Carpocra-*Præstigiæ.* teni Præstigiaturas & incantationes, quæ dæmoniacis artibus omnibus exequendis sufficerent. Insuper & sigillum cauterio, vel nouacula, vel subula cartilagini auris eorum imprimebant, quos deceperant, vt hoc indicio esset, suam ab illis hæresin compro-*Marcellina.* bari. Vnde & Marcellina quædam ab illis seducta Romæ sub Aniceto Episcopo Ro-

mano, matronarũ plerasque eandẽ in hæresin pellexit. Statuas etiam Christo & Paulo, imò etiam Pythagoræ, cæterísque Philosophis erigunt, quas in occultis locis adorant. Insuper Græcorum quoque mysteriis vtuntur.

Hæreseos præcedentis Confutatio.

HIc Carpocrates hæreseos asperitate, quæ varias in opiniones dissecta, syncero pietatis dogmati aduersabatur, effecit vt ἀκάρπῳ illi, hoc est sterili & infructuosæ ficui, foliísque tantùm luxurianti, atque etiam, vt ita dicam, fonti limum eiectanti, simillimus euaserit.

Qui turpitudinis omnimodę autor & magister, diabolis etiam virtutem quandam adscribit, quæ animarum ad cælos ascensui aduersetur, earum in primis, quæ fœdas in actiones se minimè prouoluerint. Qui tamẽ tantùm abest, vt quod maximè cupiunt, ad optatum finem perducant, vt etiam ingressum in porcos sibi liberum dari à Deo illo & homine Christo petierint. nec iisdem in bubilia, & ouilia Iobi, nec in ipsum deniq; rabiem suam exercere alia lege permissum est, quàm quia ita diuinæ decretum prouidentiæ ferebat. Quínam verò alij ex alto cadere, tãquam fulgur, à Christo visi sunt, quàm reprobi Spiritus, & eorum princeps Satanas, tanquam exterior ignis, peruigil vermis, geennáque nunquam desinẽs? Proinde

Diabolorum impotentia.

Matth. 8.

Luc. 10.

noui nihil in eo deſignant, quòd nuptias improbent, in libidinem interim diffluentes, nihílque non fœditatis aut agentes, aut patientes.

Quòd autem Carpocratis ſectatores hæreſeos, ſigilla quædam, annulóſve imæ auricularum prominentiæ inſigunt, in eo cõueniunt, prorſúſque ſe conſentaneos proteſtantur, ſerpentis eius argutiis & impoſturis, qui in Euæ aurem inſuſurrauit.

Eccleſia paradiſi typus. Hinc enim perſpicuum omnino fit, quàm ſint diuinis præceptis obſtreperi, & inobedientes, quámque alienam ab Eccleſiæ, tanquam Paradiſi alterius, ſeptis inſiſtant viã, quam quidem in fraudem noſtri generis autores, dicto ſerpentis audientes, incurrerunt.

Quarta hæreſis, Valentini eſt. Ab hac autem reſipiſcentes baptizantur.

Cap. 4.

Iren. lib. 1. cap. 1. AEgyptius natione Valentinus, Antonino primo Imperante, cùm Græcarum diſciplinarum orbem, quem ἐγκυκλοπαιδείαν dicunt, abſoluiſſet, triginta Deos, totidémq; ſecula & cælos introduxit, quindecim nimirum maſculos, & quindecim fœminas, quorum maſculi ex aduerſo fœminarum ſtarent. Eorum nomina ille percenſet, tametſi à me prætermittuntur. Hunc

porrò tricenarium Deorum numerum Spirituale pleroma, hoc eſt plenitudinem, vocat. Bythum verò (quem triginta horum ſeculorum Propatorem, ſeu auum, dicit) ſeculis omnibus inuiſibilem & incomprehenſibilem aſſerit. Sophiam autem, ſeu Sapientiam (quam ſeculis accenſet) ex amore, quo Bythum Propatorem proſequebatur, concepiſſe ſubiungit. atque informem ſubſtantiam peperiſſe, quam Hylen, ſeu materiam, nominat. cuiuſmodi partu cùm indoleſceret, ad Propatorem ſe contuliſſe, & quid paſſa eſſet, coràm renuntiaſſe addit: eíque ſupplices Æonas quoque reliquos, ſeu ſecula, præſtò adfuiſſe commemorat: cui cùm peperciſſet Bythus, terminum mox cum Philia, ſeu amicitia, coniuge conſtituit. quem quidem terminũ Crucem nominat, aliáq; fabuloſa nomina confingit. Hinc ſubiicit, quemadmodum Vnigenitus, nimirum Chriſtus, & Spiritus ſanctus, conſilio Patris ad ſeculorum ſecuritatem propoſitus fuerit. Ait enim, à Chriſto ſecula didiciſſe, quòd Pater incomprehenſibilis eſſet. Spiritum autem ſanctum æqualitatem ſeculis eſſe largitum. Cùm autem quilibet in medium quæ cúmque pulcherrima habebat contuliſſet, propoſitum iccircò Ieſum fuiſſe, quem Deum quoque Seruato-

Bythus. *Hyle.* *Philia.* *Crux.* *Vnigenitus.* *Ieſus Deus Seruator Chriſtus & Verbum pro eodem.*

rem, Christum, & Verbum nominant. cum quo Angeli, tanquam satellites hastati, venerint. Qui Valentini hæresin sectantur, Mortuorum resurrectionem, & Vetus testamentum improbant. & quamuis Prophetas legant, ea tamen duntaxat admittunt, quæ possunt absolutè ad suam ipsorum hæresin detorqueri.
Aiunt denique Christum à seipso corpus assumpsisse, & per diuam Virginem, non secus atque per canalem, transiuisse.

Hæreseos præcedentis Confutatio.

POstea quàm Patre mendacij doctore fabulosas nugas Valentinus didicisset, sua solius autoritate Principia constituit, Deos & secula confinxit delirantibúsque hominibus tradidit. Nam cùm Græci multorum, Hebræi verò vnius dominatum probent, & venerentur, nósque adeò ipsi Patrem, Filium, & Spiritum sanctum colamus, hic tricenos Deos, tricenos cælos, tricena secula tradit, ipsis certè Græcis in superflua Deorum multitudine excogitanda multò ambitiosior. In primis autem incomprehensibilem quendam, & inuisibilem, Bythum seculorum creatorem commentus, cum nonnullis aliis, quæ tantum abest, vt dignosci queant, cùm digna sint, quæ in obliuionis βυθὸν, seu profun-

πολυθεΐα· μοναρχία.

funditatem, demergantur, ſic tandem in Chriſti mentionem obiter incidit,eáque de illo narrat, quæ ab Orthodoxis improbantur,& eò demum prolabitur, vt Reſurrectionem neget. nec id ſanè immeritò. Ei enim, qui veritatis aduerſarij dogmata ſe propoſiturum profitebatur, fides alia lege non erat habenda,quàm ſi Reſurrectionem antiquaret, & ex conſequentia Iudicium quoque reiiceret. Hinc adeò mendacium ille ſuum ita præſtruxit, vt extra omnem reprehenſionis aleam poſitum videretur, nec aduertit, (quia nimirum lymphata mente ferebatur) quòd ſeculum nulla ſubſtãtia ſit, quæ per ſe ſubſiſtere queat, ſed interuallum quoddam tẽporis index:aliàs quidẽ immẽſi, cùm de Deo ſcilicet enuntiatur: aliàs cõtrà, quod cũ mundi fabrica:aliàs denique,quod cum humana vita cõmenſurabile ſit. De iis enim diuinus ille Dauides ita loquitur. ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui. De mundi porrò fabrica ſic Dominus inquit. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. De vniuerſitatis item Deo hæc alio in loco beatus idem Dauides. A ſeculo & vſque in ſeculum tu es, pro eò quod eſt, principio & fine cares. Proinde, quia ſeculum interuallum quoddam ſignificat, ne quis ſtultè arbitretur Deum vniuerſi ante ſecula non fuiſſe,alio in Pſalmo idem ille Propheta ſic

Reſurrectio. *Iudicium.* *Seculum quid.* *Pſal. 89.* *Matth. 28.* *Pſal. 89.*

Psal.54. ait. Exaudiet De⁹, & humiliabit illos, qui est
" ante secula. Quocirca qui vniuersi, idem seculorum quoque conditor est, non illorum quidem turpium & copulatim confictorũ, sed eorum, quibus interuallum quodlibet significatur. Qua quidem ratione beatus ille Paulus adducitur, vt Patrem & Filium seculorum creatorem esse dicat. Locutus est
Hebr.1. nobis, inquit, in filio, quem constituit hære-
" dem vniuersorum, per quem fecit & secula. Verbum porrò Fecit seculorum substãtiam non indicat, sed vniuersitatis DEO antiquiorem prorsus esse neminem. Alio item in loco sic habet. Regi seculorum immortali, in-
1.Tim.1. uisibili, soli Deo, honor & gloria, in secula
" seculorum, Amen. non vt secula quæpiam ostendat, quæ per se subsistant, suísve nitantur viribus, sed perenne Dei regnum prædicet. Idem Apostolus alibi sic ait. Sapiẽtiam
1.Cor.2. autem loquimur inter perfectos: Sapiẽtiam
" verò non seculi huius, neque principum se-
" culi huius, qui deseruntur, sed loquimur
" Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondi-
" ta est, quam prædestinauit Deus ante secula.

Iam verò, si carnis assumptæ mysteriũ seculis, vt diuina testantur oracula, antiquius est, extremam id impietatem arguit, si quis vniuersi Deum seculis iunioré dicat. Esaïas quoque Propheta sic exclamat. Deus sem-
Esa.40. piternus Dominus, qui creauit terminos
" terræ. Item, A seculo non audiuimus, neç

oculi noſtri viderunt Deum, præter te. "
Deus igitur vniuerſæ naturæ conditor eſt *Eſai.45.* ante ſecula, imò extremis etiam temporibus, noſtræ ſalutis ergô, vna ex Trinitatis perſonis, vnigenitus nimirum Patris ſermo, *Incarnationis tempus.* cùm ex virgineis ſanguinibus ſibi templum exædificaſſet, duplicem naturam, non autẽ hypoſtaſin, habere viſus eſt, Carnéque indutus ex ſemper virginis vtero Mariæ proceſſit: non autem per illam, tanquam per canalem, tranſiuit, vt impuro huic Valentino viſum eſt, cœleſte ſecum corpus deferens, ſed *Hæc pluribus Athanaſius.* nuda cum deitate illam ſubiens, pro vt Paulus ipſe quoque docet apertiús. Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes: *Hebr.2.* quãobrẽ nõ erubeſcit fratres eos appellare. *Pſal.21.* quandoquidem in cœlo nihil eſt humanæ "
conditionis, nec in vita illa, quæ ſupra mundanam hanc ſublunarémque degitur, vbi vitij morbo locus eſt. Vbi ergo mali nihil *Chriſtum cœleſte corpus habere non potuiſſe.* eſt, nulláque vitæ humanæ conditio viſitur, quî fieri, quæſo, potuiſſe credibile eſt, vt inde ſibi corpus humanum Deus aſciuerit? quænam etiam naturæ noſtræ emendatio expectanda fuiſſet, ſi cùm terreſtre animal graui morbo laboraret, aliud à cœleſtib9 diuerſúmque diuinam illam commixtionem recepiſſet? Nam quis ægrotũ ſanare queat, niſi membro malè affecto peraccommoda medela applicetur? Iam ſi ægrotum in terris agentem virtus diuina pertingere non po-

tuiſſet, homini certè nihil profuiſſet circa ea occupari, quæ ne tantillum quidem diuinæ virtutis impertitura erant. Cæterùm ij qui naturam noſtram conuiciorum plauſtris, & velut è proſcenio, lacerant, natiuitatíſque rationem calumniantur, hoc Deo indecorū fuiſſe rati, vt eodē modo quo ſolemus ipſe quoque naſceretur, & in terris verſaretur, ſciant apud Deum turpe nihil haberi, vitio duntaxat excepto, & ſi quid ad vitium proximè accedit. Naturæ porrò noſtrę ſeries ad diuini nutus arbitrium legémque temperatur longè aliena à calumnia illa, cui vitium obnoxium eſſe ſolet. Alioqui ſi quid in humanæ naturę fabrica deprehēderetur, quòd præ turpitudine & indecentia ſatis tutum à calumniæ morſibus non eſſet, in creatorem certè culpa redundaret.

Turpe apud Deum, vitio excepto nihil eſſe.

Proinde cùm in natiuitate Chriſti cætera mira fuerint, eáque adeò, quæ Deū haudquaquam dedecerent, (vt carnis abſque ſemine generatio, proceſſus abſq; corruptione. Vt eadem Virgo, quæ mater: quòd eadē Mater, quæ Virgo, citra vllam Virginitatis in partu iacturam, fuerit. Vt Deus carnem humanam in eſſentia perſonali, non in perſona eſſentiali aſſumpſerit. Vt totus ſemper in Patre manens, totúſque natura Deus exiſtens, homo quoque natura totus extiterit. Vt neque diuinam, neque humanam detrectarit naturam. Sed eas cōfuſè commix-

In natiuitate Chriſti quæ mira fuerint.

tímque cõiunctas seruauerit.) tum verò vel maximè eodem prorsus modo, quo nasci solemus, ille quoq; natus est ex virgine, nec inde quicquam contraxit, quod Dei generationi aut indecorum aut dissentaneum esset. Nam si rubo, sterili plãtæ, sese applicuit, eiúsque adminiculo cum Mose collocutus est, nihil certè Deo indignum fecit, si summa sua bonitate manuum suarum figmentum inhabitans, hocce pacto non gentem vnam, eámque modicam, ab Ægyptiorum manu liberarit, sed mundum vniuersum ad creatorem Deum conuerterit, & à Dæmonum Dominio asseruerit.

Rubus Mosis.

Israelitæ ab Aegyptiis liberati, quid.

Iam diuina incarnatione hoc modo demonstrata, agè, diuinorum oraculorum testimoniis freti, ab incarnato Dei Verbo corpus humanum assumptum fuisse demõstremus. Ac primum quidem corporis incunabula ad diuinitatem minimè pertinebant. Deinde butyrum & mel, quod Propheta lõgè antè prædicit, néc non maternum lac, & quæuis alia cibi potúsque species, vas, quo exciperentur, in illo fuisse satis arguunt.

Eadem infra Aduers. Apolin. lib. 7.

Signa quibus humanum Christo corpus fuisse colligitur.

Esai. 7.

Quòd si fatuus quis cibum illum obiiciat, qui in Abrahæ tabernaculo sumptus est, is verò sciat se à recta ratione longè aberrare. Huiusmodi enim cibaria videbantur alio quodam modo absumi, qui ei, à quo absumpta sunt, incognitus non est. Quòd si quis stultè incorpoream naturam hisce vsam in-

ferat, illic certè neque famem neque ſitim inueniat, hîc verò neceſſitate affectiones & appetitus huiuſcemodi concitabantur, non quòd diuinitas cōiuncta corpus tali ab egeſtate aſſerere nō poſſet (qui enim paulò pòſt corporibus immortalitatem largitus eſt, ſuū ipſius corpus multò faciliùs ab omni egeſtate vindicaſſet) ſed hoc illi conceſſit, vt
Omnipotens. propriam naturā perſpicuā faceret. Proinde quotquot hæreſes hoc ab illo aſſumptū negarunt, manifeſti mendacij conuincuntur. Quemadmodum enim ille, tametſi corpus à morte immune reddere poterat (nam tertio id à morte die præſtitit) paſſioni tamen & morti obiecit, vt incarnationis myſteriū adimpleret: ita etiam fami idem, ſiti, labori, & ſomno expoſuit, ne vlla mendacij conſtabiliendi anſa iis ſupereſſet, qui id duntaxat approbant, quod ſibi videtur. Quare fames & ſitis, inſuper & labor & ſomnus Domini corpus humanū eſſe corpus arguunt. quodquidem confirmaturus Diuus ille Paulus
Hebr.2. ita exclamat. Quia ergo pueri communica-
» uerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter
» participauit eiuſdem: vt per mortē deſtrue-
» rent eum, qui habebat mortis imperium &
» liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Quibus certè verbis naturam ab illo aſſumptam fuiſſe, apertè oſtendit, quæ noſtrę perſimilis eſſet. Quòd ſi quis huiuſcemodi veſtimentū non

probet, Iacobum Patriarcham ita vaticinãtem audiat.

Lauabit in vino stolã suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Audiat verò beatissimũ quoque Paulũ ita exclamãtem. Habẽtes itaque, fratres, fiduciã in introitu sanctorũ in sanguine Iesu, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen. id est per carnem suam. & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei. Velaminis enim nomine, quemadmodum stolæ & pallij, Patriarcha carnem ipsius appellauit. Sed superfluum videtur, si pluribus hoc verbis explicem. *Gen. 49.* *Hebr. 10.*

Nam vel ipse Christus seipsum hominis Filium vocat. Apostolis enim sępius hoc inculcat. Futurum est, vt Filius hominis tradatur in manus hominum, & interficient eũ. & tertia die resurget. Ei autem qui sequi volebat, Vulpes, inquit, foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Et hoc Iudæis in os obiecit. Quid me quæritis interficere? hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audiui à Deo. Diuus autem Apostolus ita clamat. Vnus Deus & mediator Dei & hominum. Item. Quia enim per hominẽ mors, & per hominem resurrectio mortuorum, propterea etiam semen Abrahæ vniuersorum Deus, in semine eius omnes se gẽ- *Eadem infra lib. 7. sub fi.* *Matth. 20.* *Matth. 8.* *Ioan. 8.* *1. Tim. 2.* *1. Cor. 15.* *Gen. 22.*

» tes benedictūrum & Isaaco & Iacobo pro-
» misit. Vt merito Diuus idem Apostolus ad
Galat. 3. Galatas scribens dixerit. Abrahæ autem di-
» ctæ sunt promissiones, & semini eius: tum
» docens quémnam seminis appellatione in-
Ibidem. telligat, ita subiicit. Non dicit seminibus,
» quasi in multis. Sed quasi in vno, & semi-
» ni tuo, qui est Christus. Idem ad Hebræos
Hebr. 2. scribens sic ait. Nusquam enim Angelos ap-
» prehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.
» vnde debuit per omnia fratribus similari.
Vt misericors fieret, & fidelis Pōtifex apud
Deum. Qua etiā de causa cùm Iacobus Iu-
dæ benedictioné illam impertiret, quam ab
Gene. 49. vniuersorum Deo acceperat, ita dixit. Non
» auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fe-
» more eius, donec veniat, qui mittendus est,
» & ipse erit expectatio gentium.
Micheas quoque Propheta vaticiniū hoc
Mich. 5. hisce verbis renouat. Et tu Bethleem terra
Matth. 2. Iuda, nequaquam minima es in principibus
» Iuda. Ex te enim mihi adueniet dux, & egres-
» sus eius ab initio, à diebus æternitatis.
Hebr. 7. Diuus item Apostolus prędictionum finé
» ostensurus, ita exclamat. Manifestū est enim
» quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster.
Psal. 88. Has ipsas promissiones Dauides quoque
» Rex & Propheta ab vniuersorū Deo acce-
» pit. Ait enim ad ipsum. Vsq; in æternū præ-
» parabo semen tuū, & ædificabo in genera-
Psal. eod.

tioné & generationem ſedem tuã. Item alio loco. Et ponã in ſeculũ ſeculi ſemen eius:& thronũ eius ſicut dies cœli. Et paulò pòſt, Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauidi mentiar, ſemen eius in ſeculum manet. Et thronus eius ſicut Sol coram me, & ſicut Luna perfecta, & teſtis in cœlo fidelis. Has ipſas itẽ promiſſiones per Eſaiam Prophetã denuò verax ille Dominus renouauit. Egredietur enim, inquit, virga de radice Ieſſæ, & flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eũ Spiritus Domini Spiritus ſapientię & intellectus. Spiritus conſilij & fortitudinis. Spiritus ſciẽtiæ & pietatis. & replebit eum Spiritus timoris Domini. & cætera, quæ in eũdẽ ſenſum cõſequuntur. Itẽ Erit radix Ieſſæ, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gẽtes deprecabuntur, & erit ſepulcrũ eius glorioſum. Itẽ alio in loco. Et feriã, inquit, vobiſcũ pactum ſempiternum, miſericordias Dauidis fideles. Quæ enim illi promiſi, cõplebo. Et per illius ſemen ſeruabo orbẽ terrarum. Fidelis enim & verax eſt mea promiſſio. *Pſal. eod.* *Eſai. 11.* *Eſai. 11.* *Eſai. ibid.*

Harum promiſſionum veritatẽ Euangeliſta quoq; Matthæus indicans, in ipſo ſtatim hiſtoriæ ſuæ procemio orbi terrarum annũtiat, gentium expectationem floruiſſe. Ait enim, Liber generationis Ieſu Chriſti Filij Dauid, Filij Abraham. Vtriq; enim ſeminis promiſſiones factæ ſunt. *Eſai. 55.* *Matth. 1.*

Quin & D. Apostolus scribens ad Romanos, in ipso Epistolæ principio finem promissionis eius indicauit, quæ Dauidi facta est. Ait enim, Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis, de Filio suo, qui natus est ex semine Dauidis, secundum carnem. Porrò eo quòd secundum carnem addidit, perspicuè indicat Dominum nostrum Iesum Christum Deum fuisse ante secula. Filium autem Dauidis humanæ naturæ ratione pronuntiauit. Quod vt apertiùs doceret, subiunxit. Qui declaratus est Filius Dei cum potentia, per Spiritum sanctificationis, ex eo quod resurrexit à mortuis Iesus Christus Dominus noster. Postquàm enim resurrexit à mortuis, inquit, & Spiritus gratia repleuit Apostolos, per miracula, ab illis facta, Deus innotuit. Siquidem in eius nomine maxima peregerunt miracula. Cæterùm in Epistolæ medio, bonorũ, quibus olim Iudæos impertiuit, mentione facta, subiunxit. Quorum sunt Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, atque vna in persona duarum naturarum differentiam ostendit, cùm ex Iudæis secundum carnem processisse, & super omnia Deum esse dicit, tanquam Deum, & in secula benedictum. Beatum porrò Timotheum his verbis exhortatur. Me-

Rom.1. *Filius Dauidis.* *Apostolorũ miracula.* *Rom.9.* *Naturæ vna in persona duæ.* *1.Tim.2.*

tur. Memor eſto Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid, ſecundũ Euangelium meum, in quo laboro vſque ad vincula, quaſi malè operans. 2.Tim.2.

Alioqui per multa in vtroque Teſtamẽto teſtimonia inueniri poſſunt, quibus Seruatoris noſtri cognatio carnalis confirmetur. Sed hæc meo iudicio ſufficiunt. quòd humanam naturam perfectam & abſolutã ab illo aſſumptam fuiſſe doceant. Qua etiã de cauſa Filius Dauidis, Filius Abrahæ, Filius hominis, Homo, Adamus, Iacobus, & Iſraël dictus eſt. Quẽadmodum enim perfectus Deus, ita homo quoque perfectus erat, perfectam hominibus ſalutem cõferẽs. *Chriſti nomina humana.*

Quinta hæreſis, Ptolemæi. Ab hac qui ad Orthodoxos confugiunt, baptizantur. Ptolemæi & Heracleonæ meminit Irenæus lib. 1. & 4. Ptolemæum Valentinum vocat Athanaſ. lib. 3. contra Arianos. Cap. Cap. 5.

GNoſticos hic impuros ſequitur. De Æonibus, ſeu Seculis, idẽ cũ Valentino ſentit. Addit inſuper Deo, quem ille Bythum vocat, duas eſſe coniuges, Ennœam, ſeu cogitationem, & Thelema, ſeu voluntatem. Primùm enim, inquit ille, cogitauit, deinde voluit. Idem etiam ad matronam quandã, nomine Floram, ſcribens, in legem illam blaſphemus inuehitur, quam per Moſen de- *Noſtri ſundi calamitas anno Chriſti 1563. Interpres ζυγαβεν duas lances vertit ex Athanaſio contra Arrian. Vide Nicetam ſupra li. 2 cap. 2.*

dit Deus. Solúmque Decalogum à Deo datum: cæterorum autẽ scriptorũ alia Mosis ipsius, alia seniorum populi propria esse contendit.

Hæreseos præcedentis confutatio.

QVia Gnostici omnimoda honesti ignorantia laborabãt, iccircò malos etiam Dæmonas suis in Traditionibus & actionibus inuocabãt. Itaque Ptolemæus hic profanis illorum dogmatis subscribens, impurus quidem fuit, quia cæcos duces secutus. Impurior verò, quia sensu peruerso Ennœã & Thelema, seu cogitationẽ & voluntatem, nécnon Deum quoque Bythum commentus: nonnulláque adeò fabulamenta, digna quæ in profundam βυθοῦ infernalis voraginem demergantur, quorum quidem narratio sanis auribus tædium adferre solet.

Dæmonum inuocatio.

Βυθός. ἔννοια. θέλησις.

Idem atra bile haud dubiè percitus, & impos animi, linguáq; procaci & effręni, Mosaicam legem vellicans, ex eius constitutionibus alias Dei, alias Moscos, alias denique seniorũ plebis voces esse asserit. Nescio vnde ad hæc deblatteranda adductus, præsertim tot annorum millibus à Mose nato, legéque ab eodem lata exactis. (Vtinã natus nunquam fuisset) nisi fortè nugas huiuscemodi ab Ennœa illa & Thelesi, quas Deo suo Bytho nupsisse fingit, didicisse videtur.

Blasphemia in Vetus Testamentum.

Prorſus oblitus ea ipſa Deum Moſis ore locutum eſſe, quæcunque à Moſe tradita, libríſque exarata ſunt. Quemadmodum ex illa execratione facilè colligas, quæ contemptorum legis ceruicibus imminet. Ait enim, Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis huius: quibus verbis omnem legẽ intelligit. *Deut. 27.*

Vniuerſam porrò legem diuinitus datam eſſe, cùm ex aliis non paucis ſcripturæ ſacræ locis, tum ex hiſce verbis videre eſt, quæ Dauidi diuinitus dicta ſunt. Si cuſtodierint Filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea, hæc quæ docebo illos. Et filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuam. Item, Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint. Si iuſtificationes meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus iniuſtitias eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab illis, neque iniuſtè agam in veritate mea. Neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Nam per Teſtamentum, iuſtificationes, & teſtimonia, vniuerſam legem intelligit, quam quidem ſibi Deus, vt propriam traditionem, vendicat. *Lex diuinitus data.* *Pſal. 131.* *Pſal. 88.*

Appendix Theodori Scutariotæ.

Luc.16. Melius fuerat his niti rationibus. Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis à mortuis resurrexit, credent. Item, Habent Mosen & Prophetas, &cæt. Item, Si quis soluerit vnum de mandatis istis, &cæt. Item in lege, Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit, &cæt. his consimilia.

Psal.50. Ea auté quæ Dauidi dicta sunt, ad Nouũ Testamentũ referri possunt. Docebo enim, inquit Dauides, alter à Mose, & post Dauidem Euangelica legislatio.

** Sexta hæresis, Marci, à cuius hæresi resipiscentes, baptizantur.*

Præstigiæ Marci hæretici. Varium & mutabile semper Fœmina. Iren lib.3.ca. 18 Euseb li, 4 cap.10.

MAgicis hic artibus instructus, præstigiisque suis mirifica nescio quę faciés, multos ex simplicioribus circũuenit, in primis verò matronarum illarum, quæ multitiis & purpureis stolis ornatæ incederent, animas & corpora corrupit. Ille enim, vt Diuus Irenæus autor est, vitrea quædam albi coloris pocula præparabat, deinde carmine nescio quo vsus, cófestim eorum aliud in rubrum, aliud in purpureum, aliud denique in cæruleum conuertebat. Idem cum Valentino multa secula confingebat, quę quidem quatuor & viginti Græcorum literis similia dicebat. Aliáque muta, alia semiuocalia, alia denique vocalia nuncupabat.

Quin & prolixam quandam fabulam inſti- tuens,eam,vt idem Irenæus ait,Sigen ſeu ſi- lentium vocabat,nomine ſanè,quod fabulę atque eius argumento neutiquam conueni- ret. Inſuper & alia,quæ ſuperfluum ſcribe- re duxi. Addebat à Tetrade ſeu Quater- nione, ſecula proceſſiſſe. In Quaternione porrò hominem,Eccleſiam,Verbum,& Vi- tam contineri. Virtutes præterea, quæ ab iis emanauerant, ab eo Ieſu generatas eſſe, qui viſus eſſet in terra. Et Verbi quidem vi- ces, Angelum Gabrielem : Vitæ, Spiritum Sanctum:Hominis,virtutem Filij : Eccleſiæ denique, Virginem adimpleſſe. Atque ita per Mariam genitum eſſe eum, qui diuina diſpoſitione homo factus eſt. Quoties au- tem eos baptizant, quos circumuenerunt, his vti verbis ſolent.In nomine ignoti Pa- tris omnium, & Veritatis matris omnium, & eius qui deſcendit Ieſu,ad coniunctioně, & redemptionem, & communicationem virtutum. Quòque maiorem ei qui bapti- zatur ſtuporem iniiciant,hæc Hebraica no- mina ſuperaddunt. Chamoſi baë,anóora: myſtadia: rhuda, cuſtaba : phogor : calathi. Quorum interpretatio hæc eſt. O qui es ſuper omnem virtutem Patris, te inuoca- mus, qui Lumen, & Spiritus bonus, & vita nominaris:quoniam in corpore regnaſti.

σιγή.

Iren. habet altißimi, vt ὑψίστου pro υἱοῦ legas.

Hinc Irenæi locum restitue.

Qui autem ſacratur hunc in modum ad illa reſpődet. Confirmatus ſum,redemptus

ſum, in nomine Iao, qui animam meam ab hoc ſeculo liberauit. Deinde ipſum opobalſamo inungunt, & perfectum euaſiſſe pronuntiant.

* *Hæreſeos præcedentis confutatio.*

MIrificus Marcus, præſtigiis & incantationib⁹, præſentiũ vel perſpicaces oculos faſcinabat, efficiebátque, vt ea quę conſpicerentur, contra ſe habere viderentur, quàm eorum natura ferret. Nec enim pellucida vaſorum vitreorum corpora in varios mutare colores potuiſſet: vt quæ adeuntibus alba protenderet, eadem mox in purpurea, vel cærulea mutaret, hócque pacto ſimpliciorum pleróſque circumueniret: in primis autem mulierculas, quæ circa colum occupatæ fabulis & nugamentis gaudent.

Colus Euangelica.

Nec minùs in eo nugatur, quòd ſecula tradit eſſe, quæ numero literis quatuor & viginti reſpondeant. Quanuis enim ſecula ſeculorum audiamus, vera tamen opinio, quæ res diuinas immobiles eſſe docet, vnicum illis ſeculum attribuit.

Secula ſeculorum.

Diuina immobilia.

Iis autem rebus, quę motui & corruptioni ſunt obnoxiæ, tempus aſſignat, quod trãſitorio Solis & Lunę curſu ſemper motum, menſuram, & fluxum recipiat. Quarum enim rerum natura perpetua non eſt, eæ tẽ-

Tempus fluxis rebus, Seculum ſempiternis conuenit.

poris vicissitudinibus cõsistũt. Quarum autem essentia immobilis est, & statu numeris omnibus absoluto prædita, iis accommodum seculum citra dimensionem procedit, neque vllis noctium & dierum interuallis, neque veris, æstatis, autumni, & hyemis vicissitudinibus instar temporis ita discernitur, vt anni partibus ordine productis curriculum solstitio absoluat, denuóque incipiat. Sed semper Ens, essentiáque præteriti & futuri experte præditum. Nam temporis pars vna pręteriit, alia futura est, pręsens alia dicitur. Seculum autem ipsum partitione caret, nullóque tempore ac loco circunscribitur, sempiternitatéque adeò cum iis, quæ sempiterna sunt, gaudet. Væsanæ porrò mẽtis figmentum, Marcíque de seculis commentũ semiuocale, vocale, & mutum est. Nã ex quatuor & viginti literis alias vocales appellat Grãmaticus, cuiusmodi sunt α, ε, η, ι, ο, υ, & ω: quia nimirũ per se ipsæ, víq; sua vocẽ perficiunt, etiám si aliis non coniungãtur literis: alias semiuocales: alias itẽ mutas vocat vt β, γ, δ, & quæ cõsequuntur, vt quæ nihil eorum exprimãt, quæ ad colloquiũ faciunt, absq; aliorũ elemẽtorum cõiunctione, nimirum α, ε, & cęterorũ huiusmodi. At seculorũ (si tamẽ à quoquã secula plura admittãtur) qua, quęso, ratione, quáq; naturali differẽtia vocẽ aliis, aliis semiuocem, merum denique vocis defectum aliis Marcus tribuit? Absur-

Ens.

Literarum Græcarum diuisio.

Vocales.

Semiuocales.

Mutæ.

da prorsus hæc est distinctio, vt & illa Quaternitas, quæ secula peperit, absurdior, cuiquidem hominis, Ecclesiæ, Verbi, & Vitæ nomen imponere Marcus assolet. Quemadmodum meræ quoque nugæ sunt Potestates illæ, quas idem Iesu, qui visus est in terra, generandi autores tradit, quæ nimirũ à Quaternitate, non secus atque à cratere quodam, profluant. Siquidem Quaternitatem Pythagoreum dogma fuisse scimus. Potestates verò, si Angelicas concedamus, ab Iesu productas, at non generationis eius causas, extitisse dicemus. Hoc porrò illæ quoque compertum habentes vociferabantur, Quid nobis & tibi Iesu Fili Dei venisti huc ante tempus torquere nos? Illæ enim dum superbię peccato efferũtur, ad id quod deterius est sese cõuerterũt, pristináq; illa dignitate excidẽtes, supplicio mãcipatæ subiectæ sunt, quod βάσανον, hoc est tormẽtum, appellatur. Nam quæ fuit eius, quæso, superbia, qui inter illas primatum habet? Super astra Dei exaltabo, sedem meam, & ero similis altissimo, & comprehendam orbem terræ quasi nidum, & tanquam oua derelicta tollam.

Quaternitas Marci ridicula.

Pythagora τετρακτύς.

Matth. 8.

Superbia Satanæ.

Esai. 14.

Hæc quidem ille, Christus autem quid? Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Contraria porrò Christianę doctrinę sunt, ppterèaq; cũ aliis

Luc 10.

Marci dogmatis reiicienda, quæcunque etiam ſacerdotes eius incantantes iis inſuſurrant, quos baptiſmatis lauacro proluunt. Chriſtus enim in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, baptiſmum conferendum eſſe Apoſtolos docuit: hi auté Patris ignoti nomen inuocát. Certè quis ille ſit neſcio, vt tamen ex ſequentibus ariolari datur, is eſt à nobis, qui Chriſti nomen profitemur, alienus. *Baptiſmus Chriſti.*

Septima hæreſis, Aſcodrugorum, vel Aſcodrupitarum.

HI neque diuina myſteria, ſiue ſacramé-ta, quæ ſunt eorum quæ non videntur ſymbola, rebus ſub aſpectum cadentibus: neque incorporea ſenſibilibus & corporeis referenda aut commemoranda eſſe contendebant. Perfectam autem redemptionem in eo conſiſtere dicebant, ſi quis veram eius quod eſt notitiam, habeat. Nam quæ videntur vniuerſa, ignorationi & paſſioni obnoxia, per generationem diſſoluuntur. Igitur expiatio ſpiritualis eſſe debet. Proinde neque baptizant ad ſe accedentes, neque vllus omnino apud illos baptiſmatis myſterio locus eſt. Redemptioné enim eorum quæ ſunt cognitionem vocant. *Sacramenta.*

Hæreſeos præcedentis Confutatio.

ASCodrugi quoque vana & falſa locuti, miſericordiæ illius, quæ hominum aſſi- *Miſericordia diuina hominibus comes aſſidua.*

dua comes est, mœnibus sese prorsus exclu-
serunt. Rerum enim diuinarum & quæ sub
aspectum non cadunt pleræque, Dei iussu,
corporeum, & oculis omnium expositum
statum sortitæ sunt. Ille enim, Vide, ait, vt fa
cias omnia secundum formam tibi præmō-
stratam in monte. Vbi de tabernaculo ver-
ba facit; & cæteris, quæ in eo à Beseleele di-
sposita sunt.

Tabernaculū à Beseleele cō structum.

Exod. 35. 36. 37. 38. 39

Allegoriā horum vide apud Egesip. de excid. Hierosl. li. 5. cap. 9.

Continebat autem tabernaculum septa
decem, quorum vnumquodque in longitu-
dinem ad vigintiocto cubitos, in latitudinē
verò ad quatuor protendebatur, vniuersum
bysso intorta, hyacintho, purpura, & cocci-
no intorta contextum erat.

Columnæ.

„ Fulciebant autem tabernaculum colum-
„ næ ex lignis incorruptis, viginti numero ex-
„ teri⁹ auro incrustatę. Porrò tabernaculi velū
„ hyacintho, purpura, coccino, & bysso con-
structum erat. Arca autem intra velum sita
erat, & in superiori post velum parte, Pro-
pitiatorium conspiciebatur, cui duo Cheru-
bin auro tornata mutuò se ex aduerso respi-
ciētia insidebant. Velum porrò Sancta san-
„ ctorum per medium partiebatur, atque ar-
„ cam testimonij ita operiebat, vt non appa-
„ reret.

Velum.

Arca.

Propitiatorium.

Cherubin.

„ Mensa verò extra velum stabat, versus Se-
ptentrionem, cuius è regione candelabrum
versus meridiem iacebat.

Mensa.

Candelabrū.

Sacerdotis ornatus.

Cæterùm sacerdotalis stolæ Pectorale, su-

perhumerale, talaris tunica, & κοσσύμβοτος ex byſſo intorta conſtabant. Atque ſuperhumeraliũ textura ex auro, hyacintho, & purpura, duóque lapides humeris ſuperhumeralis, quibus nomina filiorum Iſraëlis inſculpta erát. Rationale autem iudiciorum quadrangulum duplex erat, palmi longitudine, & palmi latitudine, quatuor ordinibus lapidum pellucidorum variegatum. In Rationali autem decretum & veritas inerat. Talaris tunica tota ex hyacintho cõtexta erat, circa cuius fimbriam mala punica purpurea, hyacinthina, & coccinea, intermixtis aureis tintinnabulis, dependebant. Aurea autem lamina, quæ erat ſanctificatio Domino, mitræ adaptata erat. Porrò mitra corona quædam erat, quæ ſacerdotis frontem præcingebat. Cidaris quoque (capitis id indumẽtum) byſſina erat. & Zona opus variegatum. Atque Rationale quidem ſuperhumerali, lamina verò mitrę cohærebat, mitráq; adeò ſacerdotis capiti imponebatur.

Superhumerale. *Rationale.* *Tunica talaris.* *Mala punica.* *Tintinnabula.* *Lamina aurea.* *Mitra.* *Cidaris.* *Zona.*

Erat prætereà Altare thymiamatis, ſeu ſuffimenti, ex lignis incorruptis quadrangulis deauratum: & cornibus aureis diſtinctũ, & adolebatur in eo Incenſum compoſitum, tenue, incenſum ἐνδελεχισμένον, hoc eſt quod aſſiduè mouebatur. Erat porrò incenſum compoſitum ex myrrhæ gutta, onyche, fragrante galbano, & ture pellucido.

Altare thymiamatis.

Dedit autem Deus Moſi, poſteà quàm

Sina mons desiit loqui cum illo, in monte Sina, Tabu-
Tabulæ duæ. las duas testimonij, tabulas lapideas, digito
» Dei scriptas.

Sacrificia. Mandat insuper Deus, vt sacrificiũ fiat,
» iuxta facultatum proportionem, vel vitu-
» lo, vel agno, vel capra. Cæterùm vt à pau-
» peribus par turturum, vel duo pulli co-
» lumbarum, à pauperioribus autem simila
» modica oleo mista offerretur. hostiarũ prę-
Holocausta. tereà aliæ integræ vrebantur, aliarũ paruæ
» quædam partes, omentũ, renes, superiacens
Homo & Anima in script. quid adeps, & pars hepatis inferior. Is porrò qui animal offert, homo: qui verò similam, anima in sacris scripturis appellatur. Prohibet autem ne mel, fermentatíque panes al-
Vitulus. » tari apponantur. Quòd si Pontifex præce-
ptum aliquod transgressus esset, vitulo im-
Hœdus. » maculato: si prĩceps, anniculo hœdo. si qui-
» uis alius è populo, capra facere iubebatur.
Capra. Si pauper fortè fuisset, par turturũ, aut duos
Turtur. pullos columbarum: si pauperrimus, similã
Columba. sine oleo & incenso offerebat. Cæterùm san
Simila. *Sacerdotis* guine & oleo aurem, manũ dextram, & pe-
vnctio. dem sacerdotis inungebat.

» Iam si eo typo, qui Mosi præmonstratus
» in monte fuerat, tabernaculum, & quę in eo
» continebãtur, facta sint, typus autem exem-
» plum erat & imago prototypi, seu exempla-
Baptismus. ris formæ: quantò magis Baptismus peragendus est, qui diuinitus nobis in remissionem & ablutionem peccatorum propositus

est? & statim à baptismo, incruentum quoque sacrificium, eiúsque perceptio? quia nimirum institutio illa, quam pane & vino ad salutem & reformationem humanæ corruptionis nobis Seruator proposuit, haud ea fuit, quæ corpore careret, solóque intellectu perciperetur, sed quæ sub sensum quoque caderet. *Eucharistia.*

Quia enim, vt Iobus autumat, luto formati sumus, lutum autem ex terra & aqua compositum est, formationísque nomine, dicitur alio quodammodo cibus etiam, quo virium intertrimentum debiliratióque resarcitur, & reformatur: iccircò quemadmodum quo tempore nos Deus formauit, terram & aquam assumpsit, ita etiam ad nostri reformationem panis & vinum assumuntur. *Panis & vinum in Eucharistia cur adhibeantur. Iob. 10.*

Proinde cùm Christus apertè dicat, Neminem in regnum cœlorum ingressurum, nisi in aqua & Spiritu renatus fuerit, impudenter profectò legi refragatur, extremáque dementia laborat, quisquis Baptismum con ferendum non esse contêdit, quo tamen intersignio citra controuersiam præcipuè dignoscuntur illi, quicunque nomina Christo dederunt. Priscis enim generationibus alias aliis leges imposuit: *ἐπίλογος. Ioan. 3. Christianorū intersigniū.*

Adamo quidem arboris, Noæo carnium esus legem, Abrahamo circuncisionem dedit, generalem denique legem Prophetæ *Adam. Noe. Abraham. Moses. Euangeliū.*

Mosis opera conscripsit.

Atque in sacris Euangeliis non iam de parui momenti rebus, quæque sint elementorum vice, leges proprosuit, sed perfectiora meditanda esse docuit. Et quemadmodum recèns natis infantibus matres mammas admouent, nec ita multò pòst intritum comminutúmque dentibus cibum, & vbi adoleuerint, solidiorem suggerunt: ita etiam cùm legem nobis pædagogi loco Deus vniuersorum introduxisset, perfectiora tandem proposuit. Interim tamé vetus quoque Testamentum haud secus atque maternam mammam amplectimur, etiámsi ab eius lacte abstineamus, nec circuncisionem, sabbatum, sacrificia, & aspersiones obseruare curemus.

Veteris testamenti collatio cum materna mãma.

Alium prætereà fructum ex veteri Testamento decerpimus, Pietatem enim, fidem in Deum, dilectionem proximi, temperantiam, iustitiam, & fortitudinem exactè docet. atq; veterum sanctorum exempla nobis imitanda proponit. Verumenimuerò aspersionum illarum vice diuinum baptisma sufficit, quo nõ solùm vetera peccata gratis remittit, sed etiam promissorum bonorum spẽ proponit: nos Dominicæ mortis & resurrectionis consortes efficit. donorũ sancti Spiritus participes facit. filios Dei nos esse demonstrat, nec solùm filios, sed etiam hæredes Dei, & cohæredes Christi. Est enim

Veteris Testamenti fructus.

Sanctorum exempla.

Baptismi effectus.

Baptismus quid.

futurorum bonorum arrhabo, futuræque resurrectionis typus & figura. communicatio Dominicarum passionum, participatio resurrectionis Christi, vestimentum salutis, tunica lætitiæ, & stola splendida. imò splendor ipse.

Quotquot enim in Christum baptizati sumus, in mortem eius baptizati sumus, vt quemadmodum Christus per gloriam Patris excitatus est à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim insiti sumus in similitudinem mortis eius, certè & in resurrectionis erimus. *Rom. 6.*

Hæc sunt quæ nos Apostolus de diuino baptismo sentire voluit, Hæretici autẽ, tum Ascodrupitę hi, de quibus agimus, tum quicunque illorum vestigia secuti diuinum baptisma detrectant, abeant in malã rem, quia potissimùm quæ sub aspectum cadunt omnia, ignorantiæ & affectibus obnoxia esse dicunt. Nam quis ignorantię affectibúsque locus apud Deum, qui nihil aliud est, quàm natura simplex, nullísque affectibus obnoxia, & quæ scientiam homini patefacit? *Deus quid.*

Octaua hæresis, Colobarsi.

OGdoadem quandam, seu octonarium numerum Colobarsus hic fabulabatur: eámque Propatore, Ennœa, seu Cogitatione, Patre, Veritate, Homine, Ecclesia, Verbo, & Vita, constare dicebat. *ὀγδοάς.*

Quod igitur à Propatore ante omnia, tanquam conducibile factu, excogitatum fuerat, id Patrem vocari Colobarsus asserebat. Aliud porrò Veritatis, aliud Hominis appellatione designabat. Alios cùm in mediũ proponeret, Ecclesiam esse præcogitarat, atque ex Ecclesia Verbum processisse, quiquidem est Filius Dei primogenitus, quem ponè Vita sequeretur. Atque hoc modo suam complebat Ogdoada. Cæterùm Colobarsi auditores & discipuli, hominis quoque nomen Vniuersorum Propatori & Proanennoëto, hoc est ei, qui ante omnia mente cõcipiendus est, attribuere ausi sunt. Qua de causa Filium hominis seipsum in Euãgeliis Christum dixisse contendebant.

προανεννοήτος.

Filius hominis.

Hæreseos præcedentis Confutatio.

Hæretici recentiores priscorum dogmata refingunt.

COlobarsus quasdam Ptolemæi, Marci, & Valẽtini sententias impurissimas refingens, atque illorum Tetrada seu quaternitatem ad Ogdoada seu octonarium numerum producens, perditionis scalas sibi ipsi suæque factionis hominibus compegit, cùm ea quæ effutiuit nullo prorsus ordine stent, imò sibi inter se repugnent. vt ij deprehẽdere possunt, qui in traditionem eius lectione versantur. Vbi enim paulùm progressus est, Filium hominis vocat Vniuersorum Propatorem, quem nemo cogitatione præcipere queat, eáque de causa Christum

ſeipſum hominis Filium in Euangeliis vocare aſſerit, nec interim coniectare poteſt, Deum Verbum Creatorem hominum, at non hominem fuiſſe, qui tandem humanitate diuinitati commixta, vnus idémque Filius altiſſimi, & Filius hominis dicitur, vnius hypoſtaſeos ratione, quę duabus ex naturis ita perfecta eſt, vt compoſita ſit, quoniam poſt coniunctionem vna in hypoſtaſi compoſita, vno, inquam, Chriſto, naturæ ſaluæ ſuperſunt, nihilo ſecius atque naturales earundem proprietates, ita vt qui Chriſtum enuntiat, duarum naturarum coniunctionem perſpicuè ſignificet. Atque Deum carne paſſum, & carnem Verbi propria in natura paſſam, denique Dominum gloriæ crucifixum eſſe, propter ſummam naturarum coniunctionem dicimus. Et hæc illa eſt Theandrica energia, hoc eſt, Dei & hominis operatio. Poſteaquàm enim Deus homo factus eſt, & humana eius operatio diuina erat, ſeu deificata, nec diuinæ operationis eius expers. atque diuina viciſſim operatio ab humana operatione non abhorrens, ſed vtraque cum altera citra confuſionem eluceſcebat.

Filius hominis.

Perſona Chriſti ex duabus naturis cõpoſita.

Chriſtus.

Dominus gloria.

Nona hæreſis, Ophitarum. hi baptiZantur.

OPhitæ vocantur à ſerpente, quem colunt. Aiunt autem ab Æone, ſeu ſeculo ſuperiore, alia ſecula proceſſiſſe, quorum

Ophitarum ἔτυμον.

Ialdabaoth. infimum ſit Ialdabaoth, ex ſuperiore matre *Pronice.* Pronice, Hunc porrò ad infima loca deſcē-diſſe, ibíq; ſeptem Filios genuiſſe, qui ſeptē *Hebraeorum Deus.* ſibi cœlos conſtruxerint. Ialdabaoth deinde, quem Hebrçorum quoque Deum dicūt, *Homo vermis.* ſeipſum ſuprà concluſiſſe, ne ſeptem Filij ea cognoſcerent, quæ ſupra ſe ſunt. Qui mox hominem ad Patris Ialdabaoth Ideam confinxerunt. Erat autem homo reptile quemadmodum vermis. Cæterùm cùm Pronice mater Ialdabaoth filium odio proſequeretur, quòd præ faſtu ſeipſum ſuperiùs concluſiſſet, hominem ſcintilla diuinæ virtutis, *Anima.* hoc eſt anima, donauit. Erectus itaque in pedes homo cogitatione cælos penetrauit, laudibúſque cœleſtem Ialdabaothi Patrem celebrare cœpit. Qua quidem re Ialdabaoth offenſus, infrà deſpexit ad materiæ ſedimentum, filiúmque ſerpentina Idea genuit, à quo decepta Eua eſt. Proinde *Serpēs Deus.* Serpentem Deum eſſe, hominibúſque ipſis ſcientiæ principium fuiſſe docent, cuius *Gen. 3.* rei gratia prudentiſſimus omnium ſerpens dictus ſit, propter multiplices illas volubiléſque inteſtinorum noſtrorum ſpiras, quibus corpora noſtra confarcinata ſunt. Inſuper & Serpentem nutriunt, & myſteriorum ſuorum tempore, panibus men-*Panis ſanctificatus Ophitarum.* ſæ appoſitis, ciſtáque aperta, illum ad paſtum inuitant. Ille circum panes volutatur, quos ex continenti tanquam ſanctificatos

frangunt,& populo distribuunt. atque hoc perfectum sacrificium arbitrantur. Tum deinde nescio quibus incantationibus & pręstigiis cicuratum Serpentem & delinitũ deosculantur omnes in ore. atque adorantes hymno Patrem cœlestem concelebrant. Eorum porrò nõnulli Christum aiunt, cùm seipsum in serpentem transformasset, virginis vterum subiisse. eóque sensu miseri hoc Apostolicum intelligunt, Qui cùm in forma Dei esset,non est rapinam arbitratus, se æqualem esse Deo,sed semetipsum exinaniuit,formam serui accipiens. *Philip.2.*

Hæreseos præcedentis Confutatio.

SErpentum,qui vera sunt viperarum progenies,in morem Ophitę hi pullularunt. quippe qui animantium omnium maximè detestandum, atque repens diuino iussu super pectus & ventrem, velut insani adorarent, & Hebræorum Deum Ialdabaoth (nomine sacris incognito literis) dicerent, quem ab antiquioribus seculis, Pronice matre progenitum impiè fabularentur. Tum deinde septem Filios ab ipso progenitos:qui totidem cælos construxerint. Tandem verò hominẽ ad Patris sui Ialdabaoth imaginem protulerint. Neque hac quidem velitatione contenti, hominẽ quoq; reptilẽ fuisse,vermis in morem asserunt: cæteraque omnia, quæ superiori oratione exarauimus. *Genes 3.* *Pronice.*

Aduersus quæ hæc à nobis adferri possunt, Quod nimirùm sacra scriptura vnũ Deum, vniuersitatis huius conditorem tradit, eúmque adeò carentem Principio, haud genitũ, & qui vnà cum vnigenito Filio, Spiritúque sancto, secula produxerit, eáque de causa cum iisdem glorificetur. Pronicen verò vnà cum septem filiis, tanquam meras nugas, ad coruos relegamus. quemadmodum etiam, quòd hominem primò vermẽ productum fuisse dicunt. deinde animã accepisse à Pronice, quam Ialdabaothi matrem confingũt.

Hominis creatio. Dei enim, qui est super omnia, manu cõstructus & firmatus, haudquaquã serpentis formam accepit, sed qualem nos habemus, qui cum illo formæ & naturæ eiusdem participes sumus: cúmque spiritum viuentem,

Spiritus viuens quid. quam nos animam intellectu rationéque præditam dicimus, ab illo accepisset, imperium illi in res terrenas datum est. Simul atque verò Diaboli inuidia, mulieriśque fraude prohibitum fructum contigit, paradiso exturbatus est.

Porrò σκώληκα seu vermem scimus animalculum esse, quod ex lignis putrefactis, vt plurimùm autem ex cœno enascitur. Quãuis enim per Prophetam Dominus dicat,

Esa. 41. Noli timere, vermis Iacob, nõ eo tamẽ vaticinio Vidẽs vsus est, vt Adamum huiusmodi forma ab ĩitio aut posteà præditũ fuisse. imò verò, vt humilitatem & abiectionem Verbi

significaret. Serpentem quoque non minùs quàm vermem, terra enatum nouimus, qualitate cæteris assimilem animantibus, quæ Deus è terra enasci voluit, cui vim propagandi seminis inseuerat. Prudentem verò non eo vocatum dicimus, quia humana figura mentéque præditus sit, vt homo, verùm quia nos supplãtare conatur, malorum memor, quæ tum perpessus est, cũ super pectus & ventrem repere iussus est, versatilibúsque corporis spiris, tanquam muro aheneo, illæsum caput conseruat. quòd non ratò inde exerit, & quantùm halitu contendere potest, venenum contra hominem eiaculatur. Adhęc facilè certis annorum periodis, foraminum attritu, leberidem exuit. Per seculum & secula si quis continuum eorum quæ sunt motum intelligat: quem neque nox neque dies dimetiatur, prorsus ei subscribemus. Quemadmodum & si quis Zonas, pro quarum situ errantia sidera inferiore fixis ordine disposita sunt, abusiuè cœlorum nomine designet vel etiam Zodiaci circuli, quem curru suo Sol circunuehitur. Quòd si quid præterea obloquuntur hæretici, & secula iis quæ sunt priora antiquioráque existiment, eos vnà cum suis seculis explodendos censemus. Omnia enim visibilia & inuisibilia à rerum omnium conditore Deo, atque ab Vnigenito Verbo, Spiritúque sanctissimo creata esse didicimus.

Serpenti prudentia cur tribuatur.

Secula.

Cœli pro Zonis.

Zodiacus.

Secula priora iis quæ sũt non esse.

Psal. 32. Verbo enim Domini, vt Philopsalmus ille
» Dauides autor est, cæli firmati sunt, & Spiri-
» tu oris eius omnis virtus eorum. Ante hunc
autem Moses ipse Prophetarum excellentis-
Gene. 1. simus nos cœlum, terram, & cætera elemen-
» ta ab illo facta esse docet, qui lucem in rerũ
naturam produxerit, qui cælum sideribus,
terram saltibus, pratis, & segetibus ornaue-
rit, varia animantium genera deprompserit,
aërẽ volucribus, aquam piscibus, terram iu-
mentis & feris habitandam exposuerit: qui
denique naturam humanam formauerit.
Esa 45. Quibus astipulatur Esaïas his verbis Qui fe-
» cit cęlum, & firmauit illud, qui dedit spira-
» culum populo inhabitanti terram, & spiri-
» tum ambulantibus in ea. Item, Qui statuit
» cælum sicut fornicem, & extendit illud si-
» cut tabernaculum. Ipse porrò Deus per
eundem Prophetam sic ait. Extendi cæ-
Esa 40. lum solus. Hieremias quoque hunc in mo-
» dum exclamat, Qui mittit lucem & profi-
» ciscitur, vocauit eam, & paruit ei cum ti-
more. Ipse quoque Melchisedecus, qui
legis tempora præcessit, cùm benediceret
Gene. 14. Abrahamo, his verbis vsus esse fertur. Bene-
» dictus Abrahamus Deo excelso, qui creauit
» cælum & terram.

Atque Abrahamus ipse, cùm famulum
Gene. 2. ad Rebeccæ nuptias emitteret, Pone, in-
» quit, manum tuam supter femur meum,
» vt adiurem te per Dominum Deum cæli &

terræ. Insuper Iobus ille tot generibus cer- "
taminum exercitatus, Qui extendit, inquit, *Iob.9.*
cælos solus, qui graditur super fluct⁹ maris, "
[sicut super pauimentum.] "

Vt autem Vetus Testamentum cum Nouo consentire, & eadem cum illo effari, atque adeò vtriusque riuulos ex eodem fonte scaturire perspicuum fiat, audiamus Ioannem tonitrus Filium, qui omnia Verbo facta, nec eorum quæ sub sensum cadunt, & quæ intellectu percipiuntur, quicquam sine eo productum asserit. Nam sine ipso, *Ioan.1.*
inquit, factum est nihil, quod factum est. "

Audiamus & Paulum exclamantem In *Coloss.1.*
eo facta esse omnia, seu visibilia sint, "
seu inuisibilia. Idem alibi, Per eum Pa- "
ter fecit secula. Idem cùm in Areopa- "
go concionem haberet, hunc in modum *Act.17.*
locutus est. Deus, qui fecit mundum, "
& omnia quæ in eo sunt, ipse dedit om- "
nibus vitam & inspirationem, & omnia: "
fecitque ex vno sanguine genus omne ho- "
minum inhabitare super vniuersam faciem *Hebr.11.*
terræ. Item, Fide intelligimus aptata esse se- "
cula Verbo Dei. "

Atq; hæc quidē de cælis & seculis. Quod si quis tertium Pauli cœlum in mediū afferat, is verò sciat vnicum propriè à sacra scri- *2.Cor.12.*
ptura cœlū agnosci, reliquos autē duos im͞p *Cœlum vnicum est.*
priè cęli nomine designari. Vnū quidē quod

Firmamentũ secundo die factum, propriè Firmamentum
Gene. 1. dictum est: abusiuè autem cœlum. Vocauit
» enim, inquit, firmamentum cœlum. Siquidem hoc diuersum est ab eo, quod primo die creatum est, ídque nominis sortitum, siue quia ex aquis compactum, & iccircò firmamentum dictum, siue ad corporum distinctionem, quæ superiùs & inferiùs contigua sunt. quæ quidem cùm tenuia & pellucida sint, hoc quia crassum est & corporeũ, στερέωμα seu firmamentum dictum est. στερεὸν enim à Geometris corpus dici solet, quoniam tres in partes diducitur, nec tactui cedit, aut obsequitur. Quemadmodum autem firmamentum hoc, quod primi cæli vicem adimplet, cæli nomen adeptum est, ita etiam proximum illi elementum, aër, quia contiguus nobis est, cúmque primò suspicientes intuemur, maiore cum abusu cælum
Deut 28. dicitur. Erit enim, inquit scriptura, cælũm
Psal. 8. quod supra vos est, æreum. Et Dauid, Volucres cæli. Maximus igitur Paulus aërem &
Pauli raptus in tertium cælum. firmamẽtum prætereuectus in ipso primo & tertio cælo, ratione ordinis inferiorũ ad superiora, requieuit.

Eo item, quod homini à serpente cognitionem datam esse dicunt, extremam impietatẽ redolent. Mosaïca enim historia Adamum animantibus nomina imponentem, hócque modo de Eua differentem introducit.
Genes. 2. Hoc igitur os ex ossibus meis, & caro

ex carne mea. Qui cùm Domini præceptũ nihili fecisset, quo cauebatur vt arbores omnes, quibus Edem in immensum luxuriabat, contrectaret, indéque victum sibi pararet, ab vnica verò scientiæ arbore abstineret, causámque adeò huius rei compertã habuisset, imò pręsens à pręsente Domino auribus excepisset, non iniuria Dei iussu exulauit, & delitiarum horto exturbatus est: prudentiórque post cõsilium, vt ita dicam, euasit. Atque reipsa didicit, obsequium rebellioni quid præstet. Quare serpens scientię dator non erat, sed arbor scientiæ boni & mali nuncupabatur. Si quid autem contrariorum cognitione præditum sit, nõ statim dignum est, quod cõtrariis accenseatur. Eadem enim ratione Legem contemnendam iudicabimus, quæ contraria discernat, & alternis vtraque expendat. Imò verò Adamũ oportuit obseruato præcepto ad Deũ quibusdam quasi gradibus ascendere, & veluti quadam è specula arboris scientiæ vim cõtemplari, túmque demùm eius perceptione se efferre, cùm per Deũ licuisset, perceptióque ipsa damno caruisset, nec ad deteriorẽ partem inclinasset. Contrà autem, cùm pręcepta in omnium oculis transgressus esset, nec auspicatò fructum arboris sciẽtiæ boni & mali gustasset, totus ad contraria procliuis se cõuertit: nec solùm à vitæ arbore exclusus est, sed iure etiã à cõuersatione illa &

Ibidem. *Genes. 3.* *Arbor scientiæ.* *Lex.* *Ad Deum quomodo ascẽdendum.* *Adamus cur paradiso eiectus.*

ſtatu excidit, quibus anteà dignus habitus fuerat. Dicat verò etiã quiſpiam Adamum ſeſe ſpeculationibus altioribus quàm par eſſet, addixiſſe, quæq; ingenij ſui capacitatem excederẽt: quia nimirùm boni maliq; ſciẽtia prędite eſſẽt. Quod in cauſa fuerit, vt à Deo eiiceretur. Eiuſmodi enim eorũ quæ ſunt cõtẽplatiões multis præcipitiis ſcatẽt, multóſque à vera de Deo ſententia, quaſi obtorto collo, trãſuerſos agunt. quẽadmodum, verbi gratia, Ophitas, de quibus nunc agimus, Philoſophorúmq; veterũ plurimos. Democritus enim aquã Deum eſſe dixit. Anaximenes aẽrẽ principiũ primum & ſummũ eſſe aſſeruit. Anaxagoras id earũ particularum æqualitatibus attribuit, quas ὁμοιομερείας Græci vocãt. Alius cœlo vniuerſitatis huius adminiſtrationem adſcripſit. Alij denique cũ alio modo ad variã rerum quas Deus creauit cognitionẽ, tanquã ad arborẽ ſciẽtiæ boni & mali, animũ appellerẽt, exitiali ſe morti mãciparunt. tantũ abfuit, vt arboris vitæ participes eſſent. Porrò Deũ Adamus abſq; intermedio nõ videt, aut ſtantẽ corã obtuetur ſed ſolum in Paradiſo prodeãbulantẽ audit. vt de his quoq; verba faciamus, quamuis ab inſtituto argumẽto aliena ſint. Quoniã ſtat quidẽ Deus iis qui ſtãt, cauẽntq; ne ab honeſti actione decidãt. Ab incõſtãtibus autẽ, & obliquã ab iis quæ meliora ſunt viã ſectãtibus, dimouetur quoq; Deus, & aliò ſe cõ-

Noli altum ſapere.

Democritus.

Anaximenes.

Anaxagoras.

Geneſ. 3.

Deum Adamus quomodo audierit.

Deus quibus ſtet, quibus moueatur.

fert.eáq; de causa Deus vespere, vt arbitror, nō autē manè,vt priùs,Adamo vidēdum se præbet,quia nimirū capax ampliùs nō erat, cui splēdoris diuiniOriēs illucesceret.quippe cui post trāsgressionē obtusa sensuum organa hebescerēt. Anteà enim nō ex interuallo cum Deo colloquebatur. neque ita, vt nunc quidē adesset,nunc verò abesset: Imò manè & meridie,hoc est,cū intellectu & cogitatione, deniq, spiritualiter cum creatore suo cōuersabatur,& colloquebatur. Posteà verò quàm à seipso diuini iubar luminis exclusit,tūc audiuit,vt scriptura refert,vocem Domini prodeābulātis in paradiso sub vesperam,& occuluit se,quia nudus erat. Præter ea quæ iā dicta sunt,Ophitę hoc quoque cōtra receptā piorū sententiā astruūt,Quod scilicet Dominus Iesus formam serpētis induerit,atq; ita Virginis vterū subierit, quod *Philip.2.* in causa fuit,vt Apostolus exclamarit. qui cū " in forma Dei esset,non rapinā arbitratus est " se esse æqualē Deo, sed exinaniuit semetipsū, formā serui accipiēs. Quæ enim Deo cū animantiū omniū maximè detestādo serpēte,qui Adamū circunuenerat, cōmunicatio est? Sed Dei Verbum,cùm in forma,seu substantia Dei esset, nec eius essentia per rapinam,sed naturam potiùs, eámq; adeò eiusmodi,quę amitti nullo modo possit,ęqualis Deo esset. seipsum exinaniuit, formā serui, hoc est humanā naturā accipiēs,quēadmodū

Ibidem. & in sequentibus ostendit, cùm ait, Ad similitudinem hominũ factus. Quare cùm Paulum Ophitæ in medium adferant, vt Dominum forma serpentis assumpta virginem subiisse confirment, à Paulo ipso Ventriloqui perspicuè coarguuntur, imò illis os tanquam vaniloquis obstruitur. Cæterùm quî fieri potest, vt formam serpentis Dominus acceperit, quem de medio sublaturus venerat, tanquam dęmonis emissarium, qui Adamum, hoc est manuum suarum opus, circũuenerat? Quod enim quis expetendum iudicat, id magna quoque diligẽtia prosequitur. quod verò nocumentum, tanquam sibi contrarium, adferre nouit, id auersatur, nec vlla prorsus affinitate sibi coniungit.

Decima hæresis, Prodici [& Adamitarum.]
Cap. 10.

Adamitæ. PLatonicam Prodicus disciplinam cùm percurrisset, eorum qui Adamitę dicuntur hęreseos autor fuit, publicámque libidinosæ pruriginis licentiã Carpocraticis dogmatibus addidit. *Mulieres communes.* Mulieres enim communes esse sanciuit, Cuius rei gratia non tãtùm publicis in conuiuiis, lucernis confestim extinctis, in quancumque quiuis incidisset, eã comprimebat, sed huiusmodi quoque turpitudinem mystici sacrificij loco habebat. *Clemens in Stromatis. lib. 3.* Atque huius rei testem Clementem, qui Stromata conscripsit, authorem citabo, sa-

crum virum, quíq; rerum multarum peritia cæteros omnes exuperet, cuius in Stromaton tertio hæc leguntur. Sunt porrò, qui publicam, & omnibus expositam Venerem mysticæ communionis nomine dignentur, rei sacræ vel nomine solo hauddubiè iniurij. Deinde contra subidã illam, porcinámve spurcitiem nonnulla præfatus, hæc subiicit. Miserrimi enim carnalem & Venereum concubitum rebus sacris accensent. & ab eo sibi in Dei Regiã aditum patefactum iri putant. Certè ad Ganea cõsectanda fenestram aperit huiusmodi communio, eorúmque societatis albo sues & hirci libenter adscribãtur. Sit verò iisdẽ præcipua & maxima spes in iis meretricibus reposita, quæ in fornice prostant, & citra delectum quosuis accedere volentes impudenter admittunt. Aliis porrò in eandem sententiam additis, infert. Hęc & huiusmodi sunt Pronicensium dogmata, qui se Gnosticos falso nomine dixerunt.

Ganea.

Pronicensis, Gnostici.

Hæreseos præcedentis Confutatio.

SI Plato Platonico more locutus est, nec prætento legunlationis cortice Philosophicum sensum occuluit, hauddubiè Plato indigna se tum molitus est, cùm nuptias cõmunes esse suis sanciuit legibus. Nam Prodicum sino, & qui Platonis auditores dissentaneis sibíque dissimilibus magistri sui

Platoni nuptia cõmunes

opinionibus, tanquam muscæ vlceribus, inflati sunt. Qui enim communitatis mulierũ autor est, is nihil aliũd, quàm nationum omnium, totiúsque generis humani confusioné introducit. Quî enim fieri potest, vt ex huiusmodi complexibus Pater vllus cognoscatur, & cæteri consanguinei demonstrentur?

Mundi creatio.

At certè Deus nihil confusè creauit, sed vbi primùm materiam quatuor in elementa digessisset, ex illis hunc quem videmus mundum fabricauit. Hic verò dum communem nobis Venerem lege permittit, nec cum delectu mulieri adhærendum tradit, & patres nobis nostros inuidet, & genus ambiguum promiscuúmque statuit: ita vt vix cuiquam innotescere queat, an hic Patre Græco natus fuerit, an verò ille ex barbaris Amaxobiis & Hippomulgis ortum habuerit. Per te verò mihi, quæso, Patris nomine frui liceat, quemadmodum tu in hodiernum vsque dié filius Aristonis diceris, nec ab re denominaris. Nec ea certè animantia, quibus insita ratio est, quibusuis mulieribus semen cõmittere solent, sed his quoque vis quædã inest, qua amorem respuant & deuitent. Non ita Draco, non ita Solon ciues tui suas sanciuerunt leges, sed lectos distinxerunt, pœnas raptoribus virginum irrogarunt, supplicio illos extremo multarunt, quicunq; vim thalamis inferrent alienis, omnia denique bene

Draco & Solon Atheniensium legislatores.

& rectè disposuerunt. Tu autem, qui verè sapientissimus, & vbique celeberrimus habitus es, quid tibi, quæso, voluisti, cùm talia promulgare ausus es? aut vnde, ex quóve tripode, ex quorum denique Philosophorum, vt ita dicam, corollariis aut Syllogisticis rationibus ad hæc tabulis inscribenda adductus es, quæ ne Dij quidem tui probauerunt? Qui metatores sibi ipsis præfecerunt, nobilésque adeò pœnas ab iis repoposcerunt, qui in aliena cupidas manus iniicere auderent, vt ex Ixione coniicio. Quamuis ille Iunonis loco nebulam amplexatus esset: & ex Marte, quem Vulcanus iis vinculis constrinxerat, quæ neque frangi, neque solui possent. Atque communi multorum ludibrio eleuatum exposuerat, quamuis vel iugerum magnitudine superaret.

Ixion. *Iuno.* *Mars.* *Vulcanus.*

Sed quia beneficum tempus ciuitatem ipsam, quamuis bene muratam deseruit, huiusmodíque leges solis mandari literis permisit, nos quoque finem dicendi faciemus, ne fortè iis vires restituamus, & secundæ quodam modo vitæ autores simus, quæ tempus irrita & emortua esse voluit.

Camarina mouenda nō est.

Vndecima hæresis, Cainorum.
Cap. II.

CAini ad inculpatam fidem noſtram accedentes baptizantur. impiè verò vniuerſitatem hanc à duabus poteſtatibus cõtineri dicunt: quarum altera infirmior, altera potentior exiſtat. Et ex iis Adamum Euámque prognatos. Cæterùm poteſtates eaſdem poſteà Euæ adhæſiſſe. Atque Cainum quidem, Eſaum, & Coritas ex potentioris poteſtatis ſemine, Abelem autem ex debilioris proceſſiſſe. Magnificè quoque ſe efferunt, quòd à proauis Caino, Sodomitis, Eſau, imò verò etiam à proditore Iuda deſcenderint. Proinde opuſculum quoddam proferunt, quod autori Iudæ adſcribunt.
Angelorum porrò & poteſtatum nominibus confictis, Ephoros eos, hoc eſt præſides ſeu præfectos appetitionum rationis expertium eſſe dicunt. Ex quo fit, vt cùm in execranda & infanda peccata impingant, ad eorum quodlibet exclament, O tu Angele, abutor opere tuo, munere tuo defungor.
Quin & ex Pauli Apoſtoli nomine opuſculum aliud nulla non obſcœnitate ſcatens confingentes, Αναβατικὸν, hoc eſt, De aſcẽſione Pauli vocant. Hinc arrepta occaſione, quod Apoſtolum ad tertium vſque cœlum aſcendiſſe dicant, atque ibi verba non referenda audiuiſſe, quæ non fas eſt homini loqui: qui-

qui:quibus non referendis verbis impia illa ſua flagitia intelligunt.

Hæreſeos præcedentis confutatio.

DIcat verò quiſpiam aduerſus hanc hæreſin contendens, Inaudita audiui, eáq; adeò percurrere mihi contigit, quę obliuione profecto, tenebríſque digna ſunt. Cùm enim Caiani duo principia prædicant, quibus rerum vniuerſitas conſtet: quorum alterum debilius, alterum fortius ſit, ex duabus illis poteſtatibus primos parentes proceſſiſſe aiunt. Deinde verò ambo Euæ adhæſiſſe, atque ex debiliore poteſtate Abelem prognatum, cæteróſque omnes, qui illum ſecuti cultum Dei amplexati ſunt: ex altera verò, quæ potentior ab illis dicitur, Cainum, Coræum, & Abironem proceſſiſſe, atque adeò Sodomitas, & quicunque illos ſecuti, luxúque diffluẽtes, molliter & delicatè vixerũt. Hæc & huiuſmodi profeſſi, quæ pudorem hominibus facilè incutiant, ſibi tamen in eis placent, animúmque ad omne genus flagitij appellũt. Re vera illorum gloria in illorum dedecore conſiſtit: qui non ſolùm corporeos concubitus ordinibus materia carentibus attribuunt, atque duo principia inter ſe contraria tradunt, quæ quidem ſe mutuò prorſus interimunt, vt quæ ſe mutuò pati nequeant, ſibíque ex diametro repugnent: ſed etiam nequioribus hominibus addicti,

ne futura quidem illis ſupplicia miſeri ſecũ quoquomodo reputant: vel tantillùm qui-
Cainus miſer. dem ſubuerentur. Siquidem Cainus meritas cædis fraternę pœnas luit, dum gemit & trepidat, atque per totum miſeræ vitæ curriculum comitiali morbo laborat. Coræus verò
Core. & Abiron terræ abſceſſu, atque ad Inferos
Abiron. cum vniuerſa familia deſcenſu, condemnati ſunt.

Sodomitæ. Porrò Sodomitæ igne cœlitus in Pentapolin demiſſo perierunt, quoquidem ij qui maſcula libidine pruriunt, etiam num fructuum cinereorum perceptione, terræque ſiccitate, & inhabitabili ſolo erudiuntur.

Iudas. Iudas denique vltrò ſeipſum, nulla prorſus percepta mercede ſtrangulãs, vitam laqueo abrupit. Quàm verò appoſitè Dæmo-
2.Cor.6. nas quoque ſuæ ipſorum libidini & intem-
" perãtiæ præfectos confingunt? At verò quæ ſocietas luci ad tenebras, quid Iudę & Paulo commune? vt illius quidem Euangelium proferatur, qui ne auribus quidem Dominũ à mortuis ſurrexiſſe, gentéſque fidem Chriſtianam edoctas eſſe perceperit, qui ſeipſum eodem tempore ſuſpenderit, quo Dominũ prodidit: ita vt perire, quàm ſceleris pœnitere maluerit: huius verò libellus commentitius omni obſcœnitatis ſpecie refertus cõ-
Hebr.12. fingatur, cùm tamen dicat, Sequimini ſan-
" ctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.
1.Cor.9. Item, Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutẽ

redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, "
ipse reprobus efficiar. Item in epistola ad "
Corinthios, de eo qui cum nouerca se polluerat, hunc in modum scribit, Ego quidem *1 Cor. 5.*
absens corpore, iã præsens autem spiritu iu- "
dicaui vt præsens eum, qui sic operatus est, "
in nomine Domini nostri Iesu Christi, tra- "
dere huiusmodi Satanę, in interitum carnis, "
vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu.
Et paulo póst. Quare non magis iniuriam *1. Cor. 6.*
accipitis? quare non magis fraudem patimi- "
ni? sed vos iniuriam facitis & fraudatis, & "
hoc fratribus. An nescitis quia iniqui re- "
gnum Dei non possidebunt? Nolite errare, "
neque fornicarij, neque idolis seruientes, "
neque adulteri, neque molles, neque mascu- "
lorum cõcubitores, neque fures, neque aua- "
ri, neque ebriosi, neque maledici, neque ra- "
paces, regnum Dei possidebunt.

Verba autem illa non referenda, quæ Paulus auribus hausit, quæ nefas est homini loqui, vel quæ ad fidem non ædificant, propter ipsorum nouitatem, & naturæ humanæ infirmitatem, qua fit, vt non facilè auditiones huiusmodi percipiat, quæ diuinitate cæteras antecedunt.

Quò etiam referri Euangelicam hanc as- *Ioan. 16.*
sertionem existimo. Adhuc multa habeo "
vobis dicere, sed non potestis portare mo- "
do. Item, Sunt autem & alia multa, quæ *Ioan. 21.*
fecit Iesus in conspectu discipulorum suo- "

» rum : quæ si scribantur per singula, nec
» ipsum arbitror mundum capere posse eos
» qui scribendi sunt, libros. Vel quia vita, quæ secundum Christum est, atque adeò regnũ
Regnum cælorum. cœlorum, quodammodo latet, nec omninò sub aspectum cadit. Hoc sensu, non solùm bona ipsius humanis rationibus peruia non sunt, sed ne mysteria quidem eiusdẽ doceri
2. Cor. 12 & percipi possunt. Illud quoque, Audiuit
„ arcana verba, quæ non licet homini loqui,
„ ita accipi potest, Raptus Paulus illa minimè linguæ cuiusquã explicatione percepit, sed illi animi parti, quæ rationis est particeps,
Deus quomodo loquatur. tacitus impressit. Deus enim nequaquã voce colloquitur, arcanáque suggerit. sed illa eorum animis inserit, quos colloquio dignatur. Quibus igitur arcanis nullo linguæ ministerio initiatus est, ea etiam ne lingua quidem explicare voluit.

* *Duodecima hæresis, Sethianorum. Hi baptizantur. Cap. 12.*

SEthiani ab Angelis cuncta ortum ducere tradunt: atque duos in primis homines,
Cainus. Abel. Cainum & Abelem. De quibus cùm aliquando inter se Angeli contentiosiùs digladiarentur, Abelem Cainus Angelorum fortiorum auxilio interfecit. Quo cognito superior illa virtus, quam matrem etiam vo-

cant, puro semine suscepto, Sethum ad iustitiæ stabilimentum, seminísque delectum effinxit. Temporum porrò successu genera illa duo, Abelis inquam, & Caini, commixta sunt. Quinetiam Angeli, qui Cainum & Abelem formauerant, cùm viderét illorum filias, quòd pulcræ essent, rem cum illis habuerunt. Quod cùm superior mater illa vidisset, diluuium immisit, & vtrunq; genus pessum dedit, eo solo genere superstite, quod à Setho descenderat. Cæterùm hi Sethiani, ad nugas quod attinet, quas de Angelis & potestatibus circunferunt, mirè cum Cainis conueniunt.

Sethus.

Diluuium.

46.

* *Hæreseos præcedentis Confutatio.*

SEthiani ex eo dicti sunt, quòd Setho adhæreant, eiúsque vitę institutum magnificè efferant. Quemadmodum & Caiani, quòd Caini placita præ cæteris sibi proponerent, eáque sequerentur. Porrò quemadmodum Cainorum dogmata, propter fœditatem detestanda sunt, ita Sethianis Orthodoxorum cœtus omnino interdicendus est, quandoquidem illorum traditiones veritati non sunt consentaneæ, imò à Mosaica disciplina prorsus alienę. Cùm enim Moses de huius vniuersi constitutione dicere proposuisset; in principio, inquit, creauit Deus cœlum & terram.

Sethianorũ cum Caianis collatio.

Genes 1.

Deinde quibuſdam expoſitis, Adami & Euæ generationem ediſſerit: eorundem lapſum atque è Paradiſo exilium ſubiiciens. Poſteà verò ſic ait.

Geneſ. 4. Adam verò cognouit vxorem ſuam Euã, » quæ concepit & peperit Cain. Paulò pòſt Abelis quoque natiuitatem deſcribit, non ſine artium enumeratione, in quibus ſe vterque exercebat.

Virtutum porrò, quæ materiei prorſus exortes Deum circunſtant, nullam Moſes neque in Geneſi, neque in Exodo mentionẽ fecit, niſi ſemel in Cantico, his verbis.

Deut. 32. Cõſtituit terminos populorum iuxta nu- » meũ Angelorum eius, Ieſu porrò Naue no- » ćte in exercitu Michaëlem Dominicæ militiæ Principem, cum diſtricto gladio vidit. Cæterùm in iis generationibus, quæ tempora illa ſubſecutæ ſunt, à Iudicibus, Prophetis, aliiſque iuſtitia celebribus viris coràm viſi ſunt Angeli, qui nihil aliud eſſe videntur, quàm naturæ quædam ſimplices, quæ nullo modo aut vix in peiores partes tranſuerſæ rapiuntur: diuinæ quidem claritatis capaces, à noſtrate verò concretione materiali prorſus immunes.

Vulgata editio habet filiorum Iſrael.

Michael Angeli qui.

Cæterùm hi Sethiani, nulla diuinorum eorundémque Moſaicorum ſcriptorum habita ratione, hoc Vniuerſi corpus ab Angelis conſtitutum aſſerunt, à quibus Cainus

Suprà lib. 2. cap De Angelis, in fi.

& Abel primi creati fuerint, ſuppreſſis parẽtum, Adami ſcilicet Euæque nominibus. Deinde Abelem à Caino Angelorum fortiorum ope interfectum tradunt. Et quod maximè abſurdum eſt, ex diuina quadam Virtute, ſic enim vocant, quæ à Patre cœleſti ſemen conceperat, Sethum natum fabulantur. Impia porrò verba hæc prꝗſtigiis magis impiis cumulantes, Angelos cum mulieribus congreſſos intrepidè aſſerunt, quꝗ à Caino & Abele deſcenderant: & quãtum coniecturis aſſequor, auditis his Moſeos verbis.

Videntes Filij Dei filias hominum, quòd pulcrꝗ eſſent, acceperunt ſibi vxores. *Geneſ.6.*

Filios Dei nullo iudicio Angelos nominarunt, qua in re ſe peruerſos ſacrꝗ ſcripturꝗ interpretes, atque, vt ita dicam, ſuis ipſorum ſententiis apertè repugnantes oſtenderunt.

Angelos enim, à quibus rerum vniuerſitatem productam fuiſſe volunt, ac ſi corporibus membríſque virilibus non careant, malè & impiè muliebri pulcritudine captos eſſe aſſerunt, eámque non ſecus venari ſuo figmẽto, atque nos hamo natatilia ſolemus.

At non ita ſe res habet: ſed Deos ſcriptura ſolet eos appellare, qui virtute Deíque cognitione cæteris facilè prꝗſtant: qualis à Moſe Sethus deſcribitur, nimirùm Dei amore celebris, piorúmque Abelis mo- *Sethi ſanctitas.*

rum imitator exactissimus: quemadmodum & vaticinj eius character ita sibi constat, vt euariari non possit. Iccircò enim inter homines de corporibus cœlestibus Philosophatus est. futurámque mundanæ totius machinæ corruptionem per alterũ ex duobus elementis præstantioribus, aqua, inquã, & igne, prædixit: atque adeò columnis duabus inscripsit, quæcunq; in cœli tabulis anteà legerat. Columnarũ altera ex latere coctili præparata, altera lapide exculpta erat, vt si quando igne absumerentur homines, lateritia inconsumpta superesset. Si verò aqua perituri essent, lapidea conseruaretur.

Aqua, & ignis.
Sethi columnæ lateritia & lapidea.

Filiæ hominum.
Homo.

Cæterùm filiæ hominum illæ sunt, quæ à Caini genere prouenerunt. Hæc enim vox Homo, si sine adiuncto proferatur, nec synecdochicè subaudiatur, malam in partem vt plurimùm sacris in scripturis & intelligi & accipi solet: quo in significatu etiã apud

Psal. 4. Dauidem dicitur. Filij hominum, vsque quò
» graui corde? Item, Filij hominum, dentes
Psal. 56. eorum arma & sagittæ. Item, Non timebo,
» quid faciat mihi homo.

Psal. 117. Filij autem Dei, qui à Setho pio viro genus ducebãt, apud tempestatis illius homines oblectabantur, quemadmodum Moses

Filij Dei.

Genes. 6. his verbis obscurè subindicauit. Et viderunt
» filij Dei filias hominum, quòd pulcræ essent, & acceperunt eas in coniuges. Daui-
» des autem apertiùs id prolatauit, dum chor-

ditoni Psalterij chordis personás hunc in modum psalleret. Ego dixi, Dij estis, & Filij altissimi ómnes. Vos auté vt homines morimini, & vt Αρχόντων seu Principatuũ vnus caditis. *Psal. 81.* " "

** Tertiadecima hæresis, Archonticorum seu Principatuum. hi baptiZantur.*
Cap. 13.

NOmen his à dogmatibus impositum est. Cùm enim cœlorum hebdomadē atque ogdoadem, hoc est septenarium & octonarium numerum esse dicunt, horum vnicuique proprium ἄρχοντα seu principē præstituunt. In octauo autem matrem φωτεινὴν, hoc est est lucidam, esse aiunt. Atque Diabolum septimæ potestatis filium affirmant, nimirum Sabaoth: qui sit Hebræorum Deus, cum Euáque congressus fuerit, vt maritus cum vxore solet, atque eo ex cōpressu Cainum & Abelem susceperit. Qui cùm germanam sororem ambo riuales deperirent, inuidia crepans Cainus Abelem interfecerit. Improbant verò mortuorum quoque resurrectionem, atque solam animam resurgere, ac in cibum principatibus & potentiis cedere contendunt. Iidem baptismum execrantur, diuinorúmque mysteriorum perceptionem explodunt, quip-

Cælorum ἑβδομὰς & ὀγδοάς.

μήτηρ φωτεινή.

Sabaoth, Hebræorum Deus.

pe quæ in Sabaothi nomine celebretur. Ab Adamo prætereà cognita tandem Eua Sethum processisse nugantur, quem superna Potestas ex continenti correptum apud se enutriuerit. post multáque temporum interualla in terram detulerit, vt Principatuum & Potentiarum mysteria disceret. His porrò sunt Pseudoprophetæ quidam Marsiades & Marsianus, quorum posteriorem in cœlum quoque abreptum fuisse, & per tres indidem dies descendisse aiunt. Postremò resurrectionem mortuorum continua filiorum ex patribus generatione iam fieri dicunt.

** Hæreseos præcedentis confutatio.*

TEnebrarum principis re vera discipuli sunt Archontici seu principatuum fictores, vel principales. Vanis enim rerum vocabulis in animum inductis suum, hebdomadas & ogdoadas, seu septenarios & octonarios numeros cœlorũ confinxerunt, iísque principes præfecerunt, non quales Moses ait, constituit terminos populorum
Deut. 32. Moses ait, constituit terminos populorum
» iuxta numerum Angelorum eius. sed vni-
» cuique cœli suppræfecturã nõ secus adiudicarunt, atq; si nulli principatui subditus esset. Hoc verò quid aliud, quæso, est, q̃ multiplicis dominationis introductio, Deíq; cõtẽptus, qui hãc rerum vniuersitatẽ protulit?

Quod etiam propemodum profitentur, dũ φωτεινὴν seu lucidam quandam introducunt, Diabolúmque septimæ potestatis filiũ esse autumant. atque eum esse Sabaoth Deũ Hebræorum impudenter prolóquuntur, vt qui Deo contrarij sint. Quæque supradictis magis impia & ridicula dicas, Euæ cũ Dæmone concubitum, & ex eorum congressu Caïnum & Abelem conceptos esse confingunt. O qualia vasa malignus ille, mendaciique ab initio Pater effinxit! quę nimirum spurcitię suę capacia sint. quales linguas illis intra dentiũ septa conclusit! vsq; adeò mẽdaciis omnegenus exercitas, vt vel ipsum verbis tanquam iaculis impetant, dum eum qui materiæ natura expers est, cum corporibus humanis congressum esse tradunt. Hi certè animum non secus atque Dæmonem, vt par est, materia constare rati, ea illum de causa cibi loco apponi suis quales quales sint, Principatibus, & potẽtiis dementissimi omnium pronunciant.

Neque verò noui quicquam est, quòd diuinum lauacrum improbant, Sethúmque raptum esse nugantur, atque adeò mortuorum resurrectionem filiorum procreationẽ fieri censent, in omnibus à veteri nouóque Testamento dissentientes, imò ipsi Deo obstreperi, nécnon sors portióq; mali Dæmonis omnium gratissima.

Quartadecema hæresis, Cerdonis & Marcionis. Hi ad fidem orthodoxam accedentes baptizantur. *Cap.* 14.

Blasphemiæ Simonis his quoq; initium dederunt. Fuit autem Cerdo antiquior, qui duos etiam Deos esse asserebat. vnum qui in lege & Prophetis locutus esset, quem etiam impurus hic & scelestus homo Creatorem malum notúmque vocabat. alterum verò Deum bonum & ignotum omnibus affirmabat: quem Christi quoque Patrem dicebat, qui venisse quidem ex Maria existimaretur, ad ea antiquanda, quæ à mundi opifice Deo, malo inquam, illo & noto sancita essent, re autem vera non venisset. Proptereà etiam veterem à Christo legem in Euangeliis antiquari, qui dicat Dentem pro dente, & oculum pro oculo, tanquam Dei mali institutionem.

Dÿ duo.

Matth.5.

Marcion Sinopensis hæresi addit.

Cæterùm Marcion Sinopensis, eius qui per ea tempora Ecclesiæ Catholicæ Episcopus erat, viri quidem religione pietatéque clarissimi filius fuisse fertur, qui cùm virginem quandam circumuenisset, & constuprasset, eiectus à patre, atque eodem persequente fugatus est. Cùm ergo Romam peruenisset, ibíque qualis erat innotuisset, nec à quoquā ad synaxin admitteretur, Cerdonis impostoris hæresin vel cum additaméto amplexus est. Illo enim duos Deos asse-

rente, hic tres introducebat. vnum quidem supernum, eundémque innominabilem, inuisibilem, & bonum: quíque nihil in mũdo creasset. alterum verò visibilem, creatum, & mundi opificem. tertium denique, qui inter hos duos, inuisibilem, inquam, & visibilem, medius esset, nempe Diabolum. Idem insuper Christum ab inuisibili, innominabili, & bono Patre processisse, atque eundem ad Inferos descendisse dicebat, nõ quidem, vt Iudæos seruaret, qui Deum nouerant, vt Abelem, Enochum, Noæum, Abrahamũ, Isaacum, Mosem, Dauidem, iísque consimiles. sed Cainum potiùs, Coræum, Dathanẽ, Abironem, Esaum, & si quis eiusmodi superesset, gentésque adeò, quæ Deum non nouerant. Inde etiam diebus Sabbatorum ieiunandum esse prædicabat, nugísque suis quietem Sabbati à Iudæorum Deo institutam esse mentiebatur. quocirca ieiunãdum nobis esse, quò illius placita seruemus. Adhæc idem non semel, sed iteratò, & sæpiùs baptizabat. Interdum verò quartum quoque Deum, nempe Hylen, seu materiam, introducebat, eámque ab ipso mundi opifice Deo assumptam esse dicebat, ex qua ille rerum vniuersitatem produxisset: ex purissima nimirum eius parte cœlum, ex reliquis elementa quatuor, ex ima verò fæce & sedimento Infernum atque Tartarum. Item, Purissima, inquit ille, terræ parte transcolata

Dÿ tres.

Sabbatorum ieiunium.

Anabaptistæ.

Hyle quartus Marcionis Deus.

Infernus.

Paradisus Adam. Paradisum condidit Deus. ex quo gleba vnica correpta Adamum formauit: atque illi animam propria ex substantia largitus est: exindéque adeò corporis & animæ pugnã oriri censet, cùm hinc quidem anima corpus ad mundi opificem attrahere conetur: illinc verò corpus eandem lucta deuictam hylæ, seu materiæ, ex qua nimirùm forma- *Corporis & animæ pugna vnde.* ta sit, adscribere contendat. Idem serpentem opifice mundi meliorem esse nugabatur, quia scilicet hic quidem arboris scientię perceptionem prohibuerat, ille verò eandem permiserat & inuexerat. Quare qui Marcionis hæresin profitentur, æneum serpentem colunt, eúmque in capsulis asseruãt. Marcionistæ insuper Virginitatem professi, mulieribus quoque ad baptizandum accedere permittunt, atque in mysteriis aqua sola vtũtur, & vnicum Lucæ Euangelium approbãt abscisso principio, iísque omnibus, quibus eius conceptionem & incarnationem percurrit: atque inde inchoata narratione, Anno decimoquinto Imperij Tyberij Cæsaris, pleraque etiam è medio atque fine huius Euangelij detraxerunt: aliáque scripta adulterina interseruerunt. Ex Apostoli denique Pauli Epistolis nonnullas admittunt.

Serpens Deo melior.

Ophitæ.

Baptistriæ fœminæ.

Aquarij.

Luc. 1.

Hæreseos præcedentis Confutatio.

CErdon eiúsque præceptor Marcion os in cælum ponentes duos Deos profi-

tentur, vnum quidem in lege & Prophetis locutum, quem & malum esse dicunt, quicunque omnium impurissimam & pessimã viuendi rationem sectantur: alterum verò bonum & ignotum, quem & Domini nostri Iesu Christi Patrem vocant. Dei Filium, quamuis in terras venisse censeretur, re tamen vera nõ venisse tradunt: ídque vt Mosaïcam legem à malo Deo datam antiquaret. Vlteriùs verò progressi tertium Deum Diabolum, & cum eo quartum Hylen, seu materiam commenti sunt.

Porrò illis quidem certè per me nugari liceat, Nos autem vnum Deum nouimus & credimus, qui materiam ex nihilo produxerit, ex eáque cœlum & terram formauerit, atque omnia quæ in eis sunt condiderit, qui primùm quidem per Mosem Israëlitis optimam iuxtà & salutiferam legem dederit, quæque omni detestandæ actioni aduersetur. Deinde verò per vnigeniti Filij Domini nostri Iesu Christi legationem gentes vt conuerterentur, Deúmque cognoscerẽt, inuitauit. Christus autem non eò venit, vt legem solueret, quod illi volunt, sed vt adimpleret. Siquidem in lege scriptum est, Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est. Item, Non erunt tibi Dij alij, præter me. Item, Non facies tibi Idolum, Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum. Atque hæc quidem verba efficiunt, ne plu-

Deus vnus.

Lex.

Christi legatio.

Deut 6.

Exod. 20.

Ibid.

res esse Deos existimemus: ipsúmque vnum & solum agnoscamus, qui natura Deus est. Porrò Deus cum hominibus, hoc est nobiscum, quasi per velum carnis, conuersatus, perfectiorem Dei cognitionem in mũdum inuexit, qui Patrem ita cognoscendum, vt qui principio causáque careat, Filium verò in principio quidem à Patre genitum, principio tamen carentem, vt qui coæternus illi sit. Spiritum denique ab illo procedere docuerit: Qui duo eodem quo Pater imperio, eadem potentia, eodem honore, eadem essentia gaudeant: vt ex his eiusdem ad Samaritidem verbis colligere est, Crede mihi, mu
Ioan. 5. lier, quoniam venit hora, quando neque in
" monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis
" Patrem: vos adoratis quod nescitis, nos ado
" ramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est.
" Sed venit hora, & nunc est, quãdo veri ado-
" ratores adorabunt Patrem in spiritu & ve-
" ritate. Etenim Pater tales quærit adorato-
" res. Item illa etiam, quæ post resurrectio-
Matth. 27. nem discipulis dixit. Euntes docete omnes
" gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &
" Filij, & Spiritus sancti. Item, Lex quidem
Matth. 5. ait, Dentem pro dente, & oculum pro ocu-
" lo. Item, Non occides. Non mœchaberis.
" Christus autem, Quicunque infensus fuerit
" fratri temerè, reus erit iudicio. Item, Qui vi-
" derit mulierẽ ad concupiscendum eam, iam
" mœchatus est cum illa in corde suo.

Iam verò in huiusmodi exhortationibus constitutio legis haudquaquam cōsistit, sed honesti custodia & conseruatio perfectior. Vetus enim lex scelerum fines auersatur, eósque punit, à quibus illa commissa fuerint, quæ minùs honesta sunt. Christus verò vel prima germina radicitùs extirpat, eorúmq; nomine pœnas exposcit. Mulierem enim ad concupiscēdum vidisse, aut iracunda comminatione, contumeliosiúsque in fratrem insurrexisse (quod ne fiat, summa cura cauēdum esse Christus admonet) haudquaquam actionum finis & consummatio est, quam Mosaica lex auersatur, sed appetitus quidam & motus, qui ea parturiat, quæ minimè conueniunt: atque ad finem etiam deducat.

Praecepti & consilij distinctio.

Legis & Euangelij discrimen.

In vtroque igitur hi Cerdonis & Marcionis asseclæ ex diametro ab orthodoxa fide dissentiūt: & quia legem Mosaïcam malam esse pronuntiāt, & quia Christum ideò venisse contendunt, vt illam solueret.

Quòd verò phantasia, seu simulatione, non autem re vera Christum in terris apparuisse dicunt, nec purè naturam humanam assumpsisse, dignos vltrò sese produnt, qui in Chaos & Erebum pœnas daturi protrudantur. Quî enim fieri potest, vt Phantasia dicatur, quòd ex virgine natus sit, quòd sapientia, ætate, & gratia profecerit, quòd crucifixo latus lancea perfossum fuerit, quòd statim à resurrectione cicatrices clauorum,

laterifque diductionem oſtéderit, quòd diſcipulus de iis ipſis curioſiùs addubitans ea proculdubiò ſic ſe habere deprehenderit? Quæquidem omnia diuinæ diſpenſationis præſcripto ideò conſeruata ſunt, vt eum ipſum eſſe crederemus, qui apparuerat, qui tertio antè die paſſus erat in carne, non autem ſpectrum, ſpiritúmve, qui oculis cerni poſſet.

Quòd autem Deus vnus eſt Pater, vnúſq; Dominus ſeruator noſter Chriſtus: quòd denique Verbum caro factum ſit, id filius ille tonitrus his verbis atteſtatur. Et verbum
Ioan.1. caro factum eſt. Atteſtatur & gentium Doctor Paulus, qui pleriſque diuinarum Epiſtolarum in locis ea latiùs explicat, quæ de Chriſto ſcripta ſunt. Inquit enim, Gratias a-
Coloſſ.1. gimus Patri, qui nos idoneos reddidit in
" partem hæreditatis ſanctorum, in lumine,
" qui liberauit nos à poteſtate tenebrarum: &
" tranſtulit in poteſtatem filij dilectionis ſuę,
" qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus
Coloſſ.1. " omnis creaturæ. Et poſteà. Quia in ipſo
complacuit omnem inhabitare plenitudi-
" nem, & per ipſum reconciliare omnia in ip-
" ſum, pacificans per ſanguinem crucis eius,
" ſiue quę in terris ſunt, ſiue quę in cœlis ſunt.
Rom.5. " Item, Nunc autem reconciliati ſumus Deo,
Philip.2. per mortem Filij eius. Item alibi, Qui cùm
" in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus
" eſt, ſe eſſe æqualem Deo: ſed ſeipſum exina-

niuit,formam serui accipiens. Proinde venit,vt genus humanum seruaret, cuius formam assumpserat,atque adeò subdolas Dæmonis artes irritas faceret, qué profani homines Deum vocant, quamuis angelica claritudine vnà cum socio rebellionis agmine deciderit.tenebrásque cum gloria illa commutauerit,qua totus luce lucebat matutina. cuíque pauca quædam,nec magni momenti,posse datum est, in sui ludibrium potiùs, iustorúmque certamen & exercitium,quàm ad virium demonstrationem.Nec enim alia lege coronatur athleta, victorixque præconiis effertur, quàm si pugno aduersariũ percusserit, aut eius viscera catapulta transuerberauerit:aut in guttur acinacem distrinxerit, atque ita virium suarum dexteritatísque specimé coram Agonotheta,seu certaminis præfecto, ediderit. Quomodo,quæso,nobis Iobi pietas, aut Martyrum pro Christi nomine constantia, optimúmque cæterorum sanctorum propositum innotuisset,nisi Dæmon Iobum petiuisset,& obtinuisset? nisi præterea tyrannos aduersus Martyras subornasset? φώσφορος. Diaboli tentatio.

Cæterùm Hylen,seu materiam, neque sine principio esse,neque principio cum Deo catere dicimus, neq; etiam imaginationem esse,quę sit formarum receptaculum.quamuis externorum Philosophorum nonnullis id visum fuerit,&placuerit.Nam cùm Deus Materia.

mundum producere in animo versaret, cogitatio illa opus & actio erat, Hylénque seu materiam forma subsequebatur, & simul emergebat. Qui verò Mosem ita dicentem audiunt, Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi. Atque hinc arrepta occasione diuinam sempiternitatem materiæ tenebrísque contra imum sedimentum tribuunt, tota errant via, tanquam exleges. Posteà quàm enim paucis verbis edisseruit, In principio creauit Deus cælum & terram, tum deinde quæ facta fuerint, & qua forma producta sint exposuit, & hunc in modũ subiũxit, Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erãt super faciẽ abyssi. Cùm enim cœlum in orbem circumageretur, nécdum luminaria illa magna sideráque ordinem suum in firmamento sortita essent, meritò tenebræ diffundebantur. vbi primùm verò lux emersit, stellæque productæ sunt, tenebræ quidem eadem opera discussæ, & ad nihilum redactæ sunt: quia nimirùm per se, suáque vi subsistere non poterant. lumen autem diei vbique respléduit: vt verbi gratia in arborum vmbris videre est. Sole enim transeunte, ipsæ quoque collectæ & adductæ circunscribuntur & diffiliunt. Extenso itidem tabernaculo vel papilione lumẽ diei quodam quasi septo disiungitur, tenebræque liberiùs diffundũtur: eodem euerso & destructo, hæc quoque ad ni-

Genes. 1. *Gen. 1.* *Vmbra.* *Papilio.*

hilum redacta euanescunt. Verumenimuerò rerum, quas Deus creauit, nulla est; quæ ex diuina eius essentia constet: at humanum quidem corpus luto compactum est, anima verò extrinsecus insufflata, substantiam ex spiraculo illo concepit, quo Deus illam in primum hominem inspirauit: vt quæ rationis intellectúsque particeps, nulli materiæ aut figuræ obnoxia; Dei typus & imago sit: ea tamē lege, vt eius substantiæ, quæ causâ caret, portio non sit ex qua cæterorum quoque omnium, quę in rerum natura sunt, atque animæ etiam ipsiús substantia dependet.

Corporis & Animæ substantia.

Noui porrò nihil est, quòd qui dogmata huiusmodi profitentur, diabolum quoque beneficum nominant, ipsíque rerum opifici Deo præferunt: atque hunc quidem prę inuidia parentibus nostris arboris illius fructu interdixisse, cui boni & mali scientia inerat: Diabolum verò vt fructū decerperent vltrò permisisse dicūt: minùs aduertentes, vsque adeò desipiunt, vel data opera exorbitant, mortem auspiciis Diaboli introductam irrupisse in mundum, atque primis nostri generis autores, dum illi obsequuntur, exitium sibi parasse, Paradisóque nudos eiectos esse. Insuper ex cōsequētia prorsus euenit, vt quæcunque ab iis qui contra Deum talia deblaterant, ex Christianorum rituum

Diabolus mortē mundo inuexit.

præscripto fiunt, ea non sine crimine fiant, vt cùm sæpe eos baptizent, vel demergant potiùs, qui hæresin eorum amplectuntur.

Item cùm suis in mysterijs aqua sola vtuntur. imò etiam ministerium baptismi fœminis permittunt. Atque quatuor ex Euangeliis illud tantùm approbant, quod à Luca conscriptum est, nec id tamen integrum, & citra contextus corruptionem.

Theodoriti & Marcionistæ cuiusdã διαλογισμός.

Cæterùm Theodoritus quendam huius hæreseos decrepitum se vidisse testatur, qui cùm manè surrexisset; saliuæ excremento faciem suam ablueret, causámque rogatus se cauere responderet, ne rerum à mundi opifice Deo creatarum vlla indigeret, atque iccircò ne aqua quidem vti, quæ nimirum ab illo creata esset: Cui cùm obiecisset ipse, Quî fit ergo, vt panem offeras, vinum & aquam bibas, dormias, mysteria denique tibi præscripta celebres? subiecit ille, hæc à se necessariò fieri. quia nimirùm si secus faxit, viuere, mysteriaque celebrare nequeat: atque ita miser ille volens nolens se rerum à Deo creatarum tanquam bonarum participem esse fatebatur, quibus anteà refragatus & oblocutus erat.

** Quinta decima hæresis, Luciani. baptiZantur & hi, si resipiscant. Cap. 15.*

LVcianus dogmata Marcionis ſecutus eſt, atque vt cæteris in rebus præceptori conſentiret, certè legitimas nuptias improbabat, & ad virginitatem hortabatur. nõ eò ſanè quòd optimam illam, Deóque gratam iudicaret, ſed vt Dei opera calumniaretur, legémque ſceleſtus ille ferret, cauerétque ne quis fœminæ cõiungeretur, ídque eo tantùm cõſilio, vt rerum omnium opifici & creatori Deo refragaretur, efficerétque ne matrimonij beneficio mundus ab illo rectè adminiſtraretur.

Virginitas.

Matrimonij beneficium.

Hæreſeos præcedentis Confutatio.

QVæcunque ad Cerdonis & Marcionis hæreſin infirmandam adduximus, ea Lucianiſtarum quoque blaſphemiis euertendis ſufficiunt, vſque adeò inter illos omnibus in dogmatum articulis cõuenit, & eãdem re vera, vt ita dicam, figlinam ſummè impij homines exercent. Iam verò cùm nuptias hic in vniuerſum abroget, in eo fornicationis patrociniũ ſuſcipit: atque ita Deo aduerſatur, hominũ quotquot ſunt homo impuriſſimus, exlegémq; ſcortationem immaculato & legitimo toro præfert. Quòd ſi vna & eadẽ opera ſcortationẽ ſe antiquatã velle contendat, nullo igitur modo viri &

Nuptias improbans fornicationi patrocinatur.

fœminæ congreſſum approbat, vt hac arte magnum illud Dei opificium Homo intercidat, & euaneſcat (dignus obiter, qui tam triſtem aleam primus experiatur) atque ita ſolis animantibus brutis brutæ telluris habitatio cedat. Vnde ſatis apparet, quã ignauo miſer ille quámque inhumano pectore ſit, imò verò rationis minùs, quàm ipſa bruta, vt ita dicam, particeps.

Sextadecima hæreſis, Apellis. Hi quoque ad Eccleſiam Catholicam redeuntes baptizantur. Cap. 16.

LVciani quidem cõdiſcipulus, Marcionis autem diſcipulus Apelles à præceptore in pleriſque diſſentiens haudquaquã tria, vt ille, quatuórve principia, ſed vnum principium, vnam potentiam, vnúmq; Deũ innominabilem aſſeruit, à quo Deus alter factus fuerit, cuius opera cœlum, terram, & omnia quæ in eis ſunt, creauerit. hunc tamen poſteriorem nequaquam bonum euaſiſſe, neque ea quæ fecit bene feciſſe, ſed pro praui ſui affectùs libidine, ſubiecit. Quod in cauſa fuit, vt nouiſſimis in diebus Chriſtus Dei ſuperni, eiuſdémque boni, filius in terram venerit, carnémque verè, nõ ex Maria virgine, ſed ex mundi ſubſtantia, aſſumpſerit, qui deinde crucifixus & ſepultus reſurrexerit, diſcipuliſque ſuam ipſius carnem oſtenderit, atque tandem in ea denuò reſo-

Principium vnum.

Antimariani.

lutus, ex quibus conſtabat, ſuum cuique elemento, calidum ſcilicet calido, frigidum frigido, ſiccum ſicco, humidum denique humido reddiderit, atque ita ea carne quam aſſumpſerat, liberatus, carnis expers in cœlū aſcenderit.

Hæreſeos præcedentis Confutatio.

APellem illum optimum humanarum formarum depingendarum artificem Apelles hic in opinionibus ſuis de Deo commentādis nequaquam ſe præſtitit, imò potiùs obliquorum dogmatum confictor, & veluti quidam figulus imperitus deprehenſus eſt. Quæ quidem dogmata virga ferrea, hoc eſt recta fidei regula tandem confracta & antiquata ſunt: atq; validiùs etiam, quàm fuſilis illa ſtatua, quam taurino capite effinxerat ebrietas, in minuta fragmenta cōfracta & protrita fuerit.

Apelles pictor.

Virga ferrea.

Ebrietatis ſtatua.

Introducit autem principium vnum innominatum, à quo Deum alium proceſſiſſe ſubdit, qui omnia creauerit: ídque nōn rectè, ſed malè, & pro vt corruptæ mentis erat lumen illud quod diei prælucet, aut aërem quem ſpiramus haudquaquam veritus, non pānis quo alimur, non aquæ qua in potu vtimur, non cæterorum cuiuſquam, quibus homines, vt cætera ſpirantia perfruimur, rationem vllam habens. In quibus præſertim minùs rectè, nec vt creaturas decet, verba

de eo fecisse deprehenditur, à quo illæ in rerum naturam productæ sunt. Vt certè Christum superni eiusdémque boni Dei Filium fateatur, qui re vera carnem humanam induerit, passus sit, & resurrexerit, eundem tamen cùm in cœlos ascendit, carnem deposuisse, priuatúmque corpore ascendisse contendit. Qua in re partim Cerdoni, partim Marcioni colludit, partim cæteris hæreticis astipulatur, erroneáque & improbãda cum illis dogmata velut hæreditario iure sortitur.

Idem aliam quoque hæresin innouat, dũ Christum sibi quatuor ex elementis, nõ autem ex Virginis sanguinibus carnem compegisse asserit: eandémque denuò in illa dissoluisse, ex quibus composita fuerat, quod quidẽ Christi gestis aduersatur. Nam si carnem cœlitus attulisset, quo tempore Angelum Euangelistam in ciuitatem Nazarethã miserat: ad quid, quæso, opus ei fuerat, vt ad tempus in vtero Virginis formaretur, ex eodémque cum crassitudine corporis exiret?

* *Septimadecima hæresis, Seuerianorum. Hi quoque ad baptismum admittuntur.*

PRincipatibus hic quoque Potestatibúsque illam rerum creationem quam credimus accommodat. Aítque vnum esse Deum bonum in supremo cœlo & seculo, Diabolum autem ex eius femore processisse,

qui poteſtatum ordini præeſt: quem etiam Ialdabaothum vocat. Diabolum hunc, ſimul atque in lucem editus eſt, ſerpentem deprehenſum, & iccircò in terram deiectũ. Cúmq; Venereis ſtimulis pungeretur, cum terra non ſecus atque cum muliere rem habuiſſe; vitémque eius è ſpermate prognatã. Proinde à vino abſtinendum eſſe dicebat, quodquidem nunc in furorem, nunc in irã exacueret. Fœminam præterea miſer ille à Satana factam, cóſque qui cum fœmina concumberent, Satanæ opus adimplere fabulabatur. Atque ea de cauſa nuptias diſſuadebat. Inſuper eam quoque hominis partem, quæ ſuperior eſſet, vmbilicóque tenus protenderetur, poteſtatis Chriſti creaturam: quæ autem conſequerentur vmbilicum, ea idem malæ poteſtatis opus eſſe cõtendebat. Vetus denique Teſtamentum, vnà cum Reſurrectione mortuorum inficiabatur.

Vinum.

Fœmina & nuptiæ.

Hæreſeos præcedentis Confutatio.

EX pleriſque hæreſiarchis ea quæ arriſerunt deliramenta Seuerianus expiſcatus eſt, deinde ipſe quoque aliarum autor hæreſeon, tanquam blaſphemiis blaſphemos ſuperare contendat, à vini vſu prorſus abſtinendum eſſe docet. Diabolúmque cũ terra congreſſum, & exinde vitem mox enatã aſſerere non veretur: ita vt vitem mali dæ-

monis malum opus affirmet: ignorans omnia quæ Deus creauit esse bona, pro vt eiusdem diuina vox attestatur. Malum quidē est Ebrietas, & rerum creatarum abusus; nam Sol quoque caliginis autor est iis, qui in eius orbem rectâ oculorum aciem dirigunt: non tamen ea de causa lucidissimum hoc diei lumen aspernandum est. Aqua etiā rebus admotis vitam largitur: eadem suffocare quoque solet. Ignis itidem calefacit atque vrit. Gladius multis in rebus conducibilis est: at idem homicidia perpetrat. Sic se habent cætera quoque omnia, quibus humana vita constat. Quin earum etiam virtutum quæ reginæ dicuntur, vsus ipse medio neutiquam caret. Si quis ergo res huiusmodi ex hominum vsu auferat, solo contrarietatis concursu permotus, is efficiet, vt earum rerum sine quibus vita nostra ingrata & acerba futura sit, nullæ supersint. Multis verò etiam vel mica panis mortem attulit. At fieri tamen nullo modo potest, vt pane careamus: qui tanquam res omnium solidissima, cor hominis cōfirmat, quemadmodum & vinum, si opportunè moderatéque bibatur, nec illum σωφροσύνης seu temperantiæ craterem transiliat, aut secundum saltem non excēdat, qui αὐταρκείας, seu sufficientiæ vulgò fertur, quo quidem bona corpori valetudo accedit, animíque pars rationalis sarta tecta fouetur. Quódque eo

Rerum creatarum vsus & abusus.

Virtutes.

Panis.

Vini modus.

maius est, seipsum Christus vit, discipulósque palmitibus comparauit: patri denique nomen agricolæ indidit. Quin & in nocte illa, qua tradebatur, accipiens panem refertúmque vino calicem, & vtrunque benedicens, nouum nobis Testamentum tradidit, pane quidem in suum corpus, vino autẽ in sanguinem commutato. Hísque adeò ambobus nobis coniunctus, qui ab illo sumus appellationem sortiti, dies omnes nobiscum versatur, quemadmodum etiã promisit. Atq; ita nostris quidem vel in huiusmodi mysteriis arcanis vini vsus vtilis & salutifer deprehenditur.

Ioan. 15. *Ibidem.* *Matt. 6.* *1. Cor. 11.*

Seuerianus autem quia vinum & nuptias execratur, indignum se prodit, & qui vnquã in lucem productus sit, & qui calicem Domini sumat. Vtraque enim Christus benedixit, nuptias quidem præsentia, vinum autem ex aqua nouo & inaudito miraculo factum. Iam verò quid commune luci & tenebris? Itémque Deo & dæmoni? vt eum creationis compotem faciat? Hic enim vniuersi creator, ille verò creatura censetur, eáque adeò, quę quia in iis quæ acceperat, minimè perseuerasset, imò temerariis in creatorem ausis insurrexisset, iccirco etiam ex alto præceps deturbata est, omnis denique nequitiæ caput & autorem se præstitit.

Pro nuptiis & in con. fatatore hæreses. 16.

Filius ergo perditionis & malorum autoris ille proles est, quicunque Deo & dæ-

Perditionis filius.

moni nostri, quasi communi quodam diuidũdo, creationem impertit. marísque adeò cum fœmina congressum, opus Satanicum appellat: qualis figmẽtorum huiusmodi autor Seuerianus arguitur.

** Octauadecima hæresis, Tatiani. Hi baptizantur.*

TAtiani Hęreses à Valentini Marcionísque dogmatis haud alienæ sunt. Imò hic illos impietate in plerisque superare cõtendens, Euangelium conscripsit, quòd διὰ τεσσάρων, hoc est ex quatuor Euangelistis cõflatum, vulgo appellatur: genealogiis accisis, nécnon cæteris, quæcunque Dominũ ex semine Dauidis secundum carnem processisse commonstrant. Et quod ad seculorum quidem deliramenta pertinet, eadem ille cum Valentino sentiebat. Quòd autẽ nuptias execraretur, & à rebus animatis vinóque abstineret, cum Saturnino & Seueriano sentire deprehendebatur. Vnde etiã eorum qui Encratitæ, & Aquarij dicti sunt, dux & autor fuit. Cùm enim Sacramenta ad Sanctæ Ecclesiæ imitationem perageret, atque ita continentiam profiteretur, in sacramentis quidem aqua sola vtebatur. Cæterùm nuptiis iniurius nulla illas in re à fornicatione differre dicebat. Adamum denique ipsum saluum esse inficiabatur.

Euangelium διὰ τεσσάρων.

** Hæreſeos præcedentis confutatio.*

ADuerſus Marcionem & illum ſubſecutos hæreticos ſcribens eadem quoque in hæreſi cum illis Tatianum fuiſſe dixi. Eadem autem ſubinde repetita narratio faſtidium haud dubiè parit: nec minùs auribus ipſis moleſta eſt. Neque verò à reliquis impietatibus Tatiani alienũ eſt, quòd in myſticis ſacris aqua vteretur: cùm Dominus inſtitutionem ſuam panis & vini oblatione definierit. Et ex eiuſdem latere non aqua ſolum, ſed ſanguis etiam ita defluxerit, vt Deũ nullatenus dedecuerit, poſteà quàm in Dei Patris manus Spiritum cõmendauit. *Eucharistia.*

** Nonadecima hæreſis, Encratitarum, ſeu Continentium. Hi baptiZantur.*

ENcratitarum quoque, ſeu Continentiũ hæreſis, hæreſeos Tatiani fragmentum eſt. Duo autem principia bono Deo oppoſita proponunt. eidémque Diabolum aduerſari dicunt: non quia à bono ad malum deflexerat (quæ Catholicæ quidem Eccleſię ſententia eſt) ſed quia tantis viribus polleret, vt ſuo iure quicquid collibuiſſet, id ageret. neque Deo ſubditus obſequeretur. Scripturis autem vtuntur, quas Andreæ, Ioannis, & Thomæ Acta vulgò vocant: nécnon quibuſdam aliis apocryphis, iíſque veteris Teſtamenti locis, qui potiſſimùm arrident.

Cæterùm nuptias apertè Diabolo adſcribũt atq; ab omniũ animatorum eſu abſtinent, non continentiæ gratia, vt aiunt, ſed quia metuunt, ne ob animatorum eſum condemnentur. Vinum porrò non approbant: ipſum quoque Diabolicum eſſe cauſati: atque illos qui eo vtuntur, iniquos & peccatores vocitant. In ſacramentis denique ſola aqua vtuntur.

** Hæreſeos præcedentis Confutatio.*

ENcratitæ quoque, ſeu Continentes, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, intemperanter in Deum inſurgentes, illis tanquam in camo & fræno cõſtringentur, quę aduerſus Valentini & Marcionis, nécnon Apellis & Tatiani hæreſes à nobis adducta ſunt.

** Viceſima hæreſis, Cataphrygum, qui & Montaniſtæ, & Taſcodrugitæ vocantur. Hi baptiZantur.*

CAtaphrygum hæreſis Phrygiam potiſſimùm peruagata eſt. Vetus autem Nouúmque Teſtamentum admittunt. Atque mortuorum reſurrectionem confitentur. Cæterùm Montano Pſeudopropheta quodam præceptore gloriantur: qui de ſeipſo ita prædicare ſolebat. Ego ſum omnipotens Pater. Item, Non ſum Angelus, neque lega-

Montanus.

que legatus. Sed Deus ego, idémque Pater, veni mundũ ſeruaturus. Propheтiſſas porrò duas, Priſcillam & Maximillam aſciſcũt: quarũ Maximilla his vti verbis conſueuerat. Poſt me Propheta non erit, ſed conſummatio. Adhæc deſertum Phrygiæ locum, cui Pepuza nomen eſt, in honore habent: quo in loco ciuitas aliquando fuit, quę nunc deleta eſt: quem cœleſtis Hieruſalem ſpeciem referre dicentes, in eo myſteria ſua peragũt. Iiſdem porrò Taſcodrugitarũ hac de cauſa nomen inditum eſt: τάσκος Phrygio idiomate Paxillus, δρουγγος autem naſus dicitur. Solebant autem quo tempore Deum precabantur, naſo medium ſupponere digitũ, hoc nimirùm ſigno ſe ad iuſtitiá vltrò amplexandam paratos eſſe ſignificantes.

Priſcilla.
Maximilla.
Pepuza.
Taſcodrugitarum etymum.

**Hæreſeos præcedentis Confutatio.*

CVm Dominus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus in Euãgeliis dixerit, Vos autẽ nolite vocari Rabbi. vnus eſt enim magiſter veſter Chriſtus: cùm etiam ex Apoſtolis Paulo & Ioanne, hic quidem apertè dicat, Omnis ſpiritus, qui non confitetur Dominum Ieſum Chriſtũ in carne veniſſe, ex Deo non eſt: ille autem Pſeudapoſtolorum vaniloquia auerſetur, & pietatis alumnos veluti confirmet, ne ipſorum doctrinis diſtrahãtur atque ita prænuntiet. Nam eiuſmodi Pſeudapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigu-

Matt.23.
1.Ioan.4.
2.Cor.11.

» tantes se in Apostolos Christi. Et non mi-
» rum, Ipse enim Satanas trãsfigurat se in An-
» gelum lucis. Itémque alio loco præcipiat,
» immutationem doctrinæ & fidei non esse
Galat.1. admittẽdam. Sed licet nos, aut Angelus de
» cœlo Euangelizet vobis præterquàm quod
» Euãgelizauimus vobis, anathema sit, Quis,
quæso, pietate tam imbecilli est, támque facilis ad credendum omni verbo, vt ea sibi vera esse persuadeat, quæ à Montano docẽ-
Ioan.5. tur? Denique cùm Christus Hebræis dixe-
» rit, Testimonium meum non est meum, sed
» Pater est, qui testimoniũ fert de me, ne quis
omnium Montanum vera dicere autumet, qui de seipso testimonium ferat. idque eiusmodi, vt non de rebus quibusdam mediocribus narrationem instituat, sed illum Patrem omnipotentem Seruatorémq; pronuntiet.

Hic dubio procul vter est maligno spiritu prætumidus, qui paulò pòst vacuus inuẽtus est, quemadmodum etiam duæ eiusdem prophetissę. Cùm enim nullum post se Prophetam venturum, sed in foribus esse consummationem prædicant, falsa & per se reprehensioni obnoxia sese, dum Montano adhærent, ore proprio vaticinatas esse prodiderunt. Illę enim iampridem obierunt, atque inferorũ tormentis expositæ sunt. Mũdus autẽ etiám num durat, & propriæ Dei, qui est super omnia, potestati subiacet.

** Vicesimaprima hæresis. Quintilianorum, Priscillianorum, Pepuzitarum & Artotyritarum. Hi baptizantur.*

QVintilliani hi Pseudoprophetissam, vnà cum Priscilla hæreseos suę ducem iactant. Aiunt autem ipsarum vnam in loco, qui Pepuza dicitur, dormisse, Christúmque in somnis vidisse, muliebri habitu, stola splendida indutum, vnà secum versatum esse, & somnum cepisse, sapientiam denique sibi inspirasse, atque reuelasse quàm sanctus ille locus esset. Cęterùm Veteri & Nouo testamento vtuntur, Mortuorúmque resurrectionem admittunt. Mulieres etiam in Episcopos & Presbyteros ab illis eliguntur. Aiunt enim, in Christo Iesu nec masculum, nec fœminam esse. Artotyritæ porrò vocantur, quia panem & caseum suis ipsorum sacramentis adhibent: ἄρτος enim Græcis, panis est, & τυρὸς caseus. Fertur insuper quiddam aliud magis impiũ apud illos fieri. Puerum enim apprimè iuuenem quodã die festo per omnes corporis partes subulis pũgunt, tum eius sanguine farinam pinsunt & subigunt, tandémque oblatione inde facta communicant.

Artotyritarum ἴτυμον.

** Hæreseos præcedentis Confutatio.*

FIgulinæ eiusdem cum præcedentibus hi quoq; sunt, imò verò peruersæ illius Satanicæq; doctrinæ, ac traditionis. Quia verò

Nouitas hæreticis gratissima. rerum immutatio & innouatio nunquam non hæreticis arridet, eorúmque adeò, quæ deteriora sunt, copiam insolentiùs sibi vendicant, his quoque vestigiis inhærentes Artotyritæ fœminas etiam ad Episcoporum Presbyterorũq; cathedras euehunt, atque illis permittunt, vt quæ apud eos celebrantur mysteria, manibus attrectent. In cuius rei assertionem Pauli locum proferunt, vbi *Galat. 3.* sic habetur. Omnes enim Filij Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neq; liber: nō est masculus, neq; fœmina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Si autē vos Christi, ergo semen Abrahę semen estis, secundum promissionem hæredes. At falsò Paulum citare coarguũtur, qui his verbis nequaquam mulieribus ea pertrectare permittit, quæ viris conueniunt: & ea in primis, quæ mysteriis scatent, viuámque docentis vocem requirunt: imò verò nos nō ampliùs sub lege, tanquam pædagogo esse; sed ex fide iustificari, Deíque filios tam mares q̃ fœminas esse docet, atq; prędicat: vniuersúmq; adeò genus humanũ, dummodò Christum lauacro baptismatis induerit, in primis autē cùm sic alio quodã loco exhortatur. Mulieribus docere non permitto: sed domi viros suos interrogēt, si qua re sit op⁹. Item, Vos ipsi iudicate. Decet mulierē non

1. Tim. 2. *1. Cor. 14.* *1. Cor. 11.*

velatā orare Deum? Iam si nullo modo cō- «
uenit, naturæq; legibus aduersatur, vt fœmi- «
na retecto capite oret (vir enim si comā nu- *Ibidem.*
triat, ignominia est illi, mulier autem si co- «
mā nutriat, gloria est illi) quoniam coma illi
velamenti loco data est, si mysteria tractet,
denique ad altare Dei propiùs accedat, quā-
tum scelus molitur?

Artotyritæ autem & Deum, & salutifera eius præcepta ignorantes, Christum & Paulum calumniantur: illum quidem, quia muliebri habitu ad suarū Propherissarum vnā accessisse, cum ea dormiuisse, sapientiā denique & futurorum prænotionē ei instillasse dicunt. Hunc verò, qui magnus orbis præco iure censetur, quia peruersi diuinorum eius dogmatum interpretes, fœminis non secus atque viris sacra contrectanda permisisse mentiuntur impudenter.

Quod ad προσφορὰν, hoc est mysticam sacrificij oblationem pertinet, quam illi celebrant, eam ipsam esse puto, quam vel eius autor, & impij sacri præsul Diabolus, tanquam maximè nefariam, detestetur.

Vicesimasecunda hæresis, Tessaresdecatistarum, seu Quartodecimanorum.
Hi Vnguento inunguntur.

RElíquis in rebus Quartodecimani propè fideles, in Paschæ festo Iudaizant. *Euseb. histor. lib. 5. cap. 21.*

Nec enim illud die Dominico celebrant, ſed quocunque decimaquarta Lunæ dies
Exod.12. inciderit. Hoc legis oraculo freti, Maledi-
» ctus omnis, qui non faciet Paſcha die deci-
» maquarta menſis dicentéſque Ioannē Apoſtolum & Euangeliſtam autorem fuiſſe, vt Paſcha die Lunæ decimaquarta celebretur. Inſuper Apoſtolorū Actibus vtūtur, qui erronei vulgò cēſentur, aliiſq; præterea libris illegitimis, quos Apocryphos vulgus vocat.

Theodori Scutariotæ ſcholion.

*HOneſtum quoq; puto, ſi Quartodecimani baptiZetur. Quandoquidem ne Presbyterū quidem habēt, qui baptiſmi ſacramentum adminiſtret vbi enim vel nomine ſolo Epiſcopus? Quinetiam illorum ſacerdotes, qui generis Iudaici ſunt, nec ſacrificium, nec omnem ſcripturam, nec omnia hagiographa admittunt. Ioannis Apoſtoli Euangelium & * intelligentes vt * Omnes porrò ſauctorum nomine dignantur. Opera reiiciunt. Sanctorum communionem nullā nouerunt. Bogomilorum improbitatem exequuntur, & in **

Eiuſdem.) Si Teſſareſdecatiſtæ iidem ſint cum illis, qui Tetraditæ ſeu Quaternarij dicūtur, vt aliis placet, multa, ô Niceta, te illorum hæreſeos capita latent. quemadmodum ipſe tum perſpexi, cùm in horum librorum lectionem frequens incidiſſem, quo
Sancta exilij *tempore apud Helleſpontiacam Lampſacum exula-*
cauſa. *bam, quia ſcilicet Apoſtolorum Patrúmque traditionibus primas deferrem, & ex illarum præſcripto res Eccleſiaſticas componendas & reſtituendas eſſe*

dicerem, potiùs quàm pro hæretica ataxiæ seu confusionis libidine. * * * * *

Hæreseos præcedentis Confutatio.

MOsaica quidē lege cauetur, vt sub decimam quartam Lunæ diem Pascha celebrent ij, qui ab Abrahamo genus ducūt. Illud autem agni occisio erat: postiumque ex eiusdē sanguine perunctio. Atq; azyma, quæ manè cum lactucis edebantur. Et stantes quidem recti cum baculis omnes, & calceos adeò coriaceos induti, his rebus simul magna cum diligentia vtebantur. Vt meritò maledictus haberetur & impius, qui hāc institutionem antiquaret. Nos autē non agnū occidimus, sed in Christi commemorationem, nostrique sanctificationem & purgationem, corpus & sanguinem Christi offerimus: sacrificium incruentum tractantes. Paschaque nostrum eo ipso die præparare debemus, quo Christus è subterraneis inferorum latebris tanquam spōsus de thalamo suo exiliit: quo etiam tempore ex Ægypto re vera profugimus, amarosque satellites atq; infestos dæmonas capite minutos, & viribus debilitatos euanuisse vidimus. Nā si appetente vespera quintæ feriæ, pridie quàm Christus iniquè in ligno suspenderetur, sacramenta instituta & percepta sunt, certè προληπτικὸν, seu præsumptiuum, non autem πραγματικὸν, seu rei gestæ cōmemoratiuum huiusmodi sacrificium fuit. Præsum-

Pascha Iudaicum.

Pascha Christianorum.

Aegypti fuga quid.

Incruentum Sacrificium Christi duplex.

προληπτικόν.

ptiuum quidem, mysterióque scatens, id voco, quod sub quintæ ferię vesperam peractũ est: nondum enim re vera mortuus erat, resurrexerátve Christus. Pragmaticum verò, seu rei antè gestæ commemoratiuum, quod

πραγματικόν.

post passionem, sepulturam, & resurrectionem celebratum est. Verè enim & re ipsa tũ mortuus, verè & re ipsa surrexit à mortuis Christus. Quanuis ergo vtraque perceptio, nimirum proleptica, seu præsumptiua, & pragmatica, seu rei gestæ commemoratiua, æquipolleant (illic enim & hîc corpus & sanguis Christi verè inest) propriè tamẽ Paschę festum diei Dominicæ resurrectionis adiudicatur: eíque potiùs, quàm vesperæ quintæ feriæ nomẽ huiusmodi cõuenit: & tanquã mutuò succedit. Cæterùm, vt apertiùs explicẽ, vnũ & eundẽ Christum præsumptiuè & cõmemoratiuè mortuũ esse & resurrexisse, præsumptiuè quidem sub quintæ feriæ vesperã, cùm diuina mysteria instituta sunt: cõmemoratiuè autem, die resurrectionis eiusdem, quæ tertio pòst die facta est, Exempli

Baptismus.

gratia in mediũ proferam illa, quę in baptismatis regeneratione fiũt. Ibi enim qui redẽptionis aqua lustrãtur, verè sepeliũtur, verẽque resurgunt. Eo enim quod ter aqua lustramur, vnà cum Christo sepelimur, denuóque cum Christo iisdẽ lustrationibus resurgimus, ab illa veteri mortalitate liberati, quam ex Adami lapsu contraxeramus,

Huiuſmodi porrò mortificatio & reſurrectio haudquaquam pragmatica, ſed myſtica eſt. Pragmatica enim mortificatio tunc in nobis eſt, cùm animæ à corpore ſeparatio fit. Pragmatica item reſurrectio tūc fiet, cùm tuba canens Angelus mortuos è monumentis excitabit. Nihilo minùs myſtica illa, quæ triplici luſtratione fit, mortificatio, quæque illam ſubſequitur, reſurrectio, à nobis vera exiſtimatur, & creditur. viſque prædita eſt, ab iis quæ oculis obiiciuntur diuerſa. quemadmodum Paulus in epiſtola ad cōterraneos meos Coloſſenſes his verbis theologicè philoſophatur. In quo & circuncisi eſtis, circunciſione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, in circunciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo: in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis.

Mortificatio alia pragmatica, alia myſtica.

Reſurrectio itidem.

Nicetas ſe Coloſſenſem profitetur.

Coloſſ 2.

Proinde neque feſtum cum Iudæis celebrandum, nec ad lunam decimamquartam ſtudioſiùs attendēdum eſt. ſed tum demùm Paſcha celebrādum eſt, cùm Seruatoris noſtri dies inſtat.

ἰατίλεγοι.

At verò Teſſareſdecatiſtæ, ſeu Quartodecimani, cæcos duces ſecuti, Actúſque Apoſtolicos, qui ab ipſis probantur, non iniuria in perditionis barathrum ceciderunt, quippe qui tenebras cum luce, hoc eſt cum Apoſtolicis dogmatis, catholicíſque traditionibus, atque adeò ipſius Chriſti pręceptis, quę

terram omnem, quam lumine suo Sol illustrat, peruagata sunt, erroneas illas traditiones commutarint, quas ipsi Apocrypha vocant.

Vicesimatertia, Alogorum, seu Dei Verbum negantium. Hi vnguuntur.

IOannis Euangeliũ nõ admittunt Alogi, imò ne Apocalypsin quidem. sed ea Cherinti hæretici cõmenta esse aiunt, dubitãtes & dicẽtes Christũ in Ægyptum quidẽ profugisse, atq; à fuga postliminiò reuersum Nazarethæ habitasse. deinde baptizatum, & in solitudinem à spiritu abductum fuisse: indéque reuersum prædicare cœpisse, vt ex aliorum Euangelistarum scriptis constat. Huiusmodi autem nihil Ioannis Euangelio cõtineri.

* *Hæreseos præcedentis Confutatio.*

DEmens re vera, & expers rationis est Alogorum, de quibus hîc agitur, hæresis. nec minùs vana cum ipsa dubitatione dubitationis occasio. nec enim in omnibus quatuor Euangelistæ consona inter se proferunt. sed ea quidem quæ pro tempore gesta sunt, quæque Christi ad nos aduentui cohærent, ab omnibus citra vllum falsi vestigium conscribuntur, quòd nimirum Dei Filius, ita volente qui est super omnia Patre, sanctóque Spiritu cooperãte, in terram de-

Euangelistarum quatuor ἁρμονία.

ſcenderit. vbi carne virgineis è ſanguinibus mutuò accepta, paſſus in cruce, ſepultúſque ſit, & reſurrexerit. denuò denique in cœlos aſcenderit.

Ad miraculorum porrò explicationem quod attinet, quamuis eodem illam omnes modo non tractauerint, quod tamen ab alio prætermiſſum eſt, id literis alius exarauit. quódque idem hîc ſilentio ſuppreſſit, id ab eo qui ſubſecutus eſt haudquaquam omiſſum ſed expreſſum & hiſtoriæ inſertum eſt. Quod quidem diuinæ prouidentiæ & adminiſtrationis opus hauddubiè præſtantiſſimum eſt. Si enim quatuor Euangeliſtæ in omnibus inter ſe cõſenſiſſent, ij qui ad veritatis lumen cæcutiunt illos cõueniſſe, communíque conſpiratione atq; ſophiſtico conſenſu ea confinxiſſe & cõſcripſiſſe obieciſſent, quæ nullo modo accidiſſent, nunc verò in illis concordia diſcors eluceſcit. ſimilíſque adeò eſt, vt ita dicam, Euangeliorum quaternio muſico organo tetrachordo, quo Spiritus ſanctus perſonat. modóque hæc ſalutari cantico, modò illa ſono vocis ornatiſſimo hominibus, quotquot nondum prorſus obſurduerunt, percurrẽda aſſumit. ita vt quoties Euangelium Ioannis cœleſte voco, ſæpe autem id facio, ἀπήχημα quoddam, ſeu extremum reſultãtis vocis ſonitum percipio, quo Dei gloria & harmonica firmamenti vox explicatur, quæ quidem miracu-

4. Euãgeliorum cum tetrachordo organo collatio.

Ioannis Euãgelij ἐξοχή.

la illa annuntiat,quæ cum carne à Verbo,& eiuſdem cum illo naturæ Spiritu facta ſunt: quæque paternæ manus appellatione deſignantur. Diſcipulus enim Deo charus viam tribus Euangeliſtis inuiam & inacceſſam ingreſſus,ea Chriſti miracula expoſuit,quęcunque prætermitti nõ poterant,quin quoquomodo tractarentur. Miraculorum enim ſuorum Chriſtus diſcipulos quoque participes gratis effecit,illóſq; adeò iis quæ feciſſet ipſe,maiora facturos eſſe pollicitus eſt. Atque à tribus quidem Euãgeliſtis ſatis ſupérque tradita & expoſita ſunt illa,paucis aliquot exceptis. Cœleſtem verò & propriã Chriſti generationem verbo ἦν Erat expreſſam ſtatim ab initio tonitrus Filius hic,tanquam fulguris impetus,in omnes orbis fines eiaculatus eſt. vt cætera quoque id genus, quæ ille ſui ſublimitate ſermonis in mediũ iccirco propoſuit,quia verbũ illud ἦν Erat, quod nullo modo recuſari refutaríve poteſt,iam hominum auribus intonuerat,& animis innotuerat. Quamuis enim vel his exactè traditis,perſpicuáque Theologia expoſitis,indocti peſſimíque veritatis æſtimatores hæc verborum portenta οὐκ ἦν,non erat: ἦν ὅτε οὐκ ἦν,fuit tempus, quo non erat: ὅμοιον, ſimile, ὁμοιούσιον, ſimilis eſſentiæ. ἧττον, minus, & κτιστόν creatum, excogitarunt.& cætera alia,quæ ad cõfutationem, manifeſtámque autorum ſuorum deriſioné

Manus Patris

Ioannes quid præ cæteris Euangeliſtis præſtiterit.

Ioan.14.

Arrianorum hæreſeos portenta verborum.

libris editis circunferuntur. Papę, quàm dissimilia de Christo dicerentur, nisi Dominus per eum qui hæc arcana reuelauit, tanquam de cœlo intonuisset, vocem suam Altissimus emisisset, dogmatum maximè diuinorum fulgura multiplicasset, atque hæreticos confudisset. Sed, vt videre est, non alia de causa Euangelium Ioannis ab his Alogis improbatur, quàm quia Dei Verbum non admittant, nec Deum, nec apud Deum esse, nec omnia per ipsum facta esse, confiteãtur, & prædicent.

** Vicesimaquarta hæresis, Adamianorum. Hi vnguntur. at honestum quoque fuerit, si baptizentur.*

ADamiani Adamo quodam doctore vsi Ecclesias suas in partibus inferioribus leues & angustas efficiebant quibus ex calfaciendis ligna accendebant, ianuísque adstare iubebant, qui virorum fœminarúmque omnium, quos statim ab ingressu exui moris erat, vestimenta custodirent, atq; ita precibus & scripturarum lectioni intendebãt; Virginitatis studio sese insolentiùs efferentes. Quòd si quis in flagitio deprehenderetur, eum mox foras eiectum Adamum dictitabant, qui de ligno comedisset. Ecclesiam enim suam Paradisi nomine dignabantur. Iidem prætereà nuptias improbabant.

Hæreſeos præcedentis Confutatio.

NEc rectè, nec piè, p Adami cũ Eua cõcubitu ab Adamianis ligni deguſtatio expoſita eſt. Moſes enim aliam fuiſſe arboris ſcientiæ ex ſerpentis ſuggeſtione perceptionem, alium Adami Euæque concubitũ teſtatus eſt. Atque illam quidem in Paradiſo nefariè perpetratam ait, hunc verò poſteà quàm inde eiecti ſunt, Pelliceáſque tunicas induerunt. Quòd autem nuptias interdicunt, virginitatis ſimulatio, meráque ſine rebus verba ſunt. Cùm enim non ſine magna turpitudinis nota, omni amictu depoſito, alij aliorum mutuo fruantur aſpectu, quî fieri poteſt, vt apud æquos rerum æſtimatores virginitatis amantes & ſtudioſi iudicentur? Cæterùm quantum illi ſcelus nefáſque committant, qui de induſtria volentéſque nudantur, & ea retegunt, quæ occultari natura voluit, vel ipſi generis humani progenitores oſtenderunt, cùm ſibi ficulnea folia conſuerunt, eorum aſpectum auerſati, quæ pudore digna ſunt. Abſurdiſſimum porrò & ab omni modeſtia prorſus alienum, quódque calidum illum & feruentem zelum in Adamianis augeat, hoc meritò cenſeatur, quòd cùm in Eccleſiam veſtibus induti, & cum pudore preces Deo fundere deberent, in hypocauſtis & caminis ignem accendát, ibíque cum fœminis cõuerſantes, atque vnà cum illis pſallentes, amoris pruritu inarde-

Arboris ſciẽtiæ fructus.

Nuptiæ.

ſcant,& calidè admodum mutuo concubitu fruantur.

Vicesimaquinta Hæresis, Sampſæorum, qui & Helceſæi. Hi baptizantur.

Helceſaitas vocat Euſeb li 6. cap. 27.

SAmpſæi vocantur, quaſi puri, Hebraïca lingua, Helceſæi verò, à quodam eorum doctore. Hæreſeos porrò dux & autor illis fuit Pſeudopheta quidam Iudæus, nomine Elxaï, qui Traiani temporibus vixit. Is per ſalem, aquam, terram, panem, cœlum, ætherem, & ventum iurare, diuinúmque illis exhibere cultum iubebat. Cæterùm continẽtiæ aduerſabatur, virginitatémque exoſus, nubere cogebat. Sed & hypocriſin commendabat, in eáque nihil ineſſe peccati aſſerens, eos à peccato immunes eſſe addebat, qui ex neceſſitate, non ex conſcientia tempore perſecutionis idola venerati eſſent. Prophetas non admittebat. Amuletorum vel monilium vſum imperabat. Chriſtum creaturam eſſe, atque in Adamo formatũ fuiſſe fabulabatur. cuius corpus pro ſuo arbitratu indueret, poſteáque exueret. Spiritum ſanctum fratrẽ eius eſſe, atque eorum vtrunq; longitudine ad nonaginta ſex miliaria, latitudine verò ad vigintiquinque protendi aſſerebat. Huic porrò frater erat, Iexæus nomine. Tandem ex eorum ſanguine mulieres duæ Maltho & Malthana exortæ ſunt; quas non ſecus atque Deas mente capti ve-

De Elxai, Ieſæo, Martho & Marthana. li. 1. De Eſſæis, ſuprà.

Hinc Arius & huius farinæ cæteri de quibus infra. lib. 5.

Maltho & Malthana.

nerabantur, & si quò proficiscerentur, puluerem pedum earum, insuper & saliuam, & sputa, benedictionis loco sibi sumebant.

** Haereseos praecedentis confutatio.*

ADamianis hi, ad nuptias & virginitaté quod attinet, ex diametro repugnañt. Vtrique enim à mediocritate & recta ratione deflexerunt. Nuptias quidem Sampsæi maximo in honore habent, cunctósque iubent. At virginitatem Adamiani summo studio prosequendam esse rati, eos odio prosequuntur, qui nuptias contrahunt. cùm tamẽ honorandæ nuptiæ, nuptiísque virginitas anteferenda sit. Vtraque enim Deo grata sunt. Christus enim à virginitate non alienus, idémque nuptiarum autor, Qui potest capere, inquit, capiat. Item magna illa prædicationis tuba Paulus virginitati primogenia dans, apertè clamat. Dico autem nõ nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego: sed si non contineãt, nubant. Eo autem quòd per elementa iurant, manifestos se Gẽtium imitatores ostẽdunt. Illæ enim per canem, per anserem, & per pinum iurabant. elementorúmque quaternionem ad fidem dictis suis adstruendam proferebant.

Nuptiæ. Virginitas. Matth. 19. 1. Cor. 7.

Styx.

Quin & apud Gẽtium Deos è Styge (quẽ inferorum fontem esse fabulosa tradit antiquitas) aquam frigidissimam scaturire, verissimi

ſimi quotidianis in colloquiis iuramenti loco habebat. Nos autem Chriſto docente, neque per terram, neque per cœlum iurandum eſſe didicimus, illam enim pedum Dei ſcabellum, hoc verò ſedẽ eſſe idem teſtatus eſt. Iuſiurãdum autem noſtrum eſſe voluit, Eſt eſt, Non non. Nugonum denique deliria ſunt, & eorum qui in ſcipſos diuinam concitant iram, cùm totum Chriſtum corruptioni obnoxium eſſe aiunt, qui ab Adamo ſit ortus, nec eum, quatenus Deus eſt, præceſſerit, cùm corpus ab eodem exui, denuóq; indui aſſerunt, nõ ſecùs atq; à nobis veſtimenta, & à ſerpẽtibus leberides decurſo temporis ſpatio ſolent. Vnigenitus enim Dei Filius, cùm ſit Patri coæternus vniúſq; & eiuſdem cum illo naturæ, in vltimis temporibus, creata noſtra natura diuinę increatæ & puræ per hypoſtaſin vnita, corp⁹ quod aſſumpſerat diuinitatis dignitatum, ipſa cõiunctione, particeps effecit, nec illã vllo vnquam tempore depoſuit, vt quę eadem eſſet cum eo quod vnxerat. imò verò, vt ita dicã, ὁμόθεος, hoc eſt Deo ſemper & indiſſolubili vinculo cõiuncta, quemadmodum magnus ille Theologicis in rebus Gregorius autor eſt. Ex quo fit, vt hypoſtaſin illam, quę ex diuinitate & humanitate conflata eſt, nunc quidem Chriſtum, item Deum & hominẽ, item Deum incarnatum: nunc verò Deum duntaxat, & filium hominis, itémque homi-

Matth. 5.

Nazian.

nem tantùm nominemus. Nec tamen cùm Deum duntaxat dicimus, ab homine illum ſeparamus, nec cùm hominem tantùm nominamus, illum à diuinitate ſeiũgimus (Idē enim totus Deus,&totus homo eſt.) nec diuinitatem quidem cùm dicimus, illi quę humanitati propria ſunt, nomina tribuimus. (nec enim diuinitatem paſſioni obnoxiam aut creatam dicimus) neque contrà quoties à nobis humanitatis mentio fit, eam diuinitatis proprietatibus decoramus. (nec enim humanitatem increatam dicimus) at ſi vnius hypoſtaſeos mentio fiat, non ita, ſed ingenuè & Deum duntaxat, & hominem duntaxat, & vtrunque cõiunctim Chriſtum confitemur. Atque, quemadmodum Deus

Chriſtus.

Verbum, antequàm in cruce pateretur, carnem quam ſibi cõiunctione & commixtione ineffabili coniunxerat, differentiæ expertem reddiderat: ita immortalitatis quoque participem reſurrectione ſua reddidit. neq; ab illa quoquo modo ſeiunctus eſt. neque vnquam ſeiungetur propter ſummam illam coniunctionem, duplicíſque naturæ cõcurſum, qui confundi nullo modo poſſit. Ita in cruce pependit, & carne paſſus eſt: ita è monumento prodiit: ita ianuis clauſis à diſcipulis viſus, eorundémque digitis cõtrectatus eſt. ita in cœlos aſcendit, & conſeſſus paterni honore exceptus eſt, ita denique rurſum venturus, & viuos cum incredulis iudi-

caturus est. Ceterùm, cùm Dominus ipse dicat, Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego illum coram Angelis Patris mei, qui in cœlis est. Item, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: quî fieri potest, vt Sampsæi peccare negētur, cùm persecutionis tempore idolorum cultum permittunt? Mutuum enim cordis & linguę consensum esse oportet. atque illud quidem interius pietatem parturire, hanc verò eandem coram iis profiteri, qui diuersam à nobis fidem amplectuntur. Quod autem pio viro ita faciendum sit, verba illa quæ per Prophetam Deus pronuntiat, attestantur. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum lōgè est à me. Et Paulus, corde quidem credi, ore autem confessionem fieri autor est. *Matth. 10.* " " " *Matth. 24.* " *Esa. 29.* *Matth. 15.* *Rom. 10.*

Insuper cùm Spiritum sanctum Christi fratrem nominant, hauddubiè nugantur, satanicúmque mendacium proferunt. Fratres enim simili prorsum modo à parentibus in rerum naturam procedunt. At in Christo & spiritu generationem & processum à Patre didicimus & prædicamus. Atque Spiritus quidem substantia nullo modo mensurabilis est, vt quæ dimensiones omnes exuperet, tanquàm materia quædam, quę materia formáque careat. Christus autem, quia carnem *Spiritus quid.*

assumpsit, mortalémque formam subiit, iccircò loco circunscriptus, nécnon visui tactuíque expositus est, ad iustum denique ætatis terminum peruenit: ita tamen vt non omnibus punctis extenderetur.

Quomodo enim in cruce mortuus aut in monumento, quod sibi ipsi Iosephus lapide construxerat, sepultus fuisset, si ad iugeris & stadij mensurã accreuisset, atque ad immensam ferè longitudinem, & longitudinem latitudini respondentem protensus fuisset?

Quia verò ipsas quoque mulieres gentili more Deorum numero adscribebāt, puluerémque pedum earum & saliuam, tanquam salutarem expetebāt, digni sunt, qui respuãtur, atque huius erroris & imposturę nomine omnium maximè ridiculi censeãtur, tanquam cerebrum in calcaneis gestãtes, & circa illa occupati, quęcunque serpens ille deceptor, & qui virulenta voce Euam appetiit, tandémque condemnatus est, vt supra pectus & ventrem reperet, terræque puluere vesceretur, antiqua hypocrisi sua inter hos quoque introduxit: quam quidem hypocrisin honore etiam dignam apud se reputant, vt quæ nulla prorsus in offensa sit, contrà certè quàm Christi verba demonstrent, quibus ita exclamat. Væ vobis Pharisæi hypocritæ: quibus verbis ingratam esse Deo hypocrisin indicat.

Genes. 3.

Matth. 23.

** Vicesima sexta hæresis, Theodotianorum. Hi baptizantur.*

BYzātinus quidam nomine Theodotus, arte quidem coriarius, at Græcorum disciplinas ad vnguem callēs, his nomē imposuit. qui cuiusdā persecutionis tempore carceribus detentus Christum abnegauit. Qua de causa cùm multorum cōuiciis & opprobriis lacesseretur, inde aufugiēs Romā profectus est, vbi cùm etiam innotuisset, nec minoribus opprobriis appeteretur, Christum nudum & simplicem hominē esse profiteri cœpit, vtique vt excusare factum suum posset, qui hominē, non Deum, abnegasset: hácque adeò apologia vtebatur. Nam vel ipse Christus dicebat, Nunc autem me quæritis interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis. Item, Si quis verbum contra Filium hominis dixerit, remittetur ei. Insuper Apostoli quoque dicebant, Virum qui inter vos signis & prodigiis inclaruit.

Ioan. 8. *Luc. 12.* *Act. 2.*

Hæreseos præcedentis Confutatio.

SI Christus homo nudus simpléxque sit, adoratores hominis hauddubiè sumus, quòd si hominē adoremus, peiùs quàm anteà deliramus. Si saltem olim quidem præ ignorantia cultum diuinum elemētis exhibebamus, quæ hactenus eodē se modo habuerunt, nunc verò data opera, & nobis cōscij in homine, qui seruare nō possit, spes nostras reponimus. Atq; Christianismus in po-

sterum manifesto cunctorum ludibrio exponetur, vnà cũ narrationibus illis multis, miris, & omnino diuinis, quę de ipso circũferuntur.

Nec tamen interim nudus homo & simplex Christus est, sed Dei Filius, & Sermo per se subsistẽs, qui massam nostrã assumpsit, & cum hominibus in corpore conuersatus est. Cęterùm Christus, qui tanquã ex duplici na-
Ioan.8. tura, nõ autẽ hypostasi cõpositus, hæc in E-
„ uangeliis ait, Nunc autẽ quęritis me interfi-
Luc.22. cere, hominem qui veritatẽ locutus sum vo-
„ bis. Item, Filius quidem hominis secundum
„ quod definitũ est, vadit, veruntamen væ ho-
„ mini illi per quem tradetur. Christus, inquã,
Ioan.17. ita in Euangeliis dicere deprehenditur, Pa-
„ ter clarifica Filium tuũ, vt & Filius tuus cla-
„ rificet te. Item, Clarifica me claritate, quam
Ioan.14. habui priùs quàm mũdus esset apud te. Itẽ, Qui vidit me, vidit & Patrem. Item, Ego in Patre, & Pater in me. Illa ad humanitatem, hæc ad diuinitatem referenda sunt. Quandoquidem duplex erat, ratione quoque duplicis naturæ homo solùm dicitur, & Filius Dei. Item, Verbum Dei, & Dominus glorię.

Luc.12. Cęterùm hæc verba, Qui dixerit verbũ cõtra Filium hominis, remittetur ei. blasphemanti autẽ in Spiritum sanctum nõ remittetur, neq; in hoc seculo, neq; in futuro, sic accipienda sunt. Pharisęi & Scribę cùm stupenda Christi miracula corã intuerentur, cũ

illa Dei operibus accensere, in eúmq; credere debuissent, à quo fiebant, inuidia potiùs moti eũ in Beelzebule principe Dæmoniorum malos spiritus eiicere dicebãt. Ipse verò illorum demẽtiã his dictis parabolicis priùs *Marc. 3.*
arguens, Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi priùs forté alliget, quibus ne seipsum quidẽ Dæmones increpaturum, & corporibus humanis eiecturum fuisse significat, nisi fortem priùs vinxisset, nimirùm Dęmoniorum principem Beelzebulẽ: in quẽ dæmonia eiscere à sycophantis dicebatur, posteà subiũgit. Ei qui in Spiritũ *Matth. 12.*
« sanctum blasphemauerit, nõ remissum iri, ei
« verò qui in Filiũ blasphemauerit, remissum
« iri. Nam cùm esset ratione carnis assumptæ
« cõpositus, carnísq; tanquã veli, vt ita dicam, inter medio nobiscum versaretur, eò fiebat, *Ioan. 11.*
vt nunc quidẽ lacrymaret, Lazarum à mortuis exciturus, nunc verò super mare ambularet, mulierem profluuio sanguinis laborantem sanaret: deniq; vitalem arefactę manui motum restitueret. Proinde par est, vt qui vtraque cernunt, & quæ ad naturam diuinam adfecta erant, & quæ ab illo fiebant humanitùs, nunc quidem ad ea quæ meliora sunt, excitentur, Deúmque rerum huiusmodi effectorem cognoscant, nunc verò hominẽ fuisse existiment, qui naturã factis obsignauerit. Qui ergo ad Verbum humana forma exutum accesserit, legibúsque carnis *Matt. 14.* *Luc. 8.* *Matth. 12.*

acquieuerit, ei blaſphemia remittetur, eíque parcet Dominus, quia in eo lapſus ſit, quod aſpectabile eſt, & propter carnem in ea ſe vitia demerſerit, quibus caro obnoxia eſt. Si quis verò ad diuina miracula, & quę præter vulgi opinionem operatus eſt Dominus, clauſis oculis conniueat, eáque ſatanicis virtutibus adſcribat, ei abſurdum hoc ſcelus condonabitur, iudicémque ſeuerum & immiſericordem experietur, ipſum ſcilicet Spiritum, in quem præ ignauia vel improbitate peccauerit. Lòquitur autem de iis, qui blaſphemare Spiritum perſeuerauerint, atque in hac opinionis peruerſitate viuis exceſſerint. Quòd ſi quis Domini cognitioné ſit adeptus, eorum quæ in hoc mundo ignorauit, remiſſionem conſequetur. Idem quoque ſenſus eſt huius Actuum Apoſtolicorũ loci, Virum qui inter nos ſignis & miraculis inclaruit.

Act. 2.

** Viceſima ſeptima hæreſis, Noëti, & Nouati. Hi vnguntur. præſtiterit autem, vt Noëtiani quidem baptiζentur, Nouatiani verò inungãtur.*

PArtim conſentiunt hi duo inter ſe, partim diſſentiunt. Noëtus enim patria Epheſius vnum & eundem eſſe non ſine blaſphemia contendebat, qui Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus dicitur, Patrémque paſſum aſſerere audebat. Cuius blaſphemiæ ergò quoties obiurgabatur, nihil ſe mali cõmit-

tere respondebat, quia vnum Deum nouerat,qui natus, passus, & mortuus esset. Inquit enim, dicebat ille, Deus ad Mosem. Ego Deus primus,Ego & posteá. Item,Nõ habebis Deos alienos. Proinde si Christus in mundum veniens natus est,idem prorsus est Pater idem Filius, idem denique Deus vnus,qui semper est,& nunc venit. In hæreseos autem suæ confirmationem sacris è literis depromptam,hæc prophetica detorquere conabatur.Hic est Deus noster,& nõ æstimabitur alius, aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, posthæc in terris visus est, & cũ hominibus cõuersatus est. Itẽ,Non est Deus præter te. Cùm ergo ἀνόητος hic, hoc est mente captus, Noëtus huiuscemodi dogmata disseminaret, in extremam tandem absurditatem incidit. adeò vt seipsum Mosem,fratrémque suum Aaronem diceret.

Exod.3. *Exod.20.* *Baruch.3.*

Nouatus autem Ecclesiæ Romanæ Presbyter arrogantiæ spiritu elatus, in errorem impegit. Nec enim illos qui persecutione grassante lapsi fuerãt posteá pœnitentes admittebat:nihil iis salutis relictum esse dicẽs, qui post baptismum peccassent. Denique quanuis eum Cornelius, qui Ecclesiæ Romanæ tunc temporis præerat, sæpe cohortaretur,vt concito gradu ad Christianos Tyrannorum sæuitia perculsos & labascentes se cõferret, cósque tanquam sacerdos sacris

Nouatus. *Cornelius Papa Rom.*

concionibus confirmaret, nullo tamen modo id vt faceret, adduci potuit, sed sese subducens, delitescereque conatus, tandem hac impia crudelitate laborãs ab Ecclesiæ quoque corpore secessit. Cæterùm huius hæreseos sectatores non tantùm Nouatiani, sed
Cathari. etiam Cathari, hoc est puri, nuncupantur. Idem eos quoque auersabatur, qui post batismum ad secundas nuptias conuolabant, nec illos ad communionem admittebat.

** Hæreseos præcedentis Confutatio.*

AEtatis puerilis informatrices illæ Solomonis voces, quibus ait, Vidi iustum
Eccles.7. perditum in sua iustitia. Item, Sunt viæ,
Prou.14. quæ videntur homini rectæ, extrema tamen
» earum tendunt ad mortem, mirum in modũ
» Nouati sæuitiæ & opinioni, qua veniam nullam admittit, consentaneæ sunt. Nam dum puritatis se quàm par est amantiorem præstat, eámque accuratiùs æquo sectatur, minùs aduertit, quantum in crudelitatis barathrum se præcipitet: exitiúmque sibi vltrò
Nemo omni ex parte beatus. accersat: nec secum reputat, neminem esse, qui quod bonum est ita sectetur, vt inde excidere nunquam possit. atque id ne simplici
Quandoque bonus dormitat Homer. quidem Angelicæ naturæ, quæ Deo assistit, perpetuò datum. Ad hæc si ab eo quod bonum est non deflexissemus, opus haudquaquã fuisse, vt Deus Verbum ad nos as-

ſumpta carne deſcenderet, At verò, quia vitam mutationi obnoxiam ſortitus homo eſt, & non ſecus atque trutinæ lances in vtrumque latus vergit & mouetur, iccircò neque Angelus, neque homo (cùm Spiritus ſint miniſterio addicti) ſed Dominus ipſe venit, vt ſaluos nos faceret. Quid ergo Nouatum mouebat, vt eos non admitteret, qui poſt baptiſmum peccaſſent? aut perſecutionis tẽpore lapſos auerſaretur? prorſus ignoro: niſi quis huiuſmodi contentionẽ, hominis perſuaſionem rationis expertem dicere malit, quæque ad puritatem nullo modo quẽquam deducere queat. Ex quibus enim, quæſo, dictis Euangelicis ore Dei prolatis, vel etiam Apoſtolicis conſtitutionibus Nouatus hic tantam ſeueritatem hauſit? Nónne Dominus fletum Petri, ab eo abnegatus, admiſit? Nonne eundem Apoſtolorum Coryphæum fratri ſeptuagies peccata eſſe remittenda docuit? Nónne Paulus Corinthiũ illum, qui nouercam conſtuprauerat, venia poſt lacrymas dignum eſſe cẽſuit? eundémque reliquo Eccleſiæ cœtui reſtituit?

Trutina. Phocyl. ζίος τροχός, ἄστατος ὄλβος.

Matt. 26. Matt. 18. 1. Cor. 5.

Quanta verò ſocordia, falſáque puritatis opinione laborare Nouatus hic, vel ex eo arguitur, quod iis, qui ad ſecũdas conuolãt nuptias, communicare nolit? quanuis Paulus apertè dicat, Volo etiam, vt iuuenes viduæ nubant? Idem quid de Noëto ſentiendum eſt, qui iniuſtitiam in altum locu-

Nuptiæ ſecundæ. 1. Cor. 7.

tus eſt, & poſuit os in cœlum? cùm præſertim Patré, Filium, & Spiritum, blaſphemus ille vnum eundémq; vocet? Quamuis enim diſpenſationis myſterium admittat, incarnationem Dei prædicet, Euangelium euoluat, quæque in eo continentur omnia percurrat, corde tamen & labiis ea ſe fugere, atque in cõtrariam ſententiam pedibus ire
Matt.28. manifeſtè prodit. Euntes enim, inquit Chri-
» ſtus, docere omnes gentes, baptizantes eos
» in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.
Viden' quemadmodum tres vnius diuinita-
Ioan.17. tis hypoſtaſes explicãtur? Item ex eo quod
» alio idem in loco ait, Pater, clarifica Filium
Ibidem. tuum, vt Filius etiam tuus clarificet te. Itẽ
» Nunc autem ad te venio. Item, Clarifica
» me claritate, quam habui priuſquàm mun-
» dus eſſet, apud te. Atque Dominus quidem ipſe poſteaquàm aſſumptus eſt in cœlum, ſedítque ad dexteram Patris, apertè indicauit aliam Patris eſſe, aliam Filij, hypoſtaſin. Imò ipſa quoque Patris & Filij ſignificatio perſonarum dualitas eſt, quæ ſchetica ſignificatione, ſeu habituali & relatiua effertur.
Ioan.15. Eo prætereà quòd Filius de Spiritu dixit,
» Petam à Patre, & alium Paracletum mittet
» vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre proce-
Ioan.16. dit. Item, Ille me clarificabit, tertiam quoq;
» Sancti Spiritus hypoſtaſin indicat. Malè igitur, nec tanquam bona mente præditus ille, qui vulgò tamen Νόητος, quaſi mente

prædictus, dicitur, Patrem, Filium, & Spiritũ Sanctum, naturam quidem vnam, diuinitatem verò tribus distinctam personis in vnã personam contrahere & coarctare, próque personarum differentia substantiam vsurpare deprehenditur. Insuper eo quod carnem à Patre assumptam, quemadmodum à Filio, eáque omnia, quæ dispensationis erãt, completa esse affirmat, Euangelicis traditionibus perspicuè repugnat. Ioannes enim Euangelista & Theologus. In principio *Ioann.1.*
erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, «
fulminanti voce exclamat. Et paulò pòst, «
Et Verbum caro factum est, & habitauit in «
nobis. Incorporeus quoque Angelus Vir- «
ginem ita in ciuitate Nazareth allocutus *Luc.1.*
est, Spiritus Sanctus superueniet in te, & vir «
tus altissimi obumbrabit tibi. Ideò quòd ex «
te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei. «
His Dauidicum quoque vaticinium astipulatur. *Psal 44.*
Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, «
oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Quemad- «
modum illa quoque Theanthropi, seu Dei «
& hominis, verba, cùm ipsum bibent nouũ «
in regno Patris mei. Item, Ascendo ad Pa- *Matt.26.*
trem meum & Patrem vestrum, Deum meũ *Ioan.20.*
& Deum vestrum. Item, Noli me tangere, *Ibidem.*
nondum enim ascendi ad Patrem meum. «
Quibus quidem omnibus pietatis alumni sic sentiendum esse discunt, vt tres personas in beata & immortali diuinitate intelligant,

quæ in Patre,& Filio,& ſanctiſſimo Spiritu cernitur,& colitur.

** Viceſimaoctaua hæreſis,Sabellij. Hi baptizantur, vel, vt quibuſdam placet, inunguntur.*

SAbellius Libyca Pētapoli oriundus vnā in Patre,Filio,& Spiritu Sancto perſonā prædicabat, eundem eſſe Patrem aſſerens, qui & Filius,& Spiritus Sanctus eſſet :ita vt invna perſona tres ſignificationes,quemadmodum in eodem quoque homine corpus, anima, & ſpiritus deprehenderentur. Atque in Veteri quidem Teſtamēto tanquam Patrem leges tuliſſe, in Nouo tāquam Filiū carnem aſſumpſiſſe, Apoſtolis autem tanquam Spiritum ſuperueniſſe:ita vt corporis quidem Pater,vt ita dicam, animæ vero Filius, ſpiritus denique vicem Sanctus ille ſuppleret Spiritus ; vel tanquam in Sole, cuius vna perſona eſt,tres actioneseluceſcerēt,nimirum illuminatiua, calefactiua, ipſáque figura,qua in orbem circunducitur. Atque calefactiua quidem actio,Spiritus: illuminatiua, Filius:totius denique perſonæ figura,Pater eſſet. Filium addebat,tanquam radium, aliquando miſſum eſſe, imò potiùs Patrem in ſpecie Filij deſcēdiſſe, qui ea executus,quæ ad Euangelicam diſpēſationem pertinebant:tanquam Filius rurſus in cœlū receptus eſſet:non ſecus atque radius à Sole

Homo. *Pater.* *Filius.* *Spiritus.* *Sol.*

missus ad ipsum denuò se recipit. Sanctum denique Spiritum in hunc mundum, tanquam energiam, seu vim effectiuam Patris missum esse, ad eos & publicè & priuatim, qui ab illo viuificari, foueri, & calefieri, votis ardentibus expeterent.

** Hæreseos præcedentis confutatio.*

QVæ contra Noëtum dicta sunt, cui Sabellius (vt ex hæreseos similitudine perspicuum est) suam proditurus imperitiã adhæsit, ad Sabellium quoque confutandũ sufficiunt. Ad ampliorem porrò Sabellianorum hæreseos confutationem hæc quoque superadiici possunt. Si vnus idémque sit Pater & Filius, quænam, quæso, nominũ distinctionis ratio fuerit? Nam quî fieri potest, vt qui alium non genuit, Pater: & qui nullo prorsus modo genitus est, Filius appelletur? Quia verò illum quidem genuisse, hunc autem genitum esse sacræ attestantur literæ, eo fit, vt per se subsistant, peculiarí quodam nomine Pater & Filius vocetur, quia nimirùm id quòd generat, aliud esse videtur, ab eo quod generatur. Quinetiam beatus quoque Paulus ad Hebræos scribẽs ita de Filio inquit. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est se esse æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens.

S. Cyrilli in Euangelium Ioãnis. Euth. tit. 10.

Imò ad Philipp.

Philip 2.

Proinde necesse est, vt is alius fuisse dica-

tur, qui in forma Dei esset, alius contrà; is cuius forma ea erat: nec vnum quippiam idémq; numero Pater & Filius, sed propria peculiaríque persona præditi esse dicantur, qui inter se vicissim eadem in substantia cõsiderandi sint.

Ioan. 16 Alio loco Filius ex substantia paterna se
„ prodiisse ostendens, Ego, inquit, à patre exi-
„ ui. Quî ergo fieri poterit, quo minùs alius sit à Patre Filius, si personæ numeríque ratio habeatur? Nam quicquid ab aliquo processit, ab eo re vera diuersum est, à quo processit.

** Vicesima nona hæresis. Marcelli. Baptizantur.*

GAlata Marcellus eodem modo, quo Sabellius, Trinitatem negauit: sed quandam paternę diuinitatis ἔκτασιν, hoc est extensionem, in Filium subiisse dicebat. quam Deum Verbum nominabat: quæ quidé post vniuersæ dispensationis consummationem reiecta retractáque ad Deum denuò rediisset, à quo antè extensa fuerat. Sanctissimum autem Spiritum παρέκτασιν τῆς ἐκτάσεως, hoc est extensionis extensionem, quæ Apostolis obtigisset. Vt vno verbo absoluam, ille Trinitatem extendi & contrahi, pro dispensationis diuersitate fabulabatur.

ἔκτασις.

παρέκτασις ἐκτάσεως.

** Hæreseos*

** Hæreſeos præcedentis Confutatio.*

DOgmata hic quoque nullo modo admittēda probādá ve proponebat. Quî enim fieri poteſt, vt ἐνυπόςατον, hoc eſt per ſe ſubſiſtens Dei Verbū vnà cum aſſumpta carne aſſumptum, aſſidénſque Deo & Patri, ἔκτασις, ſeu extenſio, paternæ diuinitatis, rurſúmque ad Deum Patrem contrahi dicatur? Prorſus enim contractio illa facta eſt, aut Verbo cum carne coniuncta (& conſequetur deinceps, vt Deus Pater carnem aſſumpſiſſe dicatur, propter illam diuinitatis ἔκτασιν, ſeu extenſionem, quam Marcellus introduxit, vnà cum concorpore Verbi Dei denuò in eandem contractione, quæ neceſſario conſequeretur. Vna enim Verbi Dei etiā poſt aſſumptā carnem perſona erat:) aut abſque corpore ad Deum Patrem illa diuinitatis extenſio, quæ in Chriſto erat, ad priſtinam contractionem rediit: nec ampliùs erit Chriſtus, ſed nudus & ſimplex homo duntaxat, vt qui duarum naturarum præſtātiorem exuerit. Patri denique Ieſus quidē diuinitatis expers aſſidebit: aut ſaltem implumium pullorum inſtar deturbabitur, diuinitate nimirùm priuatus, qua grauitatem ſubleuet: nóſque adeò egregiè deſipiemus, qui hominem, non autem Deum incarnatum, adorabimus: quod quidem cūctas hæreſes impietate facilè excedit. Neſtorius

Dd

enim, tametſi naturalem diuinitatis & humanitatis coniunctionem negaret, vnúmque Christum duas in perſonas diuideret, ſcheticam tamen, hoc eſt habitualem ſeu relatiuam, copulam, & indiuulſum Verbi &
Pſal.18. Ieſu concurſum fatebatur. Alij autem Da-
„ uidicam vocem malè intelligentes, qua in-
„ quit, In ſole poſuit tabernaculum ſuum, carnis depoſitionem inuexerunt, Filiúmq; Verbum ad Deum Patrem cum ſola diuinitate aſcendiſſe docuerunt. Qui autem à Marcello ſtabât, in contrariam ſententiã, eámq; deteriorem diuertentes, Filij perſonam in Deum Patrem reſoluebant. Verumenimuerò cùm blaſphemi illi Spiritũ ἐκτάσεως παρέκτασιν, hoc eſt extenſionis productionem eſſe aiunt, vnam in Sancta Trinitate perſonam manifeſtè autumant: hócque pacto diuinis ſcripturis & Euangelicis dictis aduerſantur. Nam quî fieri poſſit, vt is Filius & Verbum Dei vocetur, qui nullo modo apud apud illos ἐνυπόστατος eſt, ſeu per ſe ſubſiſtit? vel alius Spiritus Paracletus? Hu-
Matth.28. iuſmodi certè aſſertiones dogmatibus Chri-
„ ſti refragantur, qui ait, Euntes docete om-
„ nes gentes, baptizantes eos in nomine Pa-
„ tris, & Filij, & Spiritus Sancti. Triplici enim nominum inuocatione, & his verbis, Alius Paracletus, tres deſignantur hypoſtaſes. Hanc porrò hæreſin nihil aliud quàm ſenſus humani ſenſum eſſe, vel ex eo conſtat,

quod hæc quoque desolata, extincta, & sub obliuionis tenebras demersa sit. Is enim, qui ꝓfundū increpat, eíque dicit, Desolare: & hāc & cæteras hæreses obliterauit, quippe quæ plantatio essent, quam Pater cœlestis nullo vnquam tempore plantauerit. *Esai.44.* "

** Tricesima hæresis, Valentiorum.*

VAlens quidā Arabs natione fuisse fertur, ex quo euenit, vt eius hæresis in Bacathis pullularet. Sunt autem Bacatha Metrocomia, hoc est primarium oppidum, eius Philadelphiæ, quæ in Arabia trans Iordanem sita est. Eadem itaque Valentij quoque de Principiis & Potestatibus cum Archonticis, Sethianis, & cæteris huius farinæ sentiunt. Sunt autem omnes exsecti: præcipuam enim in eo collocant operā, vt quàm plurimos eunuchos habeant. Hominem autē quencunque suis ritibus & cerimoniis initiandum susceperint, nullis animatis vesci permittunt, quandiu pudenda habuerit. *Bacatha Metrocomia.*

Quibus ablatis persuaso iam, vel etiam coacto discipulo, liberè tum, & ex animi sententia quicquid arriserit edere permittunt: quia iam, vt ipsi aiunt, à certamine liber & expeditus est. Nec ampliùs eum in pathicam libidinem ciborum deliciis despumaturum suspicantur. Nec hos duntaxat his adficiūt modis, sed & si quis tran-

ſeuntium ad eos diuertat, illum intro reuinctis à tergo manibus abripiunt, túmque vi pudendas partes execant.

** Hæreſeos præcedentis Confutatio.*

EXecrandis hæreſibus accenſenda videtur & illa, quæ Valentiorum eſt, quippe quæ non ſolùm principiis & poteſtatibus à Deo creatis totius huius vniuerſitatis adminiſtrationem concredat: ſed diuinis etiam dogmatis refragetur. Illa enim ad legitimas nuptias exhortantia ſic ſanciunt. *Geneſ. 1.* Creſcite & multiplicamini, & replete terram.

Valentij verò modis omnibus execrandi pudendorum exectiouem, hoc eſt commune omnium exitium, magnoperè extollunt. Proinde ſi eorum deliramentis omnes fortè fortuna ſubſcriberent, hominibus haud dubiè terra orbaretur, ferarúmque duntaxat habitationi pareret. Cęterùm quàm exectio illa, qua ex hominibus eunuchi fiunt, *Matth. 19.* laude ſit indigna, Dominus in Euangeliis atteſtatus eſt, illam ſolam probans, quę propter regnum cœlorum fieret: quæ quidem frænandis affectibus potiùs quam pudendis reſecandis effici ſolet.

Alioqui verò cùm variæ ſint affectuum ſpecies, corporeis iccirco combinationibus haudquaquam circunſcribuntur (quorum

inuitam abstinentiam insolentiùs sibi vendicant Valentij) sed auaritia quoque, inuidia, ambitione, luxu, & cæteris huiusmodi cōstant, quibus ad nequitiā fenestra panditur. Vt taceam miserorum exectorum plerosque longa die in ganeis deprehensos, vbi mulieribus præter naturam viros se præstarent: imò verò, vt ita dicam, muliebria paterentur. aliísque tam pathicè obscœnitatibus addicti essent, vt viri iam præ semiuiris nulli propè viderentur.

Eunuchorum obscœna libido.

** Tricesimaprima hæresis, Origenis. Hi vnguntur.*

ORigenes, qui & Adamantius cognomento dictus est, & Commētator, ob commentariorum quos edidit multitudinem, Ægyptius genere, sanctissimíque Martyris Leonidæ filius fuit. Alexandriæ commoratus est, vbi cùm & eductus & edoctus fuisset, Athenas quoque commigrauit, ibíque assiduum se in gymnasiis auditorem præstitit. Tandem cùm Græcorum disciplinas perdidicisset, Ecclesiasticis quoque dogmatis animum excoluit.

Cæterùm Decianę persecutionis tempore multa hic propter fidei cōfessionem passus est: cùm conuiciis lacessitus mediam per vrbem trahitur, tormentis obiicitur, ludibrióque habetur. Aliquando enim, vt me-

moriæ proditum est, cum capite deronsum Græci in Serapæi templi vestibulo constituerunt, id muneris imponentes, vt palmarũ ramulos iis porrigeret, qui Serapin adoraturi eò ascenderent: quodquiquem munus sacerdotes idolorum obire solebant. Ille verò correptis ramis, elatiore voce nihil aut veritus aut addubitans, vociferabatur. Venite & accipite, non idoli, sed Christi, ramum. Quibus verbis mox iniquitatis operarij commoti optionem proponũt, vtrùm dæmonibus sacra facere, an verò corpus libidini Æthiopis Cinædi prostituere malit. Ille cùm tam sceleratum stuprum pati non posset, miserabili querulâque voce sacrificare se malle respondit: quod cùm paulò pòst immutata sententia facere detrectasset, illi prioribus promissis instantes, imposito manibus eius ture, sacris id imponi focis imperant.

Origenes idololatra.

Quod cùm fecisset, ab omnibus Christiani dogmatis Confessoribus & Martyribus explosus, & Ecclesia eiectus est. Tandem cùm tantum dedecus ferre non posset, Alexandria se in Palæstinam contulit, vbi rogatus ab Hierosolymitano clero, vt concionem aliquam haberet (siquidem ad Presbyteratus ordinem antequàm sacrificaret allectus fuerat) surrexit, & è tricesimo nono Psalmo hunc versum recitauit.

Psal.39. Peccatori autem dixit Deus, Vt quid tu

exponis iuſtitias meas,& aſſumis teſtamen- "
tum meum in ore tuo? Confeſtímque li- "
brum clauſit, & reddidit: atque in gemitus & lacrymas prorumpens,omnibus ei collacrymantibus,ſuam ſe in ſedem recepit. Poſteà cùm in familiaritatem veniſſet Habroſij cuiuſdam Marcioniſtæ, vel Sabelliani, vt quibuſdam placet, illi tandem perſuaſit, vt hæreſi relicta, Eccleſiæ Catholicæ adhæreſceret. Ille porrò ſtudioſus ſacrarum literarum lector,Origenem rogauit,vt illas interpretaretur. Hic votis illius facturus ſatis apud Tyrum Phœniciæ, vt aiunt, per octo & viginti annos ſcripturis interpretandis operam nauauit. Habroſio itaque cibaria, notarios, & amanuenſes, nécnon chartas cum reliquis ſumptibus ſuggerente, Origenes continentia, vigilia, & labore aſſiduis tandem confecit opus, & ad vmbilicū perduxit. præcipuam autem operam dedit iis, quæ Hexapla dicuntur. Cùm enim dictiones Hebraicas literis Græcis vna pagina expreſſiſſet, vnius enim loco duas, vt quæ idē continerent,habebat, mox tertiam, vel potiùs ſecundam paginam, nimirum duorum & ſeptuaginta interpretum,ſubiūxit. Duos & ſeptuaginta interpretes Aquilas, Aquilam Symmachus, Symmachum Theodotion, atque ita demum quinta ſequebatur verſio. Hoc modo Vetus omne Teſta-

Habroſius Marcioniſta pro quo vulgus Ambroſius habet.

Hexapla.

Varij Bibliorum interpretes.

mentum suis Hexaplis complexus est.

At verò tot taléſque labores in explicandis Bibliis exantlatos illud perniciosorum dogmatum corollarium obscurauit.

Vana Origenis gloria. Atque illum fortasse Deus dereliquerat, quòd eum vanæ gloriæ, auræque populari aucupandæ plus æquo addictum videret: præ cuius studio pristinæ suæ, quamuis priuatę vitę insidiatus erat. Nam cũ nollet corporeis sensibus titillari, genitalia sibi membra resecuerat: atque propriis, vt quidam volunt, manibus: vt alij, opera Eliæ cuiusdam medici percelebris vsus.

Cremaster, neruus. Non desunt, qui neruum cremasterem, hoc est eum, ex quo testiculi dependent, duntaxat execuisse tradant.

Quidam apposito pharmaco partes illas exiccasse arbitrantur.

Alij medicam herbam reperisse malunt, cuius viribus spermatica vasa marcescerent. Sed de his hactenus. Tunc porrò suæ virus hæreseos cùm in plerosque alios, tum in Monachos, Anachoretas, & Eremitas Ægyptios spargere cœpit: imò verò primam fenestrã Arrio aperuit, cæterísque sceleratis, qui sunt Arrium subsecuti.

Ario fenestram Origenes aperuit.

1 Ausus enim est asserere, quòd Vnigenitus Patrem videre non possit: neque item Filium Spiritus: neq; Spiritum Angeli, neq; homo Angelos videre queat.

Origenis hæreses.

2 Item, Filium dicebat non esse ex Patris substantia, sed modis omnibus alienum ab eo, quia nimirùm creatus sit, Filiúsq; per gratiam vocetur.

3 Adhæc animas hominibus antiquiores affirmabat, quę scilicet Angeli aliquādo potestatésque fuerint: tandem verò cùm peccassent, in hoc corpus, tanquam in ergastulum demissas. vt hîc primam condemnationem experirentur. Ex quo euenit, vt Græci corpus δέμας dixerint, παρὰ τὸ δεδέσθαι τὴν ψυχὴν ἐν αὐτῷ, hoc est, quòd eo tanquam vinculo anima coërceatur. Animam iidem ψυχὴν appellarunt, διὰ τὸ ἄνωθεν ἐψυχῶσθαι, hoc est, quia cœlitus inspirata sit. quod quidem sibi sacræ testimonio paginæ confirmare videtur. Hoc enim, Antè quàm humiliarer, ego peccaui, de ipsa, inquit ille, anima dictum est, quippe quæ in cœlo peccarit, antè quàm in corpore humiliaretur. Item, illud, Conuertere anima mea in requiem tuam. quippe quæ rebus in hac vita bene gestis ad pristinam requiem quasi postliminio redeat. tum quia Adamus antè quàm peccaret, effigiem illam diuinam sartam tectam, hoc est omnibus integumentis nudam, soláque humana forma præditam, conseruabat. At verò posteáquam Domini pręcepta transgressus est, eandem illam formam perdidit. cum primùm scilicet corpus hoc anima subiit, quodquidem pellicearum

Platonicum dogma de inferis vide apud Macr. li. 1. ī Somn. Scip.

Psal. 118.

Psal. 114.

Pellicea tunicæ. tunicarũ nomine sacris in scripturis significatur. tum quia corpus hoc, quo inuoluimur, resurrectionis illius die non resurget; *Resurrectio in forma humana, non corpore.* sed humana tantùm forma, qua Paulus fortè vel Petrus dignoscitur. atque adeò extrinseca illa figura resurget, quæ sub forma quoque comprehenditur. Porrò subiectum ipsum, siue corpus, haudquaquam idem manebit. *1. Cor. 15.* Seminatur enim corpus animale, inquit Apostolus, corpúsque spirituale resurgit. Quapropter necesse est, vt resurrectioné in sola forma futurã speremus, in subiecto verò, non item.

Hæc sunt, quæ Origenes de animarum præexistentia, & resurrectione disseruit.

Idem ἀλληγορικῶς omnia explicare conatus est, Paradisum, inquã, & aquas, tam quæ infra, quàm quæ supra firmamentum esse feruntur.

Vt vno verbo absoluam, totam scripturã peruertit, futurique adeò seculi supplicium tempore certo præfinit, locum illum Pauli Apostoli malè intelligens, quo ita scribitur, *1. Cor. 3.* Vniuscuiusque opus quale est ignis probabit. ipse autem quasi per ignem seruabitur.

Alia insuper nonnulla nugatur, & deblaterat, quæ ne scribere quidem honestũ mihi videtur.

Origenes in quo probandus, in quo nõ. Hoc autem in summa dicendum est, Origenem in physicis theorematis, eorúmque allegoriis, nécnon in tota morali disciplina

doctorem omnibus acceptissimum, accommodatissimúmque fuisse, atque adeò eum, qui virtutum actionibus se maximè omniũ exerceret. Huius enim exercitij studio vitam vsque adeò excolebat, vt pectus eius, quemadmodum aiunt, præ nimia rei cuiuscunq; animatæ continentia & abstinentia exciderit. At in vera fide, iísque disciplinis, quæ maiorem contemplationem, atque in primis Theologicã, requirunt, omnium quotquot illum præcesserunt, & secuti sunt, absurdissimum se præstitit.

** Hæreseos præcedentis confutatio.*

SApientissimus Origenes Solomonis exhortationem paruipendens, qua ita loquitur, In multiloquio nõ deerit peccatum, non aduertit se, dum vniuersam legis & gratiæ scripturam peruestigat, in absurdas cogitationes, & opiniones inauditas præcipitẽ incidisse, imò verò alicubi diuinis dogmatis impia & profana permiscuisse, quemadmodum ex iis quæ suprà memorauimus cuiuis volenti discere licet. *Prou.10.*

Nam quî fieri possit, vt creatus Dei Filius dicatur, atque participatione Filius, quemadmodum Prophetæ, reliquúsq; sanctorum catalogus? quî mutabili etiam natura præditus, & à Dei natura alienus? quî denique Deum minimè videre dicetur is, de quo Ioannes Euangelista clara voce exclamauit. In

Ioan.1. principio erat Verbum, & Verbũ erat apud
Ibidem. Deum,& Deus erat Verbum. Item,Vnige-
„ nitus Filius,qui eſt in ſinu Patris, ille enar-
Ioan.14. rauit.Ipſe quoque Chriſtus ait, Ego in Pa-
Ibidem. tre,& Pater in me. Item, Qui vidit me,vi-
„ dit & Patrem.

Iam verò ſi cum Patre in principio erat, nullo modo creatura eſt. Creaturæ enim ex nihilo factæ, temporíque ſubiectæ ſunt.

Immutabili natura Chriſt' preditus. Cuius autem eſſentia caret, is principio creatus non eſt, ſed ne natura quidem mutabili præditus eſt.ſi quidem in principio erat, eiuſdémque cum Patre ſubſtantiæ,diuerſæ verò nequaquam. Quomodo enim Vnigenitus,quomodo etiam paternis è ſinibus inſeparabilis? Eum enim Pater apud ſe manere nunquam permiſiſſet, qui diuerſæ à ſe ſubſtantię fuiſſet.hic autem eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſt,natura immutabili prędirus,quemadmodum & ille.

Quî fieri prætereà poteſt, vt inuiſibilis ſit
Matth.11. Pater Filio,cuius hæc verba leguntur?
„ Nemo nouit Patrem, niſi Filius, & is, cui voluerit Filius reuelare,qui Patri coæternus eſt, nec vlli principio ſubiacet, quæ res in cauſa eſt,quòd ignoretur, nec aſpectabilis ſit. Iam,quî fieri poteſt,vt ſe minimè norit ipſum,qui aliis cognitionis autor eſt?

Quánam verò ratione à Spiritu quoque Sancto Filium minimè videri quis conten-
Spiritus quid. dat,cùm ſubſtantia ſit, quæ ſolo intellectu

percipitur, eáque infinita, ſi vires expendamus? ſubſtantia, inquam, temporibus & ſeculis immenſa, quæ abundè bona ſibi inſita largitur. is denique, quem omnia ſibi expetunt, quæ vitam ex præſcripto virtutis inſtituunt? ad quem etiam cuncta confugiunt, quæ ſanctificatione indigent, is ex quo cæterorum omnium perfectio depẽdet? is qui nulla in re deficit: qui vitam ſuppeditat: qui additione non completur. Sed ſemper plenus, nec minùs quàm Pater & Filius principio carens, & coæternus eſt, diuináque chariſmata diuidit, & ſingulis pro dignitate tãquam Deus diſtribuit, pro vt vult: quod Petrus etiam iis atteſtatus eſt, quæ Sapphiræ dixit.

Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini? Non mentiti eſtis hominibus, ſed Deo. *Act. 5.* «

Cæterùm Angelos etiam diuinam & ineffabilem ſuperſubſtantialis diuinitatis pulchritudinem velut in ſpeculo contemplari, iuxta proportionem prærogatiuæ, quæ inter illos eſt, & ſanctificationis modum, quã à Spiritu Sancto habent. nec hominum oculos prorſus effugere, teſtis eſt illa Abrahami hoſpitalitas, teſtis hæc Manoçi oratio, Morte moriemur, quia vidimus Dominum: teſtis Angelus, qui Tobiæ apparuit, & is, qui Virgini Aue dixit, Zachariæque concepturã Elizabetham pronuntiauit. ipſe denique *Angeli. Geneſ. 18. Iudic. 13. Tob. 5. Luc. 1.*

Matth 19. Christus testis, qui Apostolos his verbis in-
„ crepauit. Sinite paruulos venire ad me. An-
„ geli enim eorum semper vident faciem Pa-
Ioan. 14. tris mei, qui est in cœlis. Item, Spiritus ve-
„ ritatis, quem mundus non potest accipere,
„ quia nō videt eum: quoniam apud vos ma-
Ierem. 42. net. Præterea per Prophetam, Ego vobiscū sum, dicit Dominus, & Spiritus meus.

Si quis etiam animas corporibus præexistere dicat, eásque Angelorum & virtutum nominibus dignetur, Angelos autē in peccatum lapsos supplicij loco in hoc corpus missos esse, vt hîc primum iudicium subeāt, impium certè fuerit, & primi hominis creationi repugnans. Vetus enim eadémque diuina scriptura nos docet, quemadmodum
Gene 2. Adamus è limo formatus insufflationem di-
„ uinam in facie sua diuinitus exceperit, quæ etiamnum rationis & intellectus particeps anima dicitur à nobis.

Origenes porrò cùm animarum præexistētiam introducit, &, quod absurdissimum est, eas Angelos esse dicit, qui peccato lapsi fuerint, in huius rei confirmationem hæc
Psal. 118. Dauidica proferens, Priùs quàm humiliarer, ego peccaui, Item, Conuertere anima
Psal 114. mea in requiem tuam, * iudicium dęmonum introducit ante tempus: eósque supplicij loco in corpore introductos esse dicit. quod quidem iudicium determinauit Deus, vt Paulus Apostolus ait. nec vlli tamen in

Quid si κεκ-ρικὼν hoc est factū, vel quid simile Demonum condemnatio.

hunc vſque diem intulit. imò verò in mortuorum reſurrectionem, totiúſque mundi conſummationem reſeruauit: quo etiam tẽpore dæmones in ignem exterioré abibunt, qui eis eorúmque præfecto præparatus eſt, *Matt.25.* eóſque adeò damnati homines comitabuntur, propter illa, quæ in vita contra ius & æquum admiſerunt.

Origenes ergo fabulatur, dum animas Angelos eſſe peccato lapſos exiſtimat; quarum ſubſtantia ex diuina inſufflatione dependeat.

Quî fieri etiam poteſt, vt Chriſtus corpus ex ſanguinibus virgineis compactum, animámque rationis & intellectus participem aſſumere dignatus ſit, ſi animæ pro dæmonibus peccato lapſis habendę ſint? Chriſtus, *Chriſtus cur carnẽ aſſumpſerit.* inquam, qui in mundum iccircò venit, vt dæmonum imperium deſtrueret, communémque generis humani ſalutem procuraret. Illa porrò animarum præexiſtentia, quam introducit, Græcorum fabulamenta *Suprà lib. 2.* redolet.

Græci enim animas præexiſtere rati, eas peccato obnoxias eſſe dicebant. quæ cùm alio modo deterſis maculis & ſordibus, quibus inficiebantur, expurgari, ad priſtinámq; puritatem redire non poſſent, iccircò corporibus infunderentur, quęque adeò expiatoriis virtutibus non abuterentur, eæ à corporibus reſolutæ priſtinam puritatem, ſyn- *Elyſium.*

cerúmque nitorem denuò reciperent, cæterísque animis statim à reditu commiscerentur, quæ corporibus nullo se modo coniũxissent, quæ verò affectuum corruptioni obsequentes propriam dignitatem irritam & inutilem redderent, similésque speculo se præstarent, à quo læuor ille purus & pellucidus absit, eæ vbi primùm à corpore exirent, in Chaos & Erebum præcipites darentur.

Infernus.

Speculũ obscurum.

Horum porrò verborum, Priùs quàm humiliarer, ego peccaui, Item, Conuertere anima mea in requiem tuam, hic est sensus, vt " his verbis seipsum vates commonefaciat, eáque in mentem reuocet, quæ in Vriam sceleratè admodum commiserat: Humiliationem seu abiectionem pro turpi dedecore, quod in eum inde redundauerat, illóque seditionis tumultu, quo eadem de causa ab Achitophele & Absalone fuerat impetitus, subsecuta denique ab imperio deturbatione, nécnon ignominiosa regiis ex ędibus fuga, solitudinísque habitatione vsurpans; quemadmodum alio etiam in loco Psallẽs Deo profitetur, Dixi confitebor aduersum " me iniustitiam meam Domino. Item, Bo- " num est mihi, quod humiliaueris me, & per exitus aquarũ demersi sunt oculi mei: quia non seruaui legem tuam. Quibus omnibus promulgatio quædam & recantatio continetur eius quem anteactorum malorũ pœnitet.

Psal.118.
Psal.114.
Humiliatio.
Psal.31.
Psal.118.

nitet. quique cum propria colloquitur anima, & eam ad gratias agendas exhortatur, pro beneficiis, quæ tum percepit, cùm meritas pœnas eorum nomine non dedit, quæ in Deum contumeliosiùs admiserat. Per requiem autem, illá quoque animæ iusti peregrinationem intelligere possumus, qua quidem tristibus huius mundi periculis libera subducitur, & corporis à se tabernaculum, tãquam onus graue excutit. vt Paulus etiam ait, In hoc tabernaculo ingemiscimus grauati: Item, Cupio dissolui, & esse cum Christo. *Requiet.* *2. Cor. 5.* *Philip. 1.*

Blasphemia non minore sequentia quoque scatent, quibus scilicet Adamum antequàm Domini mandatum transgrederetur, imaginem Dei cõseruasse contendit, cuius nimirum anima nuda, nec vllis velamentis obducta esset, at in sola hominis forma conspiceretur. Transgresso autem mãdato eandem illam imaginẽ amisisse ait, cùm nimirùm anima corpus hoc induisset, quod per tunicas pelliceas intelligit. Moses enim in Geneseos historia Deum sumpto limo hominem formasse, deinde animam eidem inspirasse scribit, qui cùm mandatum transgressus esset, hæc à Deo audiuerit, Puluis es, & in puluerem reuertêris, nec ita multò pòst exulare iussus sit. tandẽ verò exturbatus Paradiso tunicas pelliceas induerit. *Pelliceæ tunicæ.* *Genes. 3.*

Iam quî fieri potest, vt is cui dictum est,

Gene.3. Terra es, & in terram abibis, sine corpore
Idolum. fuerit, sed idolum duntaxat corporea forma conspicuum animę circuniectum habuerit?

At verò curiosus hic homo, subtilitatísque studiosus plus quàm satis est, hæc tunc elo-
Plato. cutus mihi videtur, cùm ex Platonicis Placitis, aliorúmque Philosophorum, quorum lectione animum suum teneris ab annis excoluerat, cõtraria nostrę fidei dogmata hausisset, & ad satietatem bibisset.

Suprà lib.2. Idolorum enim genera duo vni eidémque animæ rationis participi Græci attexũt,
φωτοειδές. quorum alterum illi ab æterno cohæret, ab illísque diuinum corpus & luminosum dicitur: alterum verò crassius, quod ex astrorum
ἄλογον. dispositione, vt aiunt, insitum eidem est. Atque huic secundo idolo nomen imponunt, animæque idolum rationis expers appellãt, opinandi vi præditum, imaginatiuum, sensitiuum, generationis appetens, nécnon eorum quæ generationi subiiciuntur. Non enim vni eidémque animi naturæ, vnius cõtemplationem, primas notiones, exquisitas scientias, erroneas opiniones, eorum quæ sensibus obiiciuuntur apprehensiones, imaginatiuámque facultatem, tribuunt, sed ei quidem parti, quæ rationis est particeps, præstantiora, ei verò, quæ ratione caret, ea quæ deteriora sunt assignant. nõ eo quidem animo, vt inde maculas vllas, aut dedecus vllum diuiniori naturæ irrogent, sed vt cùm

illa necessariis perfuncta fuerit muneribus, hæc ad ea se duntaxat conuertat, quæ diuiniora censebuntur.

Hoc igitur idolum, quod & crassius diximus, hic quidem ab anima rationis participe separari minimè posse aiunt, at homine soluto nonnunquam præstantiorem illam, rationísque participem animam, cum luminosa figura, cúmque parte rationis experte, ad propriam peculiarémque sortem subuehunt: nónunquam verò seiuncta illa, quæ rationis expers est (quemadmodum de Hercule scribit Homerus) in Orco, vel inter sidera collocant. *Herculis ἀποθέωσις. Homerus.*

Itaque Origenes, vt mea quidem fert sententia, cùm animam idolo huiuscemodi vestiisset, quod proprias actiones, sibíque inuolutas circunferret, fore subiecit, vt vnà cum hoc illa resurgeret, futuróque iudicio subiiceretur, qua in re Gentes prorsus imitatur. mortalis autem tactuíque exposita caro deflueret, atque euanesceret.

Ad cuius absurdi dogmatis confirmationem his Apostoli verbis abutebatur, Seminatur enim corpus animale, excitatur autem corpus spirituale: quodquidem Apostoli verbum corporum resurrectionem haudquaquam subuertit. Nec enim verisimile est, vt is in ea sit sententia, qui Domini resurrectionem cum corpore gentes apud omnes promulgat, eiúsdemque *1. Cor. 15.*

nos formæ participes fore prædicit, qua ille fuit, cùm à mortuis resurgeret. Sed corpus animale, inquit, illud est, quod affectibus & fluxi obnoxium est. quemadmodum alibi hominem animalem idem vocauit Apostolus eum, qui omnia ex animi ratiocinationibus metitur, nec rerum diuinarum vllam meditatur, nec earum, quæ naturæ seriem transcendunt, in quibus tamen se animus exercere solet.

Animale corpus.
Animalis homo.

Cuiusmodi, quæso, sunt ea, quæ leuis hic & inconstans homo de eo tradebat, quod ad imaginem creatum est, quo tempore nouam rerum diuinarum interpretationẽ moliebatur, eásque ad animi sui sensa & conceptiones tyrannicè reuocabat. Aliud enim, Deum, aliud id quod ad imaginem efformatum est, aliud item similitudinem, aliud id quod ad similitudinem effectum est esse statuebat. Atque primas quidem imagines, & similitudines, Dei Angelos, aliásque virtutes esse dicebat. nos autem secundos ab illis, vt minores illis, qui ad illorum scilicet imaginem efformati simus. Deinde ad deteriora deflectens imaginem inuisibilis Dei Vnigenitum Filium vocat, Apostolica voce corrupta, nec eo adiecto, quod in illo mutationi obnoxium non est, nósque ad imaginem Dei, seu Filij Vnigeniti, factos esse scribit, quod impietate non caret,

Deus.
Imago.
Similitudo.

Ad Dei enim imaginem iccircò creati dicimur, quia in nobis dominatur ratio, qua duce artes à nobis inuentæ sunt, virique adeò rerum diuinarum cognitione celebres pleraque ad Dei gloriam, & magnificorum eius operum laudem excogitarunt. Proinde, vt ex iis quæ à nobis dicta sunt perspicuum est, eius participes sumus, quod ad imaginem effictum est, eius verò quod ad similitudinem ij, qui virtute perfecti euaserunt: nullúmque non mouerunt lapidem, quandiu vixerunt, qui rerum cognitionem, qua conuerti possent ad Deum, cõsequerentur, eadémque votis omnibus expeterent, quæ semper eodem se modo habere dicuntur: quos iccircò diuina scriptura Deos, Altissimíque Filios appellat, neque eodem quo cæteros nomine compellat, quos cum iumentis insipientibus confert: iísque similes euasisse clamat, qui malè Dominum calcibus impetant. *Imago Dei quid.* *Psal. 81.* *Dij & Filij altissimi.*

Nec verò mirum, quod Origenes pleraque in Deum minùs conuenientia cõmentus & prolocutus, Paradisum quoque & aquas, quæ tam infra, quàm supra firmamentum esse dicuntur, allegoricos exponat, (hoc enim de illo non paruus professorum veritatis numerus asserit) nec aquas cum nonnullis Doctoribus Hebræis, tam priscis quàm recentioribus, ad Angelicos *Paradisus. Aquæ.*

Gentium synagoga multa in vnam Christianam coaluerunt. ordines refert: sed Gentium synagogis accommodat, quæ quidem scaturientibus aquis similes in multiiugas fides & multifidas deriuatæ & effusæ sunt, donec in vnam Synagogam Christi apparitione per angusta confragosáque loca fluentes coaluerunt. quemadmodum alij nihil ab historiæ Mosaïcæ veritate aberrantes, naturam nostram cum Paradiso, bonum autem nobis à Deo insitum cum fonte velut è Paradiso scaturiente & profluente contulerunt: bonúmque ipsum quatuor in flumina hoc est præcipuas virtutes, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam diduxerunt. ita vt Phison cum prudentia conferatur, qui omnem terram Euilat, hoc est animam laboribus & angustiis oppressam, circuit. hæc enim est Hebraïcæ dictionis interpretatio, quia nimirùm labore prudentiam consequimur: quæ nihil est, quàm collectio, & coaceruatio, imò verò etiã æmulatio eorum, quæ honestè aliquando gesta sunt, vel etiámnum geruntur.

Paradisus. *Fons.* *Flumina. 4.* *Phison.* *Euilat.* *Dij laborib. omnia vendunt.* *Prudentia.*

Gæon autem, qui Æthiopiæ regionem circumalluit, Temperantiæ accommodatur, quæ cupidam animæ partem quodammodo constringit & continet, nec in absurdas actiones diffluere sinit.

Geon. *Temperãtia.*

Tigrin autem, qui ex aduerso Assyriorum fluit, fortitudinis symbolum esse

voluerunt, quia scilicet Tigri non absimilis est ille animi ardor, & constans eorum propositum, qui ex spiritus præscripto vitam instituunt. Illi enim impauidi ea penetrant, quæ aliis terrorem adferre videntur. *Tigris. Fortitudo.*

Iustitiam denique cum Euphrate conferunt, quæ nulla parte circunscribitur, quemadmodum virtutes cæteræ. sed per omnes discurrit, omnib⁹ adest, omnes exornat, omnes amplexu suo fouet. *Euphrates. Iustitia. Aristot. in Ethicis ex Theognide.*

Sed hæc hactenus, quorum quidem narratio, vt opinor, auditoribus haud inutilis fuerit.

Pauli porrò locus, quo ait, Vniuscuiusque opus quale est, ignis probabit. Dies enim manifestabit. quia in igne reuelatur, hoc sensu accipi potest. Heraclitus quidem Philosophus elementum primum ignem esse statuens, etiámnum seruari, & cætera seruare dicebat, quæ nimirùm contrariis inter se qualitatibus commixta sunt. ita tamen, vt cætera elementa sui effusione superaturus aliquando esset: atque suis limitibus tanquam crateribus emissus, vsque adeò efficaci qualitate sua intumesceret, vt omnia quæ sunt in rerum natura depasturus & assumpturus esset. *1. Cor. 3. Heraclit. Huius dogmatis meminit Ouid μεταμ. 1. Esse quoque in Fatis reminiscitur, affore tempus. &c.*

Apostolus autem de igne huiusmodi nequaquam verba facit: cùm mundi pars,

ipse quoque sit, & corruptioni vniuersi ipsius obnoxius. neq; de illo quidem, cuius apud Apostolorum columen Petrum his verbis mentio fit.

2. Pet. 3. Veniet dies Domini, vt fur in nocte: in „ qua cœli cum magno impetu præteribnut, „ elementa autem æstuantia dissoluentur. „ Terra verò, quæque in ea sunt opera comburentur. Si ergo hæc omnia soluantur, quales esse nos oportet in sanctis conuersationibus, & piis operationibus, expectantes, & accelerantes aduentum dei Domini, in qua cœli ardentes dissoluentur, & elementa æstuantia liquescent? At verò ignem alium intelligit, qui scilicet geennæ quasi quædam portio fragmentúmque sit, ad quem nos quoque tunc admouendi sumus, vt in eo purgati, vel dextræ parti, vel sinistræ accensleamur. Vel ignis nomine Deum etiam ipsum intelligere possumus, qui lumen quoq; dicitur, nec ignis appellationē dedignatur. Idem enim hic & nomine caret, & nominibus abundat, pro habituum nostrorum ratione appellationem subinde mutans.

Purgatorius ignis.

Deus.

ἀνικφώνητος

Quia enim animam purgat, & cādori pristino restituit, atq; maculas inhærētes eluit, quas ei vitiū inusserat, iccircò lumen est & dicitur, quo lumine nihil quicquā lucidius splendidiúsque dici possit. Quia verò materiā consumit, ignis iccircò dicitur. quemad-

Deus Lumen, Ignis.

modum & alibi, quia secat, diuidit, & ad animæ medulas pertingit, ea de causa gladius & sermo acutus nuncupatur. Vniuscuiusque ergo opus, quale fuerit, ignis probabit. In hoc quidem mũdo aliorum probationi exponimur, vbi permultus error inest, permultáque commissorum delictorũ repensatio: atque opus quidem ipsum coronis plerũque vel suppliciis dignum est: amicorum tamen opem ferentium consolatione, disertíque oratoris patrocinio persæpe fit, vt Iudex ad misericordiam flectatur, eóque adducatur, vt sententiam immutet: Illic autem quale est vniuscuiusque opus ignis probabit. Nec enim Iudex circunueniri, nec tribunal muneribus corrumpi potest, & simul atque propiùs ad Iudicem quis accessit, igne quoque iam probatus est. Exactissima enim actionum probatio ab ipsius Iudicis natura dependet. Dies enim, inquit, manifestabit, quod in igne cuncta reuelentur. Hæc est præcedentis dicti confirmatio. Quia enim nos igne vniuersos iudicatũ iri dixit, ignis autem ille, qui vitium consumit, & in fauillam conuertit, ipse Deus est, ea de causa subiecit. Dies enim manifestabit, quod in igne cuncta reuelãtur. Diem Apostolus hoc loco pro seculo futuro posuit: vel quia Solis cursu non ita regitur, vt dies sit, cui nox vicissim succedat: vel quia si cum præsenti vita conferatur, dies nocti si-

Gladius Sermo. *1.Cor.3.* *mico.* *Iudex incorruptus.* *Probatio Validissima.* *1.Cor.3.* *Dies.*

» milis eſt. Hæc ergo dies, inquit, manifeſta-
» bit, quòd omnia in igne reuelantur.

Cæteris enim iudiciis antiquatis, omníque tormenti & inquiſitionis genere longũ valere iuſſo, operum noſtrorum iudicium coram ſolo Deo nobis ſuper futurum eſſe conſtat. Nullus enim illic erit, qui rerum adminiſtrationẽ aliis ambitiõe extorqueat, aut iudicia circumueniat, aut iudicis volũtatem ſibi conciliet, aut legem diuinam &

Iudicium extremum.

» inſolubilem immutet. Si cuius ergo opus
» manſerit. quòd ſuperædificauit, mercedem
» accipiet: ſi cuius autem opus arſerit, multa-
» bitur. Quemadmodum enim ſi noſtrum hunc in ignem, qui ſenſibus eſt expoſitus, materia quæpiam cum alia coniiciatur, quæ pura vereque aurea ſit, magis ac magis in fornace ſplendeſcit, & quò efficacior ignis eſt, eò etiam res in eum coniecta pellucidior euadit. Si quid verò plumbi aut ſtanni particeps in eundem incidat, materia deteriore abſumpta priſtinus ille maſſæ tumor imminuitur: ita etiam poſteaquàm homines ſimul omnes igni diuino & purgatorio, ipſi inquam Deo, propiùs admoti fuerint, quicunque anima pura & pellucida præditus erit, clarior ex ignis probatione factus, mercedem accepit, quæ vera aureæ eius animæ, actioníſque ſyncerææ, nec vlla delictorum labe conſpurcatæ, retributio eſt: quia nimirũ Deo coniungitur, ignémq; diuinum illum

Aurum.

Plumbum.

Purgatorius ignis Deus.

perfert:& puro illius immixtus lumini, creatoris tandem beneficio Deus euadit. Manet enim opus eius, quòd superædificauit. Superædificauit autem in eo turres & propugnacula, hoc est inexpugnabilia fidei dogmata, virtutum fastigia, ea, inquã, per quæ, tanquam per intermedios gradus, si quis è terra sursum ascendat, ipsum Deum videre possit. Huiusmodi muri, huiusmodi mœnia diuina, haudquaquam flammis absumũtur: sed magis magísque firmantur & seruãtur. Quòd si quis fasciculum stipularum quæ materia facilè absumitur, ignéque conflagrat (quemcunque intelligere velimus, vt meo iudicio malorum operũ copiam) propria in anima gestauerit, simul atque ad ignẽ propiùs accesserit, conflagrationem ferre non poterit, proinde multabitur. Multam verò hîc non, vt quidam arbitrati sunt, pro materiæ conflagratione accipiendam puto, sed pro eo quòd quis diuini luminis particeps haudquaquã fiat, neque creatoris splẽdore dignus habeatur.

Hominum ἀποθέωσις.

Stipulæ.

Multa.

Talis ergo vir multabitur, & seruabitur. Quibus in verbis inesse videtur contrarietas. Nam si multæ nomine priuatio luminis, nominéq; salutis, eiusdem luminis fruitio intelligi debeat, quî fieri poterit, vt eodẽ temporis momento idem homo multetur, & saluus euadat? Itaque sciendum est, salutis emphasin hoc loco aliã esse ab ea, quæ vul-

Multa. Salus.

gò inoleuit. Hoc enim loco Verbum Seruari haudquaquam ſalutem promereri ſignificat,ſed igne non abſumi, aut cõflagrare: quandoquidem Adamantem quoque in igne ſeruari dicimus: nonnullàque animália fornacibus admota ſeruari quodammodo dicuntur, quoties ignis calorem perferunt,nec vruntur aut mutilantur. Proinde ſeruatus in igne is quoque dici poteſt, qui multatur:cùm præſertim ſit immortali corpore præditus, quòd nec inciſionibus vllis, nec aduſtionibus obnoxium eſt. Quòd autẽ hoc ſenſu verbum Seruari capiatur, ex eo patet,quod ſubiecit Apoſtolus. Poſtquàm enim dixit, Ipſe autem ſeruabitur, modum quoque addidit, his verbis, tanquam per ignem:nec enim inquit,præſtantiore ſalute, ſed deteriore fruetur, ea nimirùm, quæ ſit per ignem.

Seruari. *Adamas.* *Pyralidas & Pyregonos Piſides in Co ſmurgia vocat.* *Ibidem.*

Origenes ergo hinc,vt dixi,arrepta occaſione,animas priſtino ſtatui reſtituendas eſſe confirmat: dum ſupplicium illud, quod in ſacris Euangeliis æternum dicitur, non minùs atque gaudium perperam interpretatur:apertéque demonſtrat fore, vt animæ quæ peccato lapſæ, materiam vitiorum ſibi aggeſſerint,tantiſper in igne maneant,dum vitiorum ſuorum ſordes abſumantur: quibus abſumptis illæ denuò ſeruabuntur: poſteaquàm flammis excoctæ & expurgatæ fuerint,ita tamen,vt vermis ſine fine perma-

Eſai.66. *Mar.9.*

neat, nec geenna extinguatur, quemadmodum Dominus in Euangeliis ait, vt hoc pacto ſtimuletur in poſterum, refricetúrque memoria diuinę humanitatis in animis,quę à perénibus hiſce ſuppliciis liberatę fuerint.

** Triceſima ſecunda, Pauli Samoſateni. Hi vnguntur.*

PAulus hic Samoſatis in Meſopotamia ortus, Antiochiæ magnæ præfuit poſt Demetrianum, decimumquintum eius vrbis Epiſcopum:qui cùm Zenobię obſequeretur, in abſurdiſſimam hæreſin prolapſus eſt. Quæ porrò de Zenobia circunferuntur, ita ſe habent. Quo tempore Galienus Valeriani filius Romanis imperabat, Macrinus in eum inſurrexit. Odennathus autem Palmyriæ Metropoleos Arabiæ Princeps Galienum iuuabat: quapropter hic victoria parta,adminiſtrationem totius Orientis illi concredidit.

Zenobia.

Odẽnathus.

Cæterùm Odennatho à domeſticis cæſo, nec ita multò pòſt Galieno vita defunctæ,ſucceſſit in Imperium Claudius, quem cùm Perſæ bello deuiciſſent, Zenobiam Odennathi coniugem Syriæ Phæniciæque præfecerunt. Cùm verò paulò pòſt ipſe quoque Claudius è viuis exceſſiſſet, Aurelianus Imperator creatus contra Zenobiam exercitum mouit: eámque captiuam abdu-

xit. Huic ergo, quemadmodum diximus, etiámnum prædicta loca regenti cùm Paulus obsequi vellet, vt quæ Iudaismum profiteretur, ipse quoque vnum esse Deum docuit, qui Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnus idémque diceretur. Vnus enim, inquit, Deus est, & Filius eius in eo, quemadmodum in homine sermo. Ipse autem sermo cùm in terrã venisset, habitauit in homine, qui Iesus dicebatur, cõpletáq; dispensatione, ascendit ad Patrẽ. Iesus verò Christus inferior est, qui ex Maria initium habuerit.

Pauli Samosatensis dogmata.

Huiusmodi ergo Pauli dogma fuit, quod partim cum Noëto, & Sabellio consentit, partim ab vtroque discordat: quandoquidẽ illi quoque inter se quodantenus dissenserunt. Eo enim quod vnum Deum, quasi tribus distinctum personis asserunt: hi tres inter se conueniunt: in hoc autem differunt quod Noëtus quidem Patrem ipsum in forma & nomine passum esse dicit, Sabellius autem ipsum quidem Patrem, at non vt Patrem, sed vt Filij persona indutum. Paulus denique nõ prorsus vt Patrem, sed vt Filiũ.

Noetus. *Sabellius.*

Atq; hæc sunt, in quibus hic vel cũ prędictis hæresiarchis cõcordat, vel ab iisdẽ dissẽtit. Apertè verò cũ Artemone, & Theodoto coriario cõsentit, qui Dominũ Iesũ Christũ nudũ & simplicẽ hominẽ perspicuè tradũt.

Artemon. *Theodotus.*

Quæ cùm ita se habere Ecclesiarum moderatores compertum exploratúmque ha-

berent, haudquaquam negligenda esse duxerunt: sed Antiochiam ad hanc hæresin è medio tollendam conuenerunt. Concilio præerant Theodorus,qui & Gregorius mirificus, Neocæsariensis Episcopus, Athenodorus eius frater,qui Ponticarum Ecclesiarũ vni præerat. Firmilianus Neocæsareæ, quæ in Cappadocia est,Episcopus,Helenus Tarsi, Icomas Iconij, Hymenæus Hierosolymorum,Theotecnus Cæsareæ, quæ in Palæstina est, Maximus Bostrorum, & Anatolius Laodiceæ,quę Syriæ finitima est,Episcopus. Magnus autem ille Dionysius Alexandrinus præ senio interesse quidem non potuit,literis tamen eos qui conuenerunt, ad veritatis propugnationem exacuit.

Antiochena synodus.

Aliàs, Theodotus qui & Georgius mirificus.

Coácta autem Synodo Paulus inficias ire iam paratus erat,cùm Malachion,qui anteà quidem Sophisticam artem exercuerat, postea verò Presbyterij dignitate exornatus fuerat, disputationem aduersus illum instituit. Cúmque hoc pacto detecta fraus eius esset,qui Christum hominẽ diuina præ cæteris gratia exornatum diceret, è sacerdotũ cœtu segregatus meritò est. Quia verò Ecclesiastici se ei opposuerant, Aureliano tũc temporis imperanti hæreses eius patefecerunt, persuaserúntque, vt ab Ecclesia illum exturbaret. Quanuis enim ille idolorum cultui deditus esset,æquum tamen existimabat,vt qui eiusdem fidei consortibus con-

Malachion orthodoxus.

tradiceret, is ab eorum cœtu, communi omnium calculo secluderetur.

* Theodori Scutariotæ Scholion. *

Sciant lectores hoc Samosateno Paulo deposito, Clericorum & Episcoporum, quos instituerat, nullum esse cum eo depositum: sed quia omnes in sanctissimorum Patrum nostrorum, à quibus ille depositus est, sententiam pedibus iuerant, ideirco suis dignitatibus singuli restituti sunt.

* *Hæreseos præcedentis confutatio.*

PAulus Samosatenus terra erat nec bona nec fertilis, nec diuinæ sementi accómoda, sed sentibus, & tribulis horrida: nimirùm dogmatis ab inculpata & orthodoxa fide nostra dissentaneis: atque adeò, vt ita dicam, Cloaca quæpiam cœnum eiectans, quod in Dei Filium vel ipsi posteri iacularentur. Ex hoc enim cùm Nestorius hausisset, atque bibisset, eum nudum & simplicem hominem esse, qui re vera Deus erat, asseruit, vt explanatiùs in Nestoriana dicemus historia. Paulus itaque Sabellio & Noëto Ephesio consentanea professus, inanes cum illis voces eructat. Patrémque, Filium, & Spiritum Sanctum, in vnam, eandémque coarctat hypostasin: prædiuinámque naturam animali cuipiam trinomini similem tradit, cùm tamen multis è scripturæ

locis eam triplici definitam hypostasi didicisset: atque ex Veteri quidem Testaméto, vbi ait, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quæ Patris verba sunt ad eos, qui sua è substantia processerát: qui etiam creatricis cum illo Dominicæque dignitatis participes fuerant. Item vbi ait, Ecce Adam factus est, sicut vnus ex nobis, siue vt vnusquisque nostrûm, qui tres personæ vna in diuinitate sumus. Quanuis enim hoc ironicè dictum sit, nullo tamen modo vnicam personam significare potest. Item vbi sic habet, Apparuit Abrahæ Deus iuxta quercum Mambré. Respiciens autem oculis suis vidit: & ecce tres viri steteru nt supra eum, & intuitus occurrit obuiam illis: & adorauit in terra: & dixit. Domine, si inueni gratiam coram te, ne prętereas seruum tuum. Viden' quomodo scriptura testetur Deum apparuisse Abrahę, tres autem fuisse, qui apparuerint. Et quanuis tres essent, cum tamen cum vno esse collocutum: quod omnino ita factum est, vt vna eadémque tribus sub personis diuinitas elucesceret. Quòd si quis vnum tátum Deum, duósque Angelos esse dicat, quomodo vnà cum Domino sedere ausi sunt? Item, pluit Dominus super Sodoma & Gomorra ignem & sulphur à Domino de cœlo. Item, Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est.

Genes.1. Genes.3. Genes.18. Genes.19. Deut.6.

His certè verbis Dominus, Deus, itémque

Dominus, hypostases: his autem, vnus est, vna in tribus diuinitas subindicatur. Quibus hæc Dauidica cõsentanea sunt. In Deo laudabo Verbum, in Domino laudabo sermonem. Item, In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo. Item, Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Item, Inuoca me in die tribulationis tuæ. Item, Viuit Dominus, & benedictus Dominus. Item, Exaltetur Deus salutis meæ. Quibus hæc addi possunt, Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Item, In lumine tuo videbimus lumen, id est in filio tuo cognoscemus Spiritum sanctum. Per ipsum enim ea quæ sunt de Spiritu sancto cognoscenda, non minùs quàm ea quæ de Patre, manifestiùs cognouimus. Imò etiam in libro Hieremiæ ita scriptum est. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum: quibus id quoque subiunxit, quod subsequitur.

Psal 55. *Ibidem, & Psal. 117.* *Psal 49.* *Psal. eod.* *Psal. 17.* *Psal. eod.* *Psal. 35.* *Psal. 35.* *Baruch. 3.*

In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Malachias quoque ait. Et tu Bethlehem terra Iuda, ex te enim exiet Dux qui reget populum meum Israël.

Ibid. *Mich. 5.* *Matt. 2.*

Sed Daniel etiam ita scribit. Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat; & vsque ad Antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum: & dedit

Dani. 7.

ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & «
omnes populi, Tribus, & linguæ ſeruient «
ei: poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non «
auferetur: & imperium eius non corrum- «
petur. «

Verumenimuerò ſi quis Teſtamentum Vetus euoluat, Prophetáſque percurrat, triplici illa Cherubica ſanctificatione, & huiuſmodi pleriſque ſanctam deſignari Triada videre poſſit, quemadmodum & hoc Dauidico, Dixit Dominus Domino meo, *Pſal.109.*
ſede à dextris meis. Donec ponam inimi- «
cos tuos ſcabellum pedum tuorum. Item, «
Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordi- «
nem Melchiſedech. *Ibidem.*

Aaron enim, & eius conſortes animalium viſceratione rem ſacram fecerunt. Pane autem & vino, ſolus omnium Melchiſedech: qui Chriſti etiam atque initiationis myſteriorum eius typus erat: cui Dauides quoque ſacerdotium æternum vaticinatur.

Ex noſtro autem, ſeu Nouo, Teſtamento clariora, & maioris ponderis teſtimonia expiſcari queat, quemadmodum ex Triadis superſubſtantialis myſterio, quod per incarnatum Chriſti aduentum illuxit.

In ipſo enim quaſi limine Angelus Virgini dixit. Spiritus Sanctus ſuperueniet in *Luc.1.*
te, & virtus Altiſſim obumbrabit tibi: «
quibus verbis diuinitatem tribus hypoſta-

ſibus contentam ſubindicauit. Qui plura volet, ex aliis quoque Euangelicis dictis venari poterit, in quorum mentionem incidimus obiter, cùm de Sabellij dogmatibus ageremus.

Tricesima tertia hæresis. Manichæorum & Cubricorum. Hi baptizantur. Hoc autem caput cum 36. De Maſſalianis in calce Opuſculi Mich. Pſelli. De operatione Dæmonum iam excuſum eſt.

Acua & Acuanitæ. HI Acuanitæ tandem dicti ſunt, propterea quòd Acua quodam, è Meſopotamia oriundo, impuræ huius hæreſeos Doctore vſi ſunt.

Manes qui & Cubricus. Manichæi verò & Cubrici ab antiquo denominati ſunt, nimirùm à Manete Perſa, qui Cubricus anteà vocabatur, ſibíque poſteà Manetis nomen indiderat. Cæterùm hac voce Manes Babyloniorum idiomate vas, vel, vt quidam volunt, Dialecticus deſignatur. Paracletum porrò ſeipſum miſer hic Manes vocabat, Chriſtúmque ſola phãtaſia, ſeu ſimulatione, apparuiſſe, atque paſſum eſſe docebat. Inſuper Principia duo, Bonum & Malum introducebat. Poſitis enim duobus non genitis & æternis, Deo ſcilicet atque materia, Deum quidem lumen, materiam autem tenebras appellabat. Atque lumen quidem bonum, tenebras

autem malum. Vetus Testamentum, & eũ qui locutus est in illo, cum omnibus suis Prophetis, blasphemus ille maledictis incessebat. Solem, Lunam, & Astra, tanquam Deos, adorare suadebat. Animarum à corporibus in corpora migrationes docebat.

Carnis resurrectionem inficiabatur. Herbas, arbores, aquam, & cætera omnia animam habere contendebat: atque innumera huiusmodi alia deliramenta proponebat.

Tandem autem arrogantiæ spiritu elatus, dæmonum, à quibus subuehebatur, auxilio fretus, se Persarum Regis filium morbo laborantem, pristinæ sanitati restituturum pollicitus est: eique adeò cùm Pharmaca morbo curando accommoda applicuisset, excontinenti puer in manibus eius expirauit.

Quocirca Rex ira percitus in carceres illum coniecit: vnde custodibus pecunia corruptis aufugit. Ad extremum autem comprehensus, & arundinibus excoriatus est: eiúsq; pellis paleis suffarcinata in Perside seruabatur. Cæterùm in eius honorem Manichæi super arundinibus lectos suos insternunt.

** Hæreseos præcedentis Confutatio.*

APostolicam vocem, qua Dominus in hominum similitudinem factus, & ha- Philip. 2.

» bitu inuentus vt homo fuiſſe dicitur, Manichæi malè detorquentes, hæreſin ſuam cõſtituerũt, ſoláq; phãtaſia, ſeu ſimulatione, Chriſtũ apparuiſſe, & paſſum eſſe dixerunt.

Nos autem, qui populus ſumus, quem Chriſtus plantauit, ipſum in ſimilitudine hominis fuiſſe, & habitu inuentum, hoc ſenſu piè intelligere didicimus, vt & credimus, cùm ſcilicet, aſſumpta natura noſtra, nobis æqualem & ſimilem apparuiſſe, vt qui ſerui formam accepiſſet, ſeu hominis naturam aſſumpſiſſet, nec eam quidem humana conditione, ſed abſque ſemine.

Quòd enim ex muliere proceſſerit, humanum id, ipſique Chriſto proprium fuit.

Quòd verò ex Virgine, id humana conditione præſtantius, atque proprium Chriſti ſolius extitit. Et ſi enim humana forma verè præditus erat, hoc tamen hominem ſuperabat, quòd homo ſimplex nudúſ ve non eſſet, at diuinitati coniunctus. Alioqui, vt ita dicam, ſimilitudo, & habitus, & aduerbij, vt homo, ambiguitas, incarnationis rationi velut officere videntur.

Cæterùm Dominus haudquaquam ſimilis homini, ſed perfectus homo fuit: nec tanquam in proſcenio fabulam acturus, corpus & diſpenſationem confingens, ſubdititiam hominis perſonam exteriùs aſſumpſit, nec tanquam vmbræ, quæ colorum adminiculo parietibus appinguntur, habitum

ſolum, nec item hominis naturam aſſumpſit, ita vt non propriè homo fuerit, ſed vt homo apparuerit. (Hæc enim Apoſtoli verba in ſuperficie præ ſe ferunt, ſi qui profundiùs non perſcrutentur) imò verò natura hominis ad ſuam ipſius ſubſtantiam applicata, eandem cum diuinitate commixtam ita conſeruauit, vt neque cum illa confunderetur, neque commutaretur.

Similitudinem porrò quodammodo duplicem eſſe didicimus, altera enim de re dicitur, quæ mutationi obnoxia eſt, altera verò de re, quæ ſemper eadem manet. *Similitudo duplex.*

Imagines enim, quæ ab exemplari proceſſerunt, ſi inter ſe conferantur, ſimiles: ſi cum exemplari æquales eſſe dicimus: at verò cum exẽplari ita cõferuntur, vt quæ mutationi ſunt obnoxiæ, quo nimirũ & exemplaris & imaginis ratio diuerſa ſeruetur: inter ſe verò, vt quæ nullo commutari modo queant, vt nimirùm exemplaris quoque imagines permaneant. Diuus itaque Apoſtolus Deum homini ſimilem dicit, ratione ſubſtantiæ, quæ nulli mutationi obnoxia eſt. Sed habitu etiam inuentum vt hominem addit. Porrò habitus duplex intelligitur, nimirùm fictitius & verus. *Similis & Aequalis.* *Philip. 2.* *Habitus duplex.*

Rectum enim hominis habitum eſſe dicimus, & hic eſt verus. Sed habitum Socratis aut Platonis ab hoc vel illo eorum, qui perſonas in proſceniis effingunt, aſſum-

ptum esse dicimus, quemadmodum in fabulis seu Comœdiis & Tragœdiis, agendis anteà moris erat: atque hic fictus & falsus habitus est.

Hoc itaque loco habitus veritatem præmonstrat. Habitu enim Dominus inuentus est homo, hoc est ipsa humana substantia, quę tali habitu efformata erat: nec enim solam hominis substantiam in propriæ hypostaseos substantiam conuertit, formâ autem, seu humano habitu, quem assumpserat, diuerso, nec nostro assimili præditus processit: sed & substantia & habitu inuentus est vt homo.

Cæterùm duo principia non esse, quorum alterum Bonum, alterum Malum sit, vt Manichæorũ astruit impietas, hinc haud dubiè perspicuum fiet.

Bonum & malum. Bonum & malum inter se contraria sunt, séque mutuò perimunt, nec simul consistere possunt, quemadmodum neque lux cum tenebris subsistere potest.

Proinde horum vnumquódque pars totius futura est: & primum quidem horum vnumquódque nõ à toto solum, sed etiam à totius parte circunscribetur,

Quis enim contrariis, nimirùm bono & malo, viam præcludet? nec enim quis vtrũque simul domo pedem efferre, conciliarique inter se dixerit: quandoquidem ne

malum quidem id est, ex quo pax oritur, quódque tantoperè à bono amatur. neque bonum vicissim bonum est, quodquidem malo beneuolum se ostendit. Quòd si quis alius horum cuique propriam sedem, qua commorari possint, assignet, ille certè solus erit Deus, qui simul & semel assumpsit ea, quæ inter se vel maximè repugnabant. Proinde duorum alterum in his eueniat necesse est, nimirùm vt ea inter se conueniant, seséque mutuò patiãtur. vel vt medium aliquod intercedat, quo bonum à malo secernatur, sitque quasi septum aliquod transuersum, quo alterum ab altero dirimatur: atque ita non iã duo, sed tria principia erunt, quorum vnum cætera velut in pace custodiat, necesse est: quod quidẽ à malo fieri nequit. Nam pacem custodire malum non est. Iam quod paci custodiendæ aptum est, id verò bellum mouere pugnaréq; nequit. Quo fit, vt principium vnum relinquatur, ídque bonum, & ab omni vitio liberum.

Quòd si percõtari velint, vndé nam malum oriatur (nec enim fieri vllo modo potest, vt à bono malum originẽ traxerit) malum nihil aliud, quàm boni priuationẽ esse dicimus. atque adeò euersionem eius quod est naturæ consentaneum, in id quod est naturæ contrarium. Siquidem nullum malum naturæ consentaneum. Omnia enim quæcunque fecit Deus, valde bona sunt, si crea-

Vnde malũ oriatur.

Malũ quid.

tionis eorũ habeatur ratio. Proinde si qualia creata sunt, talia maneant, valde bona sunt, at si vltrò ab eo quòd est naturæ consentaneum, ad id deficiant, quod naturæ repugnat, iam malo accensentur. Natura igitur omnia rerum opifici subiiciũtur atque parent. Cùm verò creatura quæpiam rebellauerit, & creatori suo minùs morigeram se præstiterit, sibi vitium vltrò accersiuit.

Rebellio.

Vitium.

Nam vitium neque substantia, neque substantiæ proprietas vlla est, sed accidens, seu spontina quædam deflexio ab eo quod est naturæ consentaneum, ad id quod naturæ repugnat. quodquidem peccatum est.

Peccatum.

Diabolus quomodo malus.

Peccatum autem liberæ Diaboli voluntatis inuentum est. Proinde Diabolus malus est, non quòd talis creatus fuerit, Angelus enim lucidissimus, & clarissimus à rerũ omnium opifice Deo creatus est, atque libero arbitrio præditus, quia nimirùm rationis particeps: spontè verò à virtute naturę consentanea desciuit, & ad vitij caliginem trãsfugit. procul à Deo remotus, qui solus bonus & viuificus est. Ab ipso enim quicquid bonum est, id bene & benignè factum est. & quaqua tenus ab illo procul diuerterit, voluntate (nam loco non item) ad malũ defecit.

Vanus itaque Manes est, & futilis, qui tenebris digna proloquatur, cùm tenebras & materiam æterna, & nõ secus atque Deum,

non genita esse autumat, quamuis Mosen ita dicentem audiat, In principio creauit, quòd ex nihilo cuncta creata sunt, quòd etiam simul atque lux producta est, tenebræ secesserunt. *Gene. 1.*

Socrates enim Sophronisci, & Plato Aristonis filius, corúmque successores, atque alij quàmplurimi ea in sententia fuerunt, vt omnia ex subiecta materia creata fuisse dicerent: quæ quidē Deo coæterna dicentes, ipsi Deo causę nomen imponunt: non tamē materiam ipsam in malis esse definiunt: siquidem blasphemiæ maximæ loco esse ducunt, si quis Deum malorum creatorem esse dicat. Atque illi quidem aliqua fortè venia digni sunt, qui neque propheticos sermones audiuerint, neque diuos Apostolos viæ duces habuerint, sed solis coniecturis rerum cognitionem consecuti sint. Hi verò quales, quæso, quámque sua impietate dignas pœnas luent, qui cùm Diuis fruerentur Euāgeliis, ab eorum lumine ad tenebras, more noctuarum trāsfugerunt. Quia enim cuilibet arti inter homines materia subiecta est opus, suspicati sunt værcordes illi, ne Deum quidem ipsum quicquam sine materia creare potuisse. nec intellexerunt, quantum inter se Deus & homo differant, fierique non posse, vt imago illa omnia consequatur, quibus archetypum nobilitatum est, hominem prætereà, tanquam imaginem, si quid ercet, *Socrates. Plato. Deus. Materia. Hæretici inexcusabiles. Dei & hominis differentia.*

id ex iis creare, quæ in rerum natura ſunt. Deum verò & ex iis quæ ſunt, & ex iis quæ non ſunt, Id quod apertè ſacra teſtatur ſcri-

Hebr. 11. ptura. Apoſtolus enim ait, Fide intelligi-
„ mus aptata fuiſſe ſecula Verbo Dei, vt ex
Rom. 4. inuiſibilibus viſibilia fierent. Item, Qui
„ vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ
„ ſunt.

Moſes porrò, qui de Mundi generatione cõſcripſit hiſtoriam, docuit quæ'nam ex iis quæ non erant, quæ'nam etiam ex iis quæ e-
Geneſ. 1. rant creauit, Ait enim, In principio creauit
„ Deus cœlum & terram. Lumen itidem ex
„ iis quæ non erant condidit. Dixit enim
„ Deus, vt teſtatur Moſes, Fiat lux, & facta eſt
„ lux. Firmamentum autem ex iis quæ iam
„ creata erant produxit. Fiat enim, inquit, fir-
„ mamentum in medio aquæ, & diuidat aquã
„ ab aqua. Semina inſuper & plantas terra e-
mergere iuſſit, quéadmodum ex variis quoque animantium generibus ea ex aquis produxit, quæ in aëre volant, & quæ in aquis verſantur, quæq́ue adeò ἀμφίβια, hoc eſt nunc in aquis, nunc in terra degentia dicuntur, ex terra autem quadrupedes & reptilia.

contra Marcionem. At hominé ex iis quæ non erant creauit. Nec enim, quod impia Marcionis opinio aſtruit, anima eiuſdem cum Creatore ſubſtãtiæ eſt: ſed ex nihilo creata.

Anima ex nihilo. Quod inſuper Vetus Teſtamentum blaſ-

phemiis ſuis inceſſit, nécnon eum qui locutus eſt in illo, antiquat, atque etiam Soli, Lunæ, & Aſtris cultum diuinum exhibet, herbáſque & arbores frondibus altè comátes, nécnon aquas perennes animatas eſſe contendit, aliáque huiuſmodi abſurda proponit, inde īdicat, quàm verè ἀπὸ τῆς μανίας, ſeu ab inſania, denominetur. ex qua cognomen quoque meritò adeptum eſſe puto. Vt taceam, quòd ſexageſimo Legum libro cauetur, ne quis Manichæis ex Teſtamento, aut ab inteſtato ſuccedat. ſed bona eorum ærario publico inferantur. Cæterùm iteratò baptizantur, ſi qui ex illis ad inculpatam noſtram fidem ſe recipiant. Eorum enim hæréſis etiámnum graſſatur. Cubricorúmque vici & prædiola circa Apolloniadē ſita ſunt.

Ludit in Manetis etymō.

Cubricorum Regio.

* *Triceſimaquarta hæreſis, Hieracitarum.*
Hi vnguntur.

QVidam Hieracas nomine in Leonum Ægypti ciuitate fuiſſe fertur, qui non tantùm Ægyptiorum, ſed Græcorum etiam linguam callebat, omníque dicendi genere exercitatus, atque in arte Medicoſophiſtica, & Aſtronomica, fortaſſis etiam Magica, nō mediocriter verſatus. Hic cùm annos ad plures nonaginta vitam protraxiſſet, pulcrè & eleganter ad ſupremum vſque vitæ diem, citra vllam oculorum offenſionem ſcribere perrexit, adeò continens, vt à cibis omne:

genus & vino abstineret, cúmq; vulgus tanto mẽtis exercitio perterruisset, eorum animis vt sibi adhærerent, & adglutinarentur, persuadere potuit. Quo factum est, vt Ægyptiorum monachorum pleriq; hæresin eius amplexi sint. Hæreseos autem præcipua capita huiusmodi fuerunt.

Hieracas hic Vetus & Nouum Testamentum velut expectorans interpretabatur: librósque Ægyptiaco & Græco sermone cõponebat. Eius porrò interpretatio deliramentis Origenis assimilis erat: variis nimirũ fabulis referta, nécnon allegoriis, quæ verborum fastu scatebant. Ex quo euenit, vt cùm sibi sapiens videretur, dogmata in posterum pro libidine proponeret. Nam ipse quoque Carnis resurrectionem antiquauit, animámque solam resurgere fabulatus est, quia nimirum spiritualis resurrectio sit. Paradisum sensilem esse nullo modo admittebat. Nuptias in Veteri Testamento duntaxat permissas fuisse, post Christi autem aduentum non ampliùs posse qui nuptias contraherent regni cœlestis fieri párticipes asserebat. Quid enim, inquiens, noui facturus, aut prædicaturus, aut emendaturus ille Dei Sermo venit, præter castitaté, & sanctimoniam, sine qua nemo Dominum visurus est? Vnde Paulus quoque, cùm honorabile connubium dicit, non prorsus iccircò dicit, vt laudet illud, sed obiter subinfert, ne tandem

Hieraca dogmata.

Hebr. 13.

incidant in tétationé. Deinde subiicit, Quæ nupta non est, cogitat quomodo placebit Deo. Nupta autem, quomodo placebit viro. Si ergo Deo non placeat, quomodo seruabitur? Item, Vellem, inquit, omnes esse sicut ego sum. Item, Sunt eunuchi, qui se castrauerunt. Hæc Hieracas nõ solũ docebat, sed & opere cõplebat: nec patiebatur quenquam ad suã synaxin seu cõmunionẽ venire, qui aut monachus, aut cõtinens, aut virgo, aut vidua nõ esset. Spiritum sanctum nihil aliud esse dicebat, quàm eum qui vulgò Melchisedech ferebatur. Hic enim est, inquit, de quo dicitur, quod cùm assimilatus sit Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Ad hæc quia Filio Paracletus assimilis est, proptereà sine Patre, sine Matre, & sine genealogia dicitur: sine Matre quidem, quia Matrem sursum non habet, sine Patre autẽ, quia in terra nullus ei Pater est.

1. Cor 7. Ibidem. " " " Ibidem. Matth. 19. " Melchisedec pro Spiritu Sancto. Hebr. 7. Christus ἀπάτωρ & ἀμήτωρ.

Huius porrò interpretationis ansam ex quodam apocrypho libello expiscatus est, cuius inscriptio erat, Anabaticum, seu de Ascensione Esaïæ, in quo ita scribitur, Angelus qui ambulabat ante me, ostendit mihi, & dixit mihi. Quis est ille, qui ad dexterã Dei sedet? & respondi ei. Tu scis Domine: & dixit. Hic est dilectus. Rursum ita dixit. Quis est alter, qui à sinistris venit ei similis? Tunc respondi ei. Tu scis Domine: & dixit. Hic est Spiritus Sanctus; qui loquitur in te

ἀναβατικὸν Esaie liber apocryphus.

& Prophetis: & erat similis dilecto. Pueros insuper qui prematura ætate morerētur, antè quàm Dei cognitionem adepti essent, regni cœlestis hæredes esse non posse dicebat, quia nimirùm non certassent. Ita enim inquit. Si qui certat non coronatur, nisi legitimè certauerit, quanto minùs is qui ad certamen vocatus non est?

** Hæreseos praecedentis Confutatio.*

ἱέραξ.

IS non erat Hieracas, qui venaticorū præpetúmque ἱεράκων, hoc est, accipitrum more diuinas scripturas oculis circunlustraret, atque dogmatum veritatem vndique venaretur: aut saltem aquilis assimilis, ipso ad Deum ascensu innouaretur, sed nescio quis informi deformitate gracculus, Origenis opinionibus, nonnullorúmque qui illū præcesserant, hæresibus quasi syllogisticis alis gestiens. Quemadmodum enim Dominus soluta mortis tyrannide monumēto exiliit, discipulisque astans, & ab iisdem palpatus, carnem habere deprehēsus est, ita & nos resurgemus, eiúsque tribunali cum eodē corpore atque anima eadem astabimus, cum quibus & huius vitæ curriculum peregerimus.

Aquila. Psal. 102.

Resurrectio Christi & nostra.

contra Origenem.

Origenes enim longùm valeat, cum omnibus, qui ab illo stantes animam corpore nudam iudicium subituram esse tradiderūt, tale hominis idolum ei adaptantes, quales

ideæ

ideæ ſunt à Stoïcis confictæ, quibus ea etiã, quæ in mundo vidẽtur, creata fuiſſe docuerunt. Ad cuius opinionis, abſurdiſſimę quidem illius, confirmationem, ſtultè admodũ hunc Apoſtoli Pauli locum proferũt, vbi ſic ait. Seminatur animale, ſurget ſpirituale. vbi per ſpirituale corpus id intelligunt, quod ad ſolam hominis figurã efformatum, non autẽ ex quatuor elementorum commixtione cõflatum ſit: quæ quidem interpretatio à doctrina & ſenſu Apoſtoli aliena eſt. Is enim ad ſanctos, qui Corinthi erãt, ita ſcribit. Sed dicet aliquis, Quomodo excitãtur mortui? quali autem corpore venturi ſunt? Inſipiẽs, tu ꝙ ſeminas, nõ viuificatur, niſi priùs moriatur: & quod ſeminas, nõ corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, vtputà tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem corpus illi dat, ſicut voluit, & vnicuique ſeminum proprium corpus. Non omnis caro eadem caro, ſed alia quidem hominum, alia pecorum, alia piſcium, alia volucrum. Item corpora cœleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtriũ. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, excitatur in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate & ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in

Stoicorum ideæ.

1. Cor. 15.

Corpus ſpirituale.

Ibidem.

„ virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget
„ corpus ſpirituale.

Quibus verbis eos inſtruit, quorum aures cerumine infidelitatis haudquaquã obſurduerunt, quòd quemadmodum granum frumenti in viſceribus terræ moritur, & ſuo tempore reſurgit, non nudum quidem, & quale ſeminatum eſt, ſed clarum & perpulcrum, atque ex priſtini corporis ſubſtantia: ita etiam corpus noſtrum nudum quidẽ, informe, & inglorium, terrę cõmittitur, elegãs verò cõcinnum, & ſpirituale reſurgit. Quẽadmodum in ſeminibus quoque videmus; germen enim ariſtis munitum emittunt, nõ autem nudum, quale etiam terræ cõmiſſum
„ eſt, proinde corpus idem excitatur. Huius e-
Ibidem. „ nim rei ipſe quoq; Paulus autor eſt. Vnicuique reſurgẽti ſemini propriũ corpus datur.

Idem prætereà aſtruit non vno in honore reſurecturos, ſed ſanctos peccatoribus clariores futuros, eadem comparatione, qua ſe quoque habẽt corpora cœleſtia ad terrena.
„ Quin vel inter ipſos iuſtos idem claritatis
„ futurum diſcrimẽ, quo Luna à Sole, & quo
„ ſtellarum chorus à Luna differt. Animale
Corpus animale. autem corpus intelligendum eſt, quod ani-
„ malibus facultatibus regitur & mouetur.
„ atque iccircò iis haudquaquam eget, quę ad
„ craſſitudinem neceſſaria ſunt, pro vt corpo-
Corpus ſpirituale. ra ante mortẽ omnia. Spirituale verò, quod
„ Sancti Spiritus operatione diues eſt, ab illo

fertur,cum anima denique ipſa gubernatur: vel aliàs per ſpirituale illud intelligit, quod corruptioni non obnoxium, ſed ſubtile & leue eſt,atque quaſi per aëra vectatur, & ad æthercam ſubſtantiam aſcẽdit, nec vlla terrenorum cupiditate capitur:cuiuſmodi etiã corpora noſtra poſt reſurrectionem à Deo fient,qui cœleſtia etiam elementa ea conditione produxit,vt nulli ſenio, nullíq; labori obnoxia eſſent.

Iam quo iure,quæſo, animam ad æterna ſupplicia, vel coronas perpetuũ duraturas, ſine corpore abduci doceat, cũ quo vel pia, vel impia quæque commiſit?

Indigni porrò ſunt,qui natiuitatis diem vnquam viderint, quicũque nullum eorum *Pro nuptiis.* qui nuptias contraxerint ſeruatum iri affirmant,Paulúmque mendacij ſui teſtem proferunt,vbi ait,Volo omnes eſſe ſicut & ego. *1.Cor.7.* Item, Sequimini ſanctimoniam corporis, *Hebr.12.* ſine qua nemo viſurus eſt Dominum. Nec *Sãctimonia.* enim ſanctimoniæ nomine Paulus cœlibatum intelligit, ſed connubium quidem honorabile,torum verò immaculatum tradit: *Hebr.13.* quemadmodum Deus quoque præfiniuit, dicens, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, Faciamus ei adiutorium ſimile ipſi. *Geneſ.2.* Sed Paulus Chriſti veſtigia ſecutus,qui primas virginitati detulit,cùm ex virgine ſecũdum carnem natus eſt,dixítque, Qui poteſt *Matth.19.* capere,capiat: nuptias quoq; legitimas eſſe

docet, eísque virginitatem præfert, seipso in exemplum proposito, qui Pharisaïcæ vitæ regulam sequeretur, quæ inter cætera hæreseos suæ asseclas à fœminis abstinere iubebat. Atqui corporis sanctimonia fœmineo concubitu haudquaquam circunscribitur, sed latiore intellectu patet. quo Paulina quoque verba accipienda sunt, qui plerisq; locis epistolarum monet, vt ab adulterio, fornicatione, inuidia, detractione, mēdacio, periurio, crapula, & cæteris peccati vestibulis puri simus.

Galat.5.
1.Thess.4.

Nam si anilem Hieracæ traditionem secuti quicunque Christi nomine censentur, à mulierum complexu abstinerent, omnes ad vnum vna in generatione deficeremus: nemóque sibi superstitem relinquere curaret, si re vera cultum se præstare Domino intelligeret.

Melchisedec. Idem Melchisedeci nomine Paracletum intelligebat: qui Deo similis nullam aliam ob causam dictus esset. quàm quia solus omnium apud Mosem sine genealogia esset, & quia, vt ita dicam, panis & vini oblatione beneuolentiam suam erga Abrahamum declarasset, cùm à quinque Regum excidio reuerteretur. quæ quidem omnia Christo mirum in modum conueniunt.

Esa.53.
1.Cor.11.

Nam generationem eius quis enarrabit? illámque adeò mysterij institutionem in nocte illa factam, qua tradebatur, pane & vi-

no definiunt. Dicam verò quiddam aliud tertio loco, quod à multis ignoratur. Vno eodémque tempore duos insignes pietate viros Abrahamum scilicet & Melchisedecum, floruisse Moses scribit: quorum tamen ille in circuncisione, hic in præputio testamentum acceperat. Proinde Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci nominatur, non solùm quia pane & vino, quéadmodum & ille, mysticè fecit. sed etiã quia circuncisionem in præputio benedixit, quemadmodum Melchisedec in præputio circuncisum Abrahamum benedixerat. *Abraham & Melchisedec σύγχρονοι.*

Eorum porrò qui præmatura morte obeunt, vitæ breuitatem alij prognosticæ rerũ omnium prouidentiæ adscribunt, vt nimirũ subsecutura mala & exleges actiones quas perpetraturi erant, hac ratione præcidãtur. alij ad parentum castigationem referunt, quæ nec absque ineffabili illa numinis prouidentia fiat. Atque ij quidem qui sacro initiati baptismo non sunt, quíque parentibus à recta fide nostra alienis orti sunt, non secus damnabuntur, atque parentes eorum, qui illos simul atque nati sunt, à baptismo alienarunt. quos quidem Dauides in iudicio minimè resurrecturos, neque in consilium iustorum venturos ait: ij verò, qui parentibus diuino intinctis baptismate nati sunt, aquísque lustralibus veterem exuerunt hominem, tametsi coronis illis priuantur, *Mortis prœmaturæ caussa.* *Psal. 1.*

quibus redimiti ſunt athletæ, non ſine ſanguine & ſudoribus, qui in huiuſmodi certaminibus exantlari ſolēt, requie tamē illa nō excidunt, qua beati fruuntur; quæ quidem in multas & varias manſiones diuiſa eſt. Nō enim ex profeſſo, & melioris ſententiæ immutatione, ſed extemporaria potiùs certaminis interruptione, martyrij effectum perdiderunt. Quia verò primi parentes in ipſo flore ætatis confeſtim in mundum producti ſunt; Reſurrectionis autem is ſcopus & finis eſt, vt natura humana ad antiquam illam primorum parentum formationem reuocetur, iccircò & qui ſenio confecti ſunt, & qui vel cunis in ipſis animam exhalant, eadem ætatis menſura reſurgent; nec natura eis ob magnitudinis diuerſitatem immutabitur.

Reſurrectionis ſcopus.

**Triceſima quinta hæreſis, Collyridianorum. Hi vnguntur.*

COllyridianorum quoque hæreſis in Arabia pullulauit, initio à quibuſdam fœminis è Thracia & Scythia ſuperiore oriundis ſumpto. Hi maiore quàm par eſſet honore ſanctam Dei genitricem proſequētes, eam Dei nomine, & cultu præter rationem dignabantur; fœminiſque ipſis eidem ſacra facere, atque ſacrificium tāquam Deo offerre permittebant, quæ quidem fœmi-

næ curru seu vehiculo instructo, linteum quadrangulum pandebant, cui Collyridia, seu paruum panem imponentes, in nomine Mariæ sursum tollebant, atque ita ex eo cõmunicabant omnes, & aliis impertiebãtur. *Collyridia.*

Hæreseos præcedentis Confutatio.

NOn sine magna laude virtutes nominibus mediocritatum designatæ sunt: excessus autem & defectus pro honesti transgressionibus & optimæ cuique actioni contrariis semper habiti sunt. Etsi enim iisdem in ædibus habitent, vt ita dicam, aliæque aliis inhæreant, non tamen iccircò actionibus inter se conueniunt. *Mediocritas. Excessus. Defectus.*

Proinde qui diuino numini cultum maiorem impendet, quàm par est, quámque à piis viris acceperit, haudquaquam Deo acceptus erit, aut salutem hoc pacto consequetur, etiam si corpus comburendum tradat. etiam si bona sua pauperibus distribuat. imò ne magnum quidem quid fecisse dicetur; qui ad virtutem alia via aspirauerit, quàm quæ cælicolis arrideat.

Si quis enim ieiunij vires eas esse doctus, vt prauos affectus de medio tollat, eósque ingeneret, qui mediocritate sua laudabiles sint, eam continentiam nullo modo prosequitur & excolit, cuius capaces *Ieiunium.*

homines esse queant, sed frænis eius excussis, nimia imbecillitate corpus attenuauerit, animámq; ita miserrimè tandem efflauerit, seipsum potiùs occidisse, quàm ieiunio cum Angelis certasse videbitur. Quemadmodum neque Martyr, sed sui ipsius interfector censebitur, neque sanctitate illa dignus habebitur, qua fideles exornari solent, quicunque gladium in viscera propria distrinxerit, quasi hoc pacto pro Christi nomine mortem ferat, vt Martyribus accenseatur: Eodem etiam modo Collyridiani eius certè fidei, qua Christum venerantur, ergò amplexandi sunt: quòd verò Dei genitricem Deum existiment, eíque sacra faciant, sacerdotibus fœminis ad id destinatis, quibus ne templa quidem omnino patent, propter sordes illas, quas sibi à natura contraxerunt, sacri prorsus & intestabiles à fidelibus habendi sunt: nec quicquam lucri animæ suæ, meo quidem iudicio, acquirunt ex iis, quæ quadantenus piè gerere videntur. Illa enim propter aliorum improbationem, irrita quoque & prorsus inutilia euadent. Quoniam qui vnum legis mandatum antiquauerit, ita condemnatur, ac si totam legem transgressus esset.

Martyr.

Mulierum indignitas.

Alludit ad Iacob. 2.

** Tricesima sexta hæresis, Massalianorum, siue Euchitarum. Hi vnguntur, vt quibusdam placet, vel, vt aliis, baptizantur, quod quidem præstat.*

Hoc caput separatim excusum est in calce Dialogi Michaelis Pselli, De operatione Dæmonum, Eodem Morello interprete: qui dialogus ex eadem, qua Nicetas hic, C.V.D. Ioan. à S. Andrea Bibliotheca in vulgus emissus est.

MAssaliani ipsa notatione nominis Euchitas, hoc est Vouentes aut Precantes significant. Docent enim nihil aliud ad Dęmonas effugandos, animámque à prauis affectibus asserendam, orationis perseuerãtia efficacius esse. Iidem Euphemitæ quoque, hoc est fausta precantes, seu ore fauentes, item Martyriani, & Sataniani dicuntur. Euphemitæ quidem, quia cæteris orando & benedicendo Deo exercitatiores esse videntur. Martyriani autem, quia ex suis nonnullos ab Orthodoxis occisos Martyribus accenserent. Sataniani denique, quia Satanam fortem existimantes eum venerabãtur, ne mala in eis, vt dicebãt, operaretur. *Euphemitæ* *Martyriani.* *Sataniani.*

Massalianorum porrò hæreseos capita ex eorum libris excerpta hæc sunt. *Massalianorum hæreses.*

1 Quòd Satanas enypostaticè, hoc est re vera homini cohabitet, éique in omnibus dominetur.

2 Quòd Satanas & Dæmones humanũm animum possideant, humanáque adeò natura Spirituum nequitiæ cõsors & socia sit.
3 Quòd Satanas & Spiritus Sanctus homini cohabitent, quódq; ne Apostoli quidem à contraria energia, seu Dæmonum potestate, liberi fuerint.
4 Quòd neque baptismus hominem perfectum reddat, neque diuinorum mysteriorum perceptio animam expurget, sed sola, quæ ab illis censetur, oratio.
5 Quòd homo, etiam post baptismum, peccato inquinatus est, quódque non baptismi: sed orationis beneficio fiat, vt fidelis immortali illa & diuina veste fruatur.
6 Quòd amplexanda est apathia, hoc est perturbationum vacuitas, quódque Spiritus cõmunicatio sensu & reapse percipienda sit.
7 Quòd anima tali cœlestis huius sponsi cõsortio frui debeat, quali tum fruitur vxor cùm in viri amplexibus iacet.
8 Quòd qui Spiritu aguntur, peccatum & gratiam, tam operatam, quàm operantem interiùs & exteriùs videant.
9 Quòd reuelatio sit, quæ sensu & diuina hypostasi fiat, qualis est hæreseos.
10 Quòd ignis vim procreatricem habeat.
11 Quòd anima, quæ Christum sensu & omni operatione non habet, reptilium & ve-

nenatorum animalium,hoc eſt omnis contrariæ virtutis,habitaculum eſt.

12 Quòd natura malorū fons & origo ſit.

13 Quòd Maria & ſemen & Verbum cōceperit.

14 Quòd Adamus,etiam ante tranſgreſſionem, cum Eua citra vllam animi perturbationem concumberet.

15 Quòd homini duæ ſint animæ, quarū altera cæteris hominibus communis,altera cœleſtibus propria ſit.

16 Quòd fieri poſſit, vt homo ſenſu, hoc eſt reapſe, & omni operatione,Spiritum Sanctum ſuſcipiat.

17 Quòd orantibus crux in lumine apparere poſſit, quódque aliquando procerum quidam deprehenſus fuerit, cùm ad altare aſtanti tres panes oleo piſti apponerentur.

18 Quòd Maſſaliani opus omne auerſantur,quod manibus fit, tāquam Chriſtianos minimè deceat.

19 In parte verò inhumanitatem quoque in pauperes introducunt.Negant enim eos qui mundo renuntiauerint, vel omnino quicquam boni agere voluerint, iis quicquā erogare oportere, qui ſtipem publicè mendicant, aut deſertis viduis, aut iis, qui varia pericula ſubierunt,aut corpore mutilati,aut morbo afflicti, aut creditorum ſæuitiam,aut barbarorū excurſiones, aut alias id genus calamitates experti,rerum ſuarum

iacturam fecerunt, sed sibi ipsis, qui pauperes spiritu re vera sint, omnia suppeditanda esse aiunt.

20 His Ecclesiarum & altarium contemptum addunt, quasi eos qui pietatem profitentur, haudquaquam in Ecclesiasticis cõmunionibus perseuerare deceat, iis precibus contentos, quas ipsi suis in oratoriis Deo fundunt. Preces enim suas tanti ponderis esse dicunt, vt sibi & iis quos instituũt Spiritus Sanctus apparere sensu deprehendatur.

21 Fabulantur etiam decere, vt qui salui esse volunt, tandiu orent, nihil aliud prorsus agentes, donec peccatum, tanquam fumum aut ignem, aut draconem, aut id genus feram quamuis aliam, orationis vi abigi, à séque abscedere sensu percipiant, & vicissim Sancti Spiritus efficaciam sensu excipiant: manifestúmque introëuntis eius sensum animo deprehendant. Atque hanc demum veram Christianorum communionem esse dicunt.

22 Negant enim in Ecclesiæ baptismo, aut Clericorum electionibus, eos qui baptizantur, aut eliguntur, Sancti Spiritus participes esse: nisi suis ipsorum precibus studiosiùs communicauerint. Ita vt cuiuis, etiam sine baptismo, communicatio Spiritus Sãcti pateat: modò assiduè suis in cœtib[9] ver-

ſari,quæque ibi dogmata traduntur,ediſcere velit.

23 Vnde cùm Preſbyteri orthodoxi quædam illis obieciſſent, putà quòd fide, non ſenſu, nos Spiritus Sancti participes fieri cõfitemur, Illi ſuis precibus ſenſum quoq; Spiritus Sancti obtingere ſibi reſponderũt.

24 Tanto autem arrogantiæ faſtu efferũtur, vt eos qui ſecum Spiritus Sancti ſenſum percipiunt,beatos prędicent:tanquàm perfecti,& ab omni peccato liberi,denique meliores euaſerint: eoſdem etiam ſummo amore proſequantur, & colant, vt qui non ampliùs peccati periculis ſint obnoxij. Sed in poſterum quiete, ciborũ cupediis, omni largitionis genere, deliciis, honoribúſque fruātur. Quorum plerique apud eos huiuſmodi teſtimonium perfectionis adepti, inter externos (quos ne nomine quidẽ Chriſtianorũ dignātur) in varias obſcœnitates, pecuniarum furta, & ſcortationes inciderunt.

25 Hæc & pleraque id genus alia portẽta deſignāt, ita vt nuptias etiam legitimas facillimè diſſoluant & eos qui à nuptiis alieni ſunt,nõ ſecus atq; Monachos,ſecũ aſciſcũt, beatóſque prædicant. Atque adeò perſuadent,vt patre,matre, liberíſque (quos educare debuerant) poſthabitis, ad ſe cũcta comportent.

26 Seruos à dominis fugientes libenter

excipiunt: variis peccatis infames ad ſe accedentes, abſque vllo pœnitentiæ fructu, abſque autoritate ſacerdotali, abſque gradibus, qui canonibus Eccleſiaſticis præſcribuntur, ab omni ſe peccato quantocyùs expiaturos promittunt, ſi quis modò triuiales eorum preces apud eos meditatus extemporaneus nequitiæ ſacerdos euaſerit.

27 Itaque nonnullos, etiam antequàm à peccatis abſoluantur, ipſi ad Clericorum electiones adducunt, & ab Epiſcopis dolo perſuaſis manuum impoſitionem extorquent, quos nimirùm teſtimonio eorum ineſcant, qui apud eos Monachi cenſentur.

28 Id vt faciant, non eo adducũtur, quòd Clericorum gradus honorabiles iudicent, qui vel ipſos, quoties collubitum eſt, Epiſcopos contemptui habent, ſed vt poteſtatem & autoritatem ſibi comparent.

29 Nonnulli porrò eorum ne myſteriorum quidem communioni ſe vnquam interfuiſſe dicunt, niſi Sancti Spiritus præſentiam, quæ illa hora fiebat, apertè ſentirent, & experirentur.

30 Nec deſunt inter illos, qui ad virilia reſecanda, ſi qui fortè velint, exhortentur.

31 Separationes (quæ vulgò degradationes appellantur) facilè contemnunt.

32 Audacter iurant, & peierant.

33 Denique vel ſuam ipſorum hæreſin tacitè deteſtantur.

Hæreſeos præcedentis confutatio.

DEplorandi certè ſunt Euchitæ,propter multiplicem illam hæreſin, atque piorum precibus ſubleuãdi: vt tandem aliquãdo à temeritatis veterno excitati,Deúmque cognoſcentes, à ſtultis illis precibus abſtineant , atque dogmatum ſuorum fabulis longùm valere iuſſis,pietatem perdiſcant.

Vera enim dementia eſt,ſi quis exiſtimet enypoſtaticè,hoc eſt re vera,Satanã & Spiritum Sanctum homini inhabitare: cùm præſertim Deus hominem ex anima & corpore compoſuerit : alienúmque à Satanæ ditione, ſub ipſa mundi primordia formauerit. Idem enim ipſe cœlum quoque appendit & firmauit, qui hominum generi ſpiraculum vitæ dedit. Iam ſi Satanas homini cohabitaret,eíque συνενυπόστατος, hoc eſt re vera inſitus & immiſtus dominaretur, nunquàm à Sanctis calcatus increpatúſue, tanquam vile mancipium, nec aliter quàm miſellus paſſerculus ludibrio habitus fuiſſet. Aliàs etiam fieri non poteſt, vt apud vnum eundémque hominem duæ contrariæ virtutes,Sãctus,inquam, Spiritus & Satanas,ſimul conueniant.Nec enim illorum concurſus is eſt, qui accidere, aut vllo vnquam tempore contingere poſſit.Ille enim Deus eſt, & Angelorum creator, hic verò apoſtatica, maleficáque potentia, quæ pro-

Satanas à ſanctis calcatus. Piſides in fi. lib 2. Coſmurgiæ.

Spiritus ſãcti & Satanæ differentia.

pter insitam superbiam ab illo procul exu-
Luc.10. lat: & iuxta Domini verbum, tanquam fulgur vnà cum eiusdem rebellionis consortibus potentiis è cœlo decidit.

2 Diuino porrò baptismate, Christíq; mysteriorum perceptione, animam, vnam quidem illam, nec duplicis naturæ, vt Euchitæ nugantur, purgari, hominémque perfectum
Mar.1. reddi, ipsius Dei verbis constat, quæ remis-
Ioan.3. sionem peccatorum, spiritualémque cælitùs factam regeneratione, baptismum vocant. Diuina quoque munera cibum esse
Baptismus & Eucharistia. nouimus, qui nunquam absumatur & pe-
Exod.16. reat: qui manna ipso longè sit melior. Hoc
Ioan.6. enim Hebræi Ægypto exeuntes in solitudine comederunt, & mortui sunt: illa verò immortalitatem conferunt: multóque meliùs animam ab animalibus maculis inhærentibus expurgant, quàm carbo
Esai.6. ille, qui forcipe à Cherubin Esaiæ oblatus est. Vt vno verbo absoluam, nihil aliud illa sunt, quàm copula quædam cum Chri-
Ioan.6. sto, veráque vitæ causa. Christus enim in Euangeliis dixit. Qui manducat meam car-
Ibidem. nem, in me manet, & ego in eo. Item, Nisi mãducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis.

Oratio sine pietate Deique cognitione inutilis. 3 Oratio autem virtutibus coniuncta, quæ ad piam vitam introducunt, gratiam Spiritus conseruat, quæ per lauacrum regenerationis

tionis & participationem corporis & sanguinis Christi, iis qui ea digni sunt infunditur. Nec verò sola per se ad fidei fundamétum assumenda est: nec ad salutem precantium quicquam confert. Quò enim referetur oratio, nisi pietas illam, Deique cognitio præcedat? quem quidem sensu, hypostasi, & perspicuè videre nemini adhuc eorum cótigit, qui terreni corporis ergastulo coërcentur. Paucis certè, iisque expurgatis, eum tanquam in ænigmatis & visionibus obscuris apparuisse constat. Quandoquidem Moses, cùm petiisset, vt Deum videret, audiuit, Nemo videbit faciem meam, & viuet: vnde dignus etiam habitus est, qui posteriorum partium aspectu frueretur, quæcunque tandem posteriores Dei partes sint: qui in columna nubis, caligine, & turbine venti Mosen, & iustos eum subsecutos allocutus est. Idem etiam Deus vnus est, qui vna in diuinitate, & hypostaseon Trinitate dignoscitur: quem in Patre, Filio, & Spiritu, adoramus. Atque Mosi quidem & Prophetis personarum Trinitas obscurè retecta est: in vltimis verò temporibus cùm Filius Dei nostram assumpsit corruptionem, vnius diuini & æterni principij cognitio orbi terrarum clarè innotuit.

Deum nemo vidit vnquã.

Exod.33.

4 Porrò si quis dicat malum ἐνυπόστατον esse, hoc est re vera cósistere, quid aliud hoc est, quàm eorum impietas, qui bono Deo

malam quandam potentiam opponi,& tá-quam contrarium quid, vnà cum eo quasi ex aduerso comparere,censent & profitentur?quod nullo modo fieri potest. Bonum enim & malum mutuò se vicissimque perimere constat:quia nimirùm sibi inuicem irrequietè repugnant, & infirmius à fortiore corrumpitur. Quòd si quis æquo illa pondere existimet, perpetuo inter se bello dimicare,atque ex consequentia mutúam sibi assiduè perniciem inferre deprehẽdet: cùm alternis vtraque vincant & vincantur. Qui enim cuncta in rerum naturam produxit, honesta & bona omnia creauit, vt qui honestus & bonus esset. Neq; enim vita mortem generat, neque lumẽ è tenebris oritur. Quî fieri ergo potest, vt malum à Deo minimè creatum natura enypostatica, seu per se subsistente præditum sit? Malum certè

Malũ quid. esse nemo ibit inficias. Id autem viuentem & animatam substantiam,aut naturam nequitiæ parẽtem,esse negamus: sed affectionem in anima iccircò virtuti repugnantem asserimus,quia ab honesto & bono lapsa sit, quæ quidem ignauis innascitur,non extrinsecus,aut præter animi voluntatem:alioqui neque legibus in facinorosos pœnæ decretæ:neque supplicia in eosdem à iudicibus illata fuissent. Quòd autem malum nec in rerum natura consistat, nec à Deo productum sit, nec eidem ex aduerso repugnet,

hinc perſpicuum fiat. Ex honeſti tranſgreſſionibus malum oritur: non ſecus atque ſecedente lumine tenebræ ſuccedunt: atque ex boni declinatione progreſſus ad malum naſcitur. Virtutes enim ſingulæ cùm affixum ſibi vitium habeant, niſi inconcuſſæ firmæq́ue maneant, cõtrarium vitium ſubſtituũt: quemadmodum corpus quod ſplẽdori Solis obtenditur, vmbram. Verbi gratia, cùm fortitudo tanquam virtus mediocritas ſit, contrarietates vtrinque, timiditatem, inquam, & audaciam, tacitè ſubſtitutas habet. Quandiu ergo firma & cõſtãs, ſuóque nomine digna manet, timiditati & audaciæ nullus ſupereſt locus. Harum verò alterutra obrepente, illa obſcuratur, venerabiléque nomen amittit: atque adeò tanquam inaudita perit, & vitia à ſe efformata ſubſtituit: vt arcum in nubibus hypoſtaſi propria carentem: atque in Sole parelium ſeu virgam, quos vulgus ſoles vocat, videre eſt.

Malum ex bono vt tenebræ ex lumine.

Fortitudo. Timiditas. Audacia.

Iris.

Parelius.

5 At verò, quid adeò malum dici poteſt, quod non ij deſignent, qui opus omne defugiunt, nulliq́ue alij rei vacant, niſi vt ea comminiſcantur, quæ à vero prorſus aliena ſint? Cùm enim ſtatim à trãſgreſſione hominem Deus in labore & ſudore panem ſibi comparare iuſſerit, Paulúſque apertè exclamet. " Qui non laborat, non manducet, hi opus inter peccata recenſuerunt. Iam ſi

Geneſ. 3.

omnes homines, vt isti volunt, orationi sine intermissione vacarent, nec eorum quicquam curarent, quæ ad corporis constitutionem pertinent, fame prorsus enecti mortem omnium maximè miserandam obiissent. Sed dices, ô Euchita, te herbis & fructibus spontè per anni partes enascentibus esse contentum, quid? cùm illa colligis, nónne operaris? nónne à perpetuis illis precibus ad tempus supersedes? non secus atque, quò per otium liceat ori tuo esculenta suggerere, cantiones illas & preces in tuam perniciē à te cani solitas, intermittis? Absit enim, vt eas te Deo canere dicam.

6. Vt autem intereà dum ab omni opere cessandum, & assiduis precibus inuigilandum esse doces, persuadeas iis, quos tuis initiasti mysteriis, vt in te solum, qui orationi inuigiles, spirituque pauper existas, beneficentiam exerceant, nulliúsque prætereà misereantur, Christum quoque testem allegas, qui citra delectum in vnumquenque eleemosynæ bonum extendendum esse tradi-
Matt.5. dit, vt hoc pacto Patrem imitemur, qui in
„ cœlis est, qui solem suum oriri facit super
„ terram, quamcunque suo lustrat lumine: &
„ pluit super iustos & iniustos. Nisi enim eius te misereat, qui vulneribus scatet: eum vestias, qui nudus oberrat: eum denique nutrias, qui fame contabescit: in quémnā, quæso, alium beneficus Deum coles? an in tei-

psum? atqui hoc misericordia non est, sed diuitiarum cõseruatio, moresque hominis, qui mutuo nullum amore prosequitur, imò etiam priuata quædam ingurgitatio, quam nemo non vitio vertat. Absit verò à nobis tanta inhumanitas. Diabolica hæc doctrina, & à Christi præceptis aliena est.

7 Quo nam autem artificio, heus tu, interim dum orationi vacas, peccatum tuum fumi & ignis, siue cruenti etiam draconis instar, tuo excedere corpore videbis? nullo prorsus: nisi dæmonum, quos colis, aliquis te solita væsanum adigat impostura, vt præstigiis huiusmodi credas, cuius etiam dolis fit, vt mente captus precibus tuis plus ponderis, quàm diuino baptismati, attribuas: manuúmque impositionem, quæ sacerdotali ad consequendam peccatorum remissionem fit excellentior, & sola diuini Spiritus accessum suggerat: qui certè baptismus à nobis Orthodoxis initium & fundamentum fidei censetur: atque adeò causa, quæ diuum ad nos Spiritum alliciat: vt confirmare possum ex manuũm impositionibus, quæ in discipulis Christi post baptismum, tam efficaces fuerunt, vt palàm Spiritus descenderet. Idem Virgini quoque Mariæ inhabitans eam præparauit & sanctificauit, vt ab ea nõ secus atque diuino templo, Verbũ Dei cõciperetur: & ita nostræ salutis primitias Spiritus operatus est, simul atq; Virgini

Baptismi excellentia.

Manuũ impositio.

Maria Dei templum.

virtus Altissimi, Patre ita volente, obumbrauit.

8 Quòd verò semen in Virginis vterum vnà cum Verbo immissum fuisse fabularis, id à nullo rerum diuinarum interprete vnquam accepimus: aut tu figmenti huius solus autor es, qui certè tanquam malum & ingratum semen, vanísque sermonibus gaudés, emersisti. Iniquissimè porrò naturá quoque diuinam mutationi obnoxiam esse, atque iccircò animis, qui ea digni sint, cõmisceri dicitis. Atqui rerũ earum, quæ createę sunt, mutatio dicitur: quæ vel volũtate mutantur, vt Angeli, & animæ pro vt in bono proficiunt, & ad malum mouẽtur: vel quia creatæ & mutationi obnoxiæ sunt, vt quicquid corrũpitur & interit: qualia sunt, quæ in mundo cernuntur omnia. Deus autẽ neque creatus, neque mutationi obnoxius est. Quia enim essentiæ eius ratio iis contraria est, quæ generationi obnoxia sunt, ea de causa nec iis subiicitur, quibus illa subiici solent. Illa enim mobilia sunt, hic autem natura immobilis est: & supra motus à Philosophis descriptos, quantitatis, qualitatis, & loci expers: modis denique omnibus immutabilis.

Mutabilia quæ sint.

9 Quàm verò impium hoc quoq; dicitis quod humaná naturam Deus Dæmonibus seruire voluerit: hinc enim Deũ quoq; autorẽ malorũ esse inferri posset. At nõ ita se res

habet:imò verò hominem sui iuris,& à Dęmonum cõsortio & consuetudine alienum Deus efformauit. Dæmonas porrò potestatẽ natura nõ solũ in homines,sed ne in bruta quidẽ exercere posse,vel hinc patet,quòd illi iussu Christi in porcos ingressi sint. Verumenimuerò Paulus quoq; sic ait. Non est nobis certamen aduersus sanguinẽ& carnẽ, sed aduersus principatus,aduersus potestates,aduersus spiritualia nequitię mundi huius,quasi nobis cum illo conferre pedẽ formidãtibus animos addẽs,atq; his verbis exacuens. Assumite armaturam Dei,vt possitis resistere insidiis aduersarij diaboli. Enumerata deinde armatura,hæc quoq; subinfert. Estote præcincti lumbis vestris in veritate, & induti thoracẽ iustitię,calceatíque pedes in prępàratione Euãgelij pacis. In omnibus assumẽtes scutum fidei, in quo poteritis omnia tela maligni ignita restinguere. Item, Galeam salutis assumite,& gladiũ Spiritus, quod est verbum Dei. Si quis hac armatura pręmunitus fuerit,quæ telorum iactibus ita resistit,tantóque fulgore resplẽdet,quis dæmon cõtrà occurret,nec potiùs auersus aufugiet? in primis si talibus armis instructus orationẽ & ieiuniũ asciscat? orationem, inquã,non qualẽ vos curiosiùs exercetis, quæ re vera inutilis est, nec effugãdis dæmonib' idonea. Quî enim fieri potest, vt qui infidelitate gestiat,nec baptismate sit expiatus,

Matth. 8. *Ephes. 6.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ibidem.*

ieiunio & oratione dæmonas eiicere possit, quamlibet famę disrumpatur, aut orationis vehemētia præfocetur? Quorū enim fides reproba & infirma est, eorundē quoq; opera inutilia sunt. Quòd si Deus, vt dicitis, naturā humanā dæmonum cōsortem ratione trāsgressionis esse voluerit, quî fieri, quæso, potuit, vt Christ⁹ naturā humanā, vsq; adeò peccato subiectā, vsq; adeò dæmonibus obnoxiā, assumpserit? ita vt ipse quoque malignorum aduersorúmque spirituum contubernalis deprehenderetur? At hoc quidē maximè impium est, imò à dæmonibus ipsis inuentum, & excogitatū. Hominē certè trāsgressionis ergò morti adiudicauit. Iam naturis morti obnoxiis morbi obrepunt. Porrò vel hoc pacto ea potestate præditus homo est, vt dæmonibus insultare, seque ex illorū laqueis expedire possit, si modò Dei præceptis obsequi pergat, eiúsque mādatis obtēperet. Dæmonibus hoc vicissim datum est, vt cū camo & fræno, quibus nos à Deo distrahūt, aliquādo nobis ob oculos proponāt, aliquādo clā suggerāt, aliquādo deniq; dolosè simulent, tacitéq; obtrudāt quæcūq; à recto tramite in præcipitia trahunt.

Homini quid à Deo concessum.

Dæmoni quid concessum.

Apostoli.

10 Papæ! quantùm deliratis etiam, cùm ne Verbi quidem mystas & comites à dæmonum potestate liberos fuisse dicitis! eós ne, ô ter execrandi, qui dæmonas eiiciebant? qui vel solis vmbris infirmos cura-

bant? qui dæmonas sæpenumerò non secus atque vilia mancipia increpabant? qui scorpios & serpentes, omnem denique inimici potentiam pedibus proterebant? O scelus nulla vnquam venia dignum! ô dictum ab omni ratione alienum! cuius autores digni sunt, qui pugnis conficiantur?

11 Quemadmodum ij quoque, qui dicunt, ab eorum anima, qui quòd ἀπάθειαν adepti sunt, perfecti apud vos habentur, tale consortium ex cælestis sponsi præsentia percipi, quale fœmina ex mariti complexu percipere solet. O apertam dementiam, seu potiùs comparationem maximè omnium absurdam! si saltem ignorent se rebus diuinis & castissimis eò contumeliam adferre, quòd eas cum pathicis & venereis illecebris conferãt: puerilíumque cylindrorum fluxus effrænata sua audacia cõiunctionibus iis adaptent, quæ ab effectibus huiusmodi alienissimæ sunt. si denique res diuinas præ imperitia cum humanis comparent.

12 Nec verò à prædictorum blasphemia abhorret, quòd dicitis animã eius, qui priùs sit ἀπάθειαν consecutus, in diuinam transmutari naturam. ita vt vestra illa decantatissima oratio eos etiam qui Dij natura sunt proferre, atque gregatim apud vos, ô ridiculi homines, quasi quibusdam stabulis simul includere norit: qui non solùm Deorum Græcorum multitudinem numero superet,

ſed etiam quia gradus eorum in primis accubitibus conſiſtant, in eóque quòd ſedes primas in cœnis & cœtibus hominum venentur: ita vt hoc pacto rurſum mortales euadant, nec iam vlla in admiratione ſint, ſed miſerabiles potiùs videantur, ob deificationem illam, quæ in ore eſt omni populo.

13 Prætereà fieri poſſe dicitis, vt homo qui ἀπάθειαν veſtrā ſit adeptus, diuini Spiritus hypoſtaſin ſenſu ipſo, & perſpicuè percipiat. Hoc autē quî, quæſo, fieri poteſt? quóve fidei anteiacto fundamento? Nam nos etiā dicimus & credimus, quòd iis qui expiatione legitima expiati ſunt, neſcio quæ, non dicam hypoſtatica ſeu perſonalis deſcenſio, ſed Patris, Filij, & Spiritus, præſentia obtingit: pro vt Dominús quoque dixit, Ego & Pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus, & pro vt homo Dei capax eſſe poteſt. Porrò non eà eſt creatæ naturæ vis, vt diuinitatem intueri queat, pro vt natura ſe habet, quia nimirùm immenſa & infinita eſt.

Ioan. 14.

Syneſ. περὶ προνοίας in prin ſup. li. 2

14 Quid verbis opus eſt? Græcorum certè fabulamenta redoletis, cùm homini duas eſſe debere animas contenditis, quarum altera hominibus communis, altera verò cœleſtis exiſtat. Verumenimuerò nulla huic cō mento ſubtilitas ineſt. Illi enim alteram luminoſam, alteram tenebricoſam, eſſe dicūt.

Cęterùm ambas simul vni eidémque homini nõ attribuunt, sed vicissim, & alternatiuè.

Vos autem hoc quoque dicitis, quod auditoribus tædium adferat. Inspirauit enim, " vt Moses ait, in faciem eius spiraculum vitę. " Hæc iam vna est anima. Christus item in Euangeliis inquit, Nolite timere eos, qui occîdunt corpus, animam autem occidere nõ " possunt. Et Paulus in Troade, vbi de Eutychio illo verba facit, qui de tertio cœnaculo deciderat. Nolite turbari, anima enim " ipsius in ipso est. Sed nullus adhuc aut inter Christiani dogmatis homines, aut inter externos inuentus est, qui δίψυχον hoc est anima duplici præditum hominem esse dixerit.

Gene.2. *Matth.10* *Act.20.*

Præter illa, quæ à me adducta sunt, fama circunfertur, εὐνουχισμὸν, hoc est virilium membrorum exectionem illis apud vos haudquaquam accenseri, quæ procul à cœtibus hominum aspellenda sint.

Vellem igitur, quamuis huiusmodi voto natura humana mutiletur, & adulteretur, vt vestra synagoga ab iis omnibus excindi posset, quibus natura membrum illud arrexit, atque ita generis successione priuati pessum prorsus cum vestris dogmatis daremini.

[*Appendix de Massalianorum hæresi, ex historiis Theodoriti. quam initio Græci exemplaris præfixam reperi, hícque tanquam suo loco reposui.*]

VAlentini Valentísque Cæsarum temporibus hæresis Massalianorum exorta est. Euchitas eos vocant ij, qui nomẽ Græcè conuertunt.

Euchitæ.

Aliam porrò è re nata sortiti sunt appellationem. Enthusiastæ dicuntur, hoc est diuino furore perciti. Dæmonis cuiusdam energiam experiuntur, quam Sancti Spiritus esse autumant. Hoc morbo quicunque perfectè laborant, opera quidem, quæ manibus fiunt, tanquam mala auersantur: somno autem indulgentes ea quæ in somnis vident Enthusiasmi, hoc est furoris diuini, nomine dignantur.

Enthusiastæ.

Huius hæreseos autores præcipui fuere, Didoïs, Sabas, Adelphius, Hermas, Symmias, & aliquot item alij, qui nihil quicquã ꝓdesse aut nocere diuinã mysteriorũ sumptionem asserunt, de qua Dominus hæc dicit, Qui manducat meam carnem. Latêre autem conati, vel post impudentiæ suæ redargutiones, eos abnegant, & à se abdicãt, qui ea oderunt, quæ in animis ipsi circunferunt.

Ioan. 6.

Letoïus tamen Melitenensis Ecclesię Presul, diuino extimulatus zelo, cùm pleraque

Letoïus Melitenensis Episcopus.

monasteria, seu potiùs latronum antra, hac iniqua hæresi laborantia compeiisset, ea incendit, atque lupos ab ouili procul abegit.

Celeberrimus ille quoque Amphilochius, cui consimiliter Lycaonum metropolis commissa fuerat, eíque genti vniuersæ præerat, cùm ibi hanc imminere luem resciuisset, insurrexit denuò, atque ouilia dominio suo subiecta hoc ab errore asseruit. *Amphilochius Iconij Episcopus.*

Clarissimus insuper Antiochenorum Archiepiscopus Flauianus, cùm illos Edessæ agere, insitúmque in eos qui ad se propiùs adirent virus eiaculari accepisset, classe Monachorum dimissa, eos Antiochiam venire iussit, vbi morbum inficiãtes hoc modo deprehẽdit. Accusatores quidem adesse, testes verò falsos esse dicebat. Adelphio autem, ætatis iam decrepitæ viro, blandè & comiter iuxta se sedere iusso, Nos, inquit, ô senex, cùm maiorem vitæ partem iam traduxerimus, exactiorem quoque humanę naturæ cognitionem adepti sumus. Aduersariorum dæmonum vaframenta nouimus: quî denique gratia dispensetur & contribuatur, experti didicimus. Hi verò quia iuuenes sunt, nec horum quicquam exactè norunt, iccircò spiritualis sermonis auditionem ferre non possunt. Quocirca dicito mihi, quónam modo aduersarium Spiritum decedere, sanctissimíque Spiritus gratiam succedere dicitis? *Flauianus. Adelphius Massalianus Senilis prudentia. Iuuenilis temeritas.*

His ſenex ille delinitus, omne venenum quod in pectore deliteſcebat euomit. atque ait, Nihil emolumenti ex baptiſmo illis accedere, qui eo initiantur, ſed ſola oratione ſeria familiarem abigi dæmonem.

Vnumquenque enim eorum, qui à primo parente deſcenderant, quemadmodum naturam, ita & dæmonum ſeruitutem traxiſſe dicebat. Quibus ſeria oratione abactis, deinceps ſanctiſſimus ille ſuperueniret Spiritus, eáque præſentiæ ſuæ ſigna daret, vt ſenſu viſúque percipi poſſent. atque ita corpus ab affectuum perturbationúmque motu aſſereret. animámque prorſus confirmaret, ne ad deteriora prolaberetur. ita vt in poſterũ neque ieiunio corpus affligtante, neque diſciplina coërcẽte, rectúmque tramitem demonſtrante, cuiquam opus eſſet. Nec verò duntaxat eum, qui horum compos factus eſſet, à corporeis titillationibus liberari, ſed futura etiam perſpicuè præuidere, imò verò diuinæ quoque Trinitatis conſpectu frui profitebatur.

Cùm ergo Diuus Flauianus hac arte maleolentem fontem effodiſſet, aquarúmque ſcaturigini alueum præſtrueret, impio ſeni reſpondit. Inueteratę, quæque multos iam dies durauit, nequitiæ, os te tuum coarguit, non ego. Labia autem tua cõtra te teſtimonium tulerunt.

Suo indicio perit ſorex.

Cùm ergo morbus hic paſſim innotuiſſet,

illi quidem Syria expulsi sunt, at in Pāphyliam secesserunt, eámque lue insita infecerunt.

Ego verò hæc quoque ab illis & dici, & doceri, referente quodam, qui ab eis seductus fuerat, viro literato, & apud Pontificem instituto, accepi, qui quomodo erga me sit affectus, ignoro. Se enim ab illorum Doctore, monasticis vestibus induto, atque ad sacerdotium proueсto, & sanctorum Euangeliorum librum præ manibus habente, his compellatum verbis referebat.

Quid ais? ô bone, Christianus ne es, Christi baptismate intinctus? Tum qui interrogabatur, respondit. Certè, Christi gratia, parentibus Christianis natus sum, ab ipsáque adeò ætate infantiæ sacro ablutus baptismate. Tum vitij sophista subiecit. Quónam tempore id, à quibus, & vbi? Rursum pius ille, In Dei Ecclesia, inquit, addito Pōtificis nomine, qui tunc Ecclesiæ præerat, in qua natiuitatem quoque sortitus esset, nécnon Imperatoris, qui tunc temporis ea, quæ Imperij erant, administrabat, adiicítque se in nomine Patris, & Filj, & Spiritus Sancti baptismum suscepisse, quemadmodum in Euangeliis Christus autor fuit. Tunc alter ille ore impuro, subdoláque mente subdidit. Sed baptismus ille introductitius aqua constat.

Eo autem de quo discipulis suis Christus

Matth.3. *Act.1.* ait, Vos autẽ baptizamini in Spiritu Sãcto, & igne, accedito propiùs, vt te baptizem, gratiámque Spiritus inhabitantem tibi cognoſcas. Cæterùm alter ille hunc imitatus, impoſtor & ipſe euaſit.

[Hactenus Appendix ex Theodorito.]

** Triceſima ſeptima hæreſis, Cerinthianorum.*

CErinthus hic ſe magnis initiatum reuelationibus Angelis nimirùm magiſtris, regnum Chriſti poſt reſurrectionem terrenum fore, Hieroſolymámque denuò carneis cupiditatibus, deliciis, feſtiuis diebus, & nuptiis fruituram per mille annorum ſpatium dicebat, *Polycarp.* Diuus autem Polycarpus martyr autor eſt, contigiſſe aliquãdo, vt cùm Diuus Ioannes Apoſtolus lauandi corporis gratia balneum adiiſſet, ibíque Cerinthum lauari reſciuiſſet, exiliens confeſtim è balneo ſe in fugam proripuerit, & comites idem vt facerent exhortatus ſit, ne fortè balneum corrueret, in quo veritatis aduerſarius Cerinthus eſſet, & ita omnes protererentur.

Aiunt etiã Cerinthum eius tumultus autorẽ fuiſſe, cuius *fortè Ignatius.* Iacobus in Epiſtola ad Antiochenos meminit his verbis. A nobis exierunt, qui nos conturbant. *act. 15* Idem cum Petro de Cornelio contendiſſe fertur. aliàs Pauli aduerſariis eius ſeditionis autor fuiſſe videtur,

tur, quæ cùm ille caput radendum tradidit, Hierosolymis in templo exorta est. Idem Christum cruci quidem affixum fuisse fatetur, at resurrexisse pernegat. Sed tum demum resurrecturum asserit, cùm vniuersalis illa Resurrectio fiet. *Act. 21.*

* *Hæreseos præcedentis Confutatio.*

SVfficiebant impurissimo Cerintho, ad propriæ vanitatis & impietatis confirmationem, non ea solùm, quibus in Christũ blasphemus fuerat, verumetiam quia illum discipulus cognomento Theologus auersabatur, & vsq; adeò refugiebat, vt ne in illius quidem conspectum diuinus ille vir, qui supra pectus Domini in cœna recubuerat, venire vellet. *Ioan. 13.*

Annorum porrò χιλιὰς, hoc est milleniarius numerus, mendacium Sole clarius est, & reprobæ Cerinthi cogitationis fœtus. Cũ enim nos à resurrectione Christus neq; cibum sumpturos, neque bibituros, neque nuptias cõtracturos, neque nuptum collocaturos dicat, verùm Angelis Dei similes futuros asserat, quis adeò temerarius, audax, & à libera Christi veritate alienus esse velit, vt terrenum illi imperium, amicisque cum illo à morte resurrecturis aliquando futurum pronuntiet? vel, cuínam, precor, vsui resurrectio esse queat, quæ quidem, si *Matth. 22.*

denuò corporum concubitus, ciborum cupediæ, affectuum denique tædia inter homines, vt anteà, locum habeant, nihil spirituale, nihil quod diuiniorem illam conditionem redoleat, nihil denique à terrena conditione alienum, quæ corporalium motuum excitatione constat, habitura sit?

Humana cōditio.

„ Quòd si nondum Christus resurrexit, „ quomodo primogenitus ex mortuis dicitur? Quis item ille, qui discipulis apparuit, ab iisdem palpatus est, & tandem cum corpore in cœlos ascendit?

Coloss. 1. *Ioan. 20.*

Vnam porrò mortuorum resurrectionem esse futuram diuina testantur oracula, „ quæ nunc quidem Christum his vtentem verbis introducunt, Sed veniet hora, & „ nunc est, cum mortui audient vocem Filij „ hominis: & omnes qui audierint resurgēt. nunc verò forum iudiciale pandentem, vt iustos ab iniustis secernat (quemadmodum pastor quoque oues ab hircis segregat) atq; hos à dextris, illos verò à sinistris statuat: atque his quidem regnum ante constitutionem mundi præparatum largiatur, illos verò in ignem demittat, qui diabolo præparatus est.

Ioan. 5.

1. Cor. 15. Quin & Christi præco Paulus ad Corinthios ita scribit. Christus à mortuis resurre„xit primitiæ dormientium, & paulò pòst. *Ibidem.*
„ Ecce mysterium dico vobis, omnes qui„dem resurgemus, sed non omnes immu-

tabimur. In momento, in ictu oculi, in "
nouissima tuba. Nam tuba canet, & mor- "
tui resurgent incorrupti, & nos immutabi- "
mur. Oportet enim corruptibile hoc indue- "
re incorruptionem. "

Proinde abeat in malam crucem Cerinthus, qui ea tantùm scrutatur, quæ in cute & superficie apparent, nec ab iis, quæ hîc sunt, ea quicquam differre putat, quæ illic esse feruntur. νοῦς Ἀρμάτινος ὤν.

Tricesima octaua hæresis Ecetarum. Hi vnguntur.

ECetæ Monachi sunt, qui cæteris in rebus cum vniuersis Christianis rectè sentientes in hoc tãtùm dissentiunt, quòd cùm fœminis & monialibus in monasteria conueniant, ibíque cum quadam chorea & saltatione Deum hymnis & canticis celebrẽt: ad illius nimirùm choreæ imitationem, quã sinu maris rubri traiecto Moses & ei⁹ soror Maria instituerunt.

Hæreseos præcedentis Confutatio.

VEtera præterierũt, ecce noua facta sunt omnia, literáque decedens Spiritum libertate donauit. Itaque non iam nobis, qui Spiritu agimur, aut chori instaurandi, aut cantica concinenda sunt. sed potiùs Deum corde confiteri, eiúsque magnifica opera ore canere, stantes in templis cum ti-

more & habitu religionis indice, nos addecet. Negare obiter possumus fœminas post Ægyptiorum submersionem viris permistas saltauisse, vnáque cum illis Deo gratias concinuisse. Mosen enim seorsum cũ viris Canticum traiectionis cecinisse, sororem verò eius Mariam cum cæteris fœminis choreas instaurasse vero similius est. Ex quo fit, vt quæ ab Ecetis designantur, præterquã quòd ab antiquitate illa discrepent, à sanctorum quoque Patrum, & à nostris ipsorum traditionibus aliena sint.

** Tricesimanona hæresis, Gnosimachorum. Hi vnguntur.*

GNosimachi cuiuis Christianismi cognitioni & sciẽtię resistunt, illósque frustrà laborare asserũt, qui sacris in scripturis sciẽtiam vllam aut cognitionem inuestigant, cùm præsertim à Christianis Deus præter bona opera, nihil requirat: vt sit satius, si quis simpliciùs ambulet, nec curiosiùs quicquam perscrutetur.

Opera bona.

** Hæreseos præcedentis Confutatio.*

QVilibet Gnosimachis ita respondere potest. Ecquónam modo quis scripturarum sacrarum, earum præsertim, quæ obscuritatis caligine inuoluũtur, sensum explicare poterit, nisi aliqui præstò sint, interpretes, quos Spiritus profunditas non lateat? quo

Interpretes scripturarum necessarÿ.

Itaque si, ex erroneæ traditionis vestræ regula, lectione sacratum scripturarum contenti, nulla scientiæ & cognitionis habita ratione, vitam nostrã instituissemus, quid tandem, quæso, vtilitatis ex ipsis reportassemus? aut quonam modo quod credimus, id oratione sciscitantibus explicare potuissemus?

** Quadragesima hæresis, Thnetopsychitarum, hoc est eorum, qui animarum immortalitatem negant. Hos confutat Origenes apud Eusebium lib.6.cap.26.Hist.Eccl.*

THnetopsychitę hominum animam, animæ brutorum similem esse, atque vnà cum corpore interire asserunt.

Hæreseos præcedentis Confutatio.

FAlsa sunt ergo, si huic traditioni locus detur, quæcunque de iudicio futuro & decantatissima illa resurrectione traduntur. Nam si mortales sunt animæ, nullo prorsus modo in iudicium resurgent, nec vniuscuiusque opus quale est ignis probabit, vt magni illius præconis Pauli verbis vtar. *1.Cor.3.* Iam quî fieri possit, vt animæ mortalitati subiiciantur, cùm tot mortui à Christo, Prophetis, & Apostolis, excitati sint? Si enim mortales fuissent, in corpora certè propria nunquam remeassent. Imò verò animæ sunt immortales, vt sacræ

passim testantur literæ, de quibus sigillatim disserere superfluum fuerit, vt omnes facilè norunt. Quinetiam ij qui de mundi origine conscripti sunt libri, inter hominum & brutorum animas discriminis hoc statuunt, vt brutorum anima sanguis eorundem dicatur, & vnà cum corpore intereat: hominum verò animæ spiraculi diuini nomen attribuitur: quod quidem spiraculum animam rationis & intellectus participem, atque adeò immortalem dicimus.

Brutorum anima. *Hominum anima.*

Aliàs verò communibus omnium & notionibus & opinionibus dogma huiusmodi repugnat. Communi enim gentium, quotquot sunt, consensu, immortales esse animæ videntur: multíque adeò Necyomantię studiosi animas euocarunt, & de rebus futuris percontati sunt.

Aristoteles θνητόψυχος.

Aristoteles ergo, & quisquis illum secutus Thnetopsychicus, animam mortalitati obnoxiam lana redimitus, vnguentóque delibutus, hirundinum more asserit, ab eorum cœtu explodatur, qui Christo nomina dederunt. Nam Christus à mortuis surrexit, & fore pollicitus est, vt & nos aliquando resurgamus.

Quod autem Solomon ait, Quis nouit

Ecclesiast. 3.

si spiritus filiorum Adam ascendat sursum,
„ & si spiritus iumentorum descendat deor-
„ sum? Id verò longè aliud est.

Nec enim de hominibus & brutis co in

loco verba facit, quatenus hominum anima rationis: brutorum autem vitæ tantùm, ídque ſanguinis beneficio, particeps eſt. nec horum quicquam à morte ſupereſt: aſt vnà cum corpore anima quoque ipſa diſſoluitur.

Hominum porrò filios hoc loco eos in primis vocat, qui ex rationis præſcripto vitam inſtituunr, & ſuis affectibus imperant, eos contrà, qui in terram cernui & obſtipi procumbunt, cum iumentis confert Solomon idem ille, qui Iuſtorum animas in Dei manibus eſſe alio in loco aſſeruit. *Hominum filÿ.* *Sapien 3.*

* *Quadrageſima prima hæreſis, Chriſtolytarum, hoc eſt eorum, qui Chriſti naturam deſtruunt.*

CHriſtolyti Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum poſt reſurrectionem à mortuis, animato corpore ſuo in terris relicto, vnà cum nuda & ſimplici Diuinitate in cœlos aſcendiſſe contendunt.

* *Hæreſeos præcedentis Confutatio.*

ATqui Angeli, qui Apoſtolis tunc temporis apparuerunt, quo Chriſtus cum corpore in cœlos aſcendit, ita dicebant, Viri Galilæi, quid admiramini ſuſpicientes in cœlum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vo- *Act. 1.*

bis, ita veniet rurſus, quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum.

Stephanus Martyrum anteſignanus *Act.7.* Sed Martyrum quoque Anteſignanus Stephanus, cùm iamiam ſaxis à Iudæis adobruendus eſſet, Ecce, inquit, video cœlos
„ apertos, & Filium hominis ſtantem à dex-
„ tris Dei.

Filius hominis. Filium Dei vocat, non qui relicto corpore, cum ſola & ſimplici diuinitate aſcenderit, ſed qui carnem ſecum in cœlos aſcẽdens aſportauerit.

Quod niſi ſe ita res habuiſſet, corpore cer-
Marc.10. tè exutum Dei Filium dixiſſet. Euangeliſta
„ porrò ait, Dominus quidem poſtquàm lo-
„ cutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſe-
„ dit à dextris Dei. Aſſumptus eſt, inquam, eo cum corpore, cum quo paſſus fuerat, reſurrexerat, ſéque diſcipulorum manibus cõtrectandum præbuerat.

** Quadrageſima ſecunda hæreſis, Ethnophronum, hoc eſt eorum, qui Gentiles ſuperſtitiones affectantur.*

Ethnophrones, hoc eſt Gentilium rituũ, & ſuperſtitionum imitatores, vt cæteris in rebus cum Chriſtianis Orthodoxis conueniãt, in hoc certè diſſentiũt, quòd Gẽtilis ſuperſtitionis ſtudioſiores æquo, Geneſin, hoc eſt natalitium ſidus, Fortunam, Fatum,

Astronomiam, & Astrologiam introducũt & recipiunt. Item Vaticinia & Diuinationes, quæ Auguriis, Auspiciis, Cledonismis, hoc est incerti autoris rumoribus, Expiationibus, Prodigiis, Incantationibus, & cæteris id genus constant: non sine dierum, mensium, temporum, annorúmque obseruatione, amplexantur.

Diuinationũ variæ species.

** Hæ:eseos præcedentis Confutatio.*

HÆc quoque omnia Christianis hominibus auersanda sunt, quorum spes omnis à Deo optimo maximo dependet. Nam si apud Deum vel capilli nostri numerati sunt, nec vllus passerum, qui asse veneunt, in cuiusquam rete absque Dei volũtate cadit: ipséq; adeò Iobus animi magnitudine cæteros omnes antecellens, cũ vxorẽ increparet: Si bona, dicebat, de manu Domini suscepimus, mala quare non sustineamus? hinc diuinum auxilium præstò cunctis rebus esse, perspicuum est.

Matt. 10.

Iob. 2.

Quî ergo fieri potest, vt ex huiusmodi affectionibus, itémq; ex astrorum progressibus, regressibus, variis figuris, & earum obseruationibus, commodi aut incommodi quicquam ei accidere queat, qui rebus illis intentus fuerit? Si enim elementa, non secus atque homines ipsi, subiecta sunt diuino nutui, quo tandem modo humanæ coniecturæ patêre poterunt, in quibus diui-

Rerũ exitus à Deo nõ ab astris dependet.

nus ille contra nos motus, obseruationibus illorum contrarius deprehenditur? Nam sicunde, verbi gratia, bellum irrumpat, aut in mari tempestas exoriatur, Deus est, qui mare conturbat, permittítque, vt militum in nos fiat incursio. Quocirca bellum suscitasse, vt ex plerisq; diuinarum scripturarum locis videre est, vel nauem vnà cum nauigantibus demersisse meritò dicatur. Contrà verò, hic astris inhiãs Mamacuthus Duci, cui internecio: nauísque gubernatori, cui naufragium immineat: offuciis artis vtens, quæ lætum & fortunatum diem polliceantur, illi quidem, vt aciem instruat: huic verò, vt oram soluat, veláque expandat, autor est. Númnam igitur astrorum concursus & connexio consilium Dei præuertisse, aut energiæ atque efficaciæ maioris, quàm ipsa cunctipotens Dei manus esse dicetur? Impius certè fuerit, si quis vel tacitus ita secũ reputet.

Bellum. *Naufragiũ.*

Apodixi à Cyri & Cræsi historia hypothesin confirmat.

Quî fit autem, vt ex duobus regibus, qui iisdem prorsus ominibus certamen inierũt, vtroque victoriam ex Astrologi familiaris prædictionibus sperante, ille quidem trophæum erigat, hic autem in vincula coniectus, turpissima quæq; subire cogatur? quãuis eodem horoscopo vsus fuerit, quo dux ille, cui succubuit, vsus est?

Hæc porrò si quis exquisitiùs consideret, vtriusque fortunæ & fati, nécnon curiosæ

aſtrorum diſquiſitionis vires nullas eſſe, vel ex Cyri & Crœſi hiſtoria, deprehendet. Crœſus enim Lydiæ Rex & prouinciarum omnium, quæ ad Tarſum vſque protendũtur, Cyro terrorem ex eo incutiebat, quod pecuniis abundaret, quarum adminiculo Græcos, & alios populos, ad ſocietatem & auxilia pellicere poſſet. Cyrus è contrario Crœſum perterrefaciebat, bellicarum rerũ, ſtratagematum, acieíque inſtruendæ peritia, qua quidem gentes quàm plurimas ſubegerat, & ſuæ ditioni ſubiecerat. Cùm igitur vterque ea præparaſſet, quæ bello gerẽdo neceſſaria videbantur, Crœſus quidem in prælio ſuccubuit, vel Apollinis oraculo, quod ita præmonuerat.

Crœſus diues.

Cyrus bellicoſus.

Apollinis oraculum.

Crœſus Halym ſuperans magnam conſumet opum vim: cuius quidem oraculi nomine Apollinem ducentis lateribus aureis donauerat, quo tempore & oraculo ipſo, & Aſtronugonum prædictionibus fretus arma contra Cyrum mouerat. Cyrus verò contrà prædictionibus Aſtrologorum ab expeditione contra Crœſum ſuſcipienda reuocabatur (quorum quidem nutu Chaldaica regio tunc temporis, præ cæteris omnibus gentium prouinciis, adminiſtrabatur) atque adeò ab illis monebatur, vt aliud in tempus profectionem differret. Diuinis autem Danielis conſiliis perſuaſus, qui cũctandum non eſſe, ſed contrà procedẽdum

Aſtrologi Chaldæi, qui & Genethliaci.

Daniel autor Cyro, vt in Crœſum moueat.

autor erat, quia nimirum Deus gloriosam illi victoriam paraturus esset, paucis præliis Crœsum in fugam vertit, viuúmque tandē cepit: totius denique Imperij eius breui tēpore Dominus euasit.

Ethnophronas confutat à scripturarū testimoniis. Audi verò tu, qui Astronomię addictus, & dies & tempora obseruas, quid Babyloni Dominus per Dei ministrum Prophetā Esaiam dicat, super iis, quæ Nabugodonosor contra vrbem Hierosolymorum designauit, cùm illa solo æquata, templóque flammis absumpto, populum captiuum abduxit. *Esai 13. & 14.* Propterea quòd desertam reddidisti ciuitatem meam, nec populi mei misertus
» es, desertos reddā muros tuos, & campum
» desolationis statuam te. Exurgant ergo
» Astrologi tui, & prædicant, si possis effuge-
» re manum Domini.

Hinc patet excusandum Nicetan, si cubi citandis scripturæ locis dormitauerit. Alia quoque nonnulla Propheticus liber de falsiloquis Astrologis percurrit, quæ mihi memoria exciderunt, ita vt verbotim illa referre mihi iam non sit integrum. Perierūt enim libri, eósque tanquam in Orci ventrē, vel Laconicam latebram, Latinorum ventres, *Tanarum intelligit.* vnà cum opibus & pecuniis meis absorpserunt: multis quidem illis, nec luculētis illis opibus absimiles, quæ Imperialium officiorum fuerunt, quibus ordine gradúq; debito sum cohonestatus. *Nicetæ honores.*

Quin & Paulus, os ipsum Christi, quíque omnem ferè terram, quantancúmque Sol

pulcherrimo igni suo expositā fouet,prędicādo percurrit, in Epistola ad Galatas ita dicens, deprehenditur. Sed tunc quidem *Galat.4.* ignorantes Deum, iis qui natura non sunt „ Dij,seruiebatis. Nunc autem cùm cognoueritis Deum,imò cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma & „ egena elementa, quibus denuò seruire vultis? Dies obseruatis, & menses,& tempora, „ & annos. Timeo vos, ne fortè sine causa „ laborauerim in vobis. Estote sicut ego quia „ & ego sicut vos. „

Itaque quisquis obseruationi astrorum *Idololatria.* immoratur,iisque fidē habet,quæ ab Astrologis dicuntur,tacitè Mercurium,Saturnū, Martem, & cætera sidera colit, quæ motu suo in orbem circunferuntur. Quamuis enim nec æreas illis, nec lapideas, imagines consecret,nec actu adorationem præ se ferat,iis tamen alium cultum exhibere coarguitur: eò quòd ex illorum circunuolutionis effectibus dependet. Oportet enim,vt *Christiani veri typus.* qui veri Christiani nomen non mentiuntur,omnia vno eodémque modo enuntiēt: quæ à diuina prouidentia proueniunt: hoc *Psal.62.* cum Dauide psallentes. Adhæsit anima „ mea post te. „

Quòd si quis lingua quidem Deum esse *Hypocrisis.* fateatur, cuius nutu & consilio cuncta succedāt,vt cuncta tuentis & inspicientis, fixo autem pede errori astrorum inhæreat, quî

fiet, vt si nihil aliud agat, oratione tamē vim pietati adferre non videatur, cùm mentem barbaris moribus inficiat? Gētes enim, quæ Deum non nōrunt, astrorū figuris & constellationibus, velut hiantes Mamacuthi, innituntur: & eorum effectibus obstupescunt. Deus porrò hæc iure de illis dixerit. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docētes doctrinas & mandata hominum, attendentes spiritibus erroris, & ad falsiloquas Vatum nugas animum appellentes: qui ea quidem scire sibi videntur, quæ supra cœlos, & sub terra sunt, nec interim aduertunt, quanta mentis cæcitate laborent, & quantoperè fallantur, atque in eandem secum fraudem, & idem exitium, eos pertrahant, quoscunque suos in casses pellicere potuerint.

Prouerbium Aristophanicum à fatuo Mamacutho ductū.

Esai. 29.

Matt. 15.

Iis enim qui parùm sapiunt, nec spem omnem in Deo reposuerunt, facilem & quibusuis exprompram esse futurorum cognitionem persuadent, atque motui astrorum ea tribuentes, quæ diuinæ præcellētiæ propria & peculiaria sunt, à sana erroríque nescia opinione eos abstrahunt, quicunque ad anilium nugarum insusurrationem procliues fuerint: quemadmodum etiam Propheta Ezechiel ait. Hæc dicit Dominus Deus. Væ prophetis insipientibus: qui sequuntur spiritū suum, & nihil vident. Nun-

Ezech. 13.

quid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mẽdacem locuti estis? propterea erit manus mea super Prophetas, qui vidẽt vana, & diuinant mendacium.

Quia verò ipsæ quoque mulierculæ futurorum cognitionem sibi vendicabant, rursus ait Prophetæ Dominus. Et tu, Fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, & vaticinare super eas, & dic. Hæc dicit Dominus Deus. Væ quæ consuunt puluillos sub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. Et violabãt me apud populum meum propter pugillum hordei, & fragmẽ panis: vt interficerent animas, quę non moriuntur. Et viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.

In Phœbabas

Ibidem.

Sic enim se res habet. Vera quidẽ Prophetia, & futuri prædictio, pro familiaritate, quæ petenti homini cum Deo intercedit, & pro eius fide, qui futura cognoscere cupit, diuinitus exhibetur. At ex astrorum reuolutione, huiusmodíque constellationũ situ nulla prorsus futuri cognitio datur.

Prophetia vera quæ. Prognosis vera.

Nec enim ex iis humanarum rerum administratio dependet: sed pluuiarum, & earundem defectus, item frigidi & calidi, humidi & sicci, denique ventorum & similiũ rerum signa promuntur: actionum verò no-

ſtrarum nulla prorſus.

Liberum arbitriũ cuiuis homini à Deo datum.

Cùm enim liberum nobis mundi opifex arbitrium conceſſerit, actiones noſtræ in poteſtate noſtra ſunt. Si enim ſecundũ aſtrorum curſum omnia facimus, quæcunque tandem à nobis fiant, ea neceſſariò fiũt. Quod autem neceſſariò fit, neque virtus id, neque vitium eſt. Iam ſi neque virtutem neque vitium aſſequamur, indigni ſumus, qui laudibus aut coronis decoremur, probríſque aut ſuppliciis afficiamur. Imò Deus ipſe iniuſtus deprehendetur, qui his quidẽ bona, illis verò afflictiones immittat, neque ea quæ creauit prouidentia ſua regere curet, ſi neceſſariò cuncta ſúſque déque ferantur. Imò etiam ſuperflua in nobis ea pars animæ fuerit, quæ rationis eſt particeps. Nam ſi nullius actionis compotes ſumus, fruſtrà deliberamus. Rationalis enim pars animæ hominibus deliberandi gratia diuinitùs data eſt. Ex deliberatione autem ratio & liberum arbitrium eluceſcunt.

Deliberatio

De ſtellis quid ſentiẽdum.

Itaque ſtellas nullius eorum quæ ſunt cauſas eſſe, vt nec ex rebus creatis vllam, atque adeò neque iis quæ ſunt ortum, neque iis quæ corruptioni obnoxia ſunt interitum adferre, imò pluuiarum, & earundem defectus, atque cæterarum aëris mutationum ſigna eſſe dicimus. Nec malè fortè quis autumet eas bellorum quidem aliquãdo ſigna eſſe, cauſas verò non item. Siquidẽ ex aëris

Stellæ bellorũ aliquando ſigna, non cauſæ.

ex aëris

ex aëris qualitate (cui alio atque alio modo à Sole & Luna variæ concretiones, seu impreſſiones,accidunt) & habitus in nobis & affectiones conflantur. Habitus autem inter illa cenſentur, quæ in noſtra poteſtate ſunt poſita. Retinentur enim ratione,& reuocantur,ſi diuertant.

Lunaris etiam orbis perfectio & imminutio nō paucarum mutationum cauſa eſt, vt ex piſcibus teſtacei generis, & pleriſque arboribus conſtat, quæ creſcunt & decreſcunt,atque quodammodo Lunæ mutationibus compatiuntur. *Luna quarū mutationum cauſa. Oſtrea. Arbores.*

Interdum verò diuinitus Cometæ conflantur, qui mortis Regum ſigna præ ſe ferunt : quæ quidem iis in ſideribus non apparent, quæ ab initio creata ſunt : ſed diuino numine nunc procedunt, nunc denuò diſſoluuntur. Quandoquidem illa quoque ſtella,quæ ſub humanæ ſalutaríſque Domini propter nos in carne natiuitatis tempus à Magis viſa eſt, non ex ſtellarum numero erat,quas initio Deus creauit: quod perſpicuum erat vel ex, eo quòd iam ab ortu ad occaſum, iam contrà ab Aquilone ad Auſtrum curſu contenderet, aliàs etiam deliteſceret,aliàs emergeret.Nec enim id Aſtrorum ordo fert,aut natura. *Cometæ. Stella quæ Magis apparuit,qualis. Matth 2.*

Obiiciat verò eorum fortè quiſpiam qui Aſtrologiam mordicus tuentur,in eorum, quæ aduerſus artem ſuam congeruntur, re-

criminationem, prædictionibus plerisque finem suum obtigisse tandem, iccircóque nonnullis hominibus frustrà & temerè cōdamnandam & explodendam videri. At vicissim audiet, Artem illam mutationum aëris magistram esse, quæ Solis & Lunæ defectum portendat: aliáque huiusmodi humanæ vitæ vtilia prædicere sciat, at eorum quæ diuino è nutu dependent euentum portendere, non item didicerit: vt taceam malorum quæ hominibus impenderent, iam iámque vrgere occiperent, pleraque à Deo precibus, ieiuniis, & orationibus, flexo in melius commutata esse: vt ex Niniuitarum conuersione perspicuum est, qui de Deo tandem piè sentire cœperunt, nec illa ab eo petere detrectarunt, quæ ei peculiaria sunt: quemadmodum etiam ex libera Mosis oratione constat, qua non rarò intercessit, quo minùs Israëlem Deus internecioni daret. Hoc ex Aarone quoque colligere est, qui cùm Mosis consilium secutus, acerra incensum Domino obtulisset, hoc pacto exasperati rebellantísque populi interitum repressit.

Astrologia quid præstet. Vide Origenem in Philocalia de Astrologis.

Niniuitarū conuersio. Ionæ.3.

Exod.17.

Numer.16.

Multi etiam eorum qui ad bellum proficiscebantur, cùm sibi à Deo victoria promissa esset, eámque se penè iam adeptos viderent, insuper & fore sperātes, vt terra potirentur, quæ melle lactéque difflueret (vt qui se illam aliquādo possessuros à Deo au-

Deut. 32. in Cantico Mosis.

diuiſſent) propter peccata, quæ interuene-
rant,funditùs ſuccubuerũt, Palęſtinos præ-
ter fas aggreſſi,terrámque deſertam cor po-
ribus ſuis inſtrauerunt, atque in Moſem &
Deum ipſum multa ſæpiſſimè debacchati,
hæc à Deo & Dauide audiuerunt. Nihil *Pſal.88.*
proficiet inimicus in eo,& filiùs iniquitatis "
non apponet nocere ei. Item, Inimicos *Pſal.131.*
eius induam confuſione. Item, Odio habẽ- *Pſal.88.*
tes eum in fugam cõuertam. "

Præterea etiam ſceleris eius ergô, quod in Vriam admiſſum eſt, parum abfuit, quin Hieroſolyma thalamis ſuis, atq; etiam calceis priuata perſecutionem pateretur, & in deſerto pernoctaret. *2.Reg.12.*

Quid verbis opus eſt, ad ea ſigillatim enumeranda,quæ ab omnimoda, & hominibus imperueſtigabili Dei ſapientia & virtute, denique ſagaci illa prouidentia variè decernuntur,&alio atque alio modo fiunt, pro vt illi placet, ſinguliſque conducibile eſt? Proinde cùm diuinorum iudiciorum *Rom.11.* altitudo nulli hominum cogitationi peruia ſit, quam nimirùm aut intellectus humanus aſſequi, aut naturalium rerum ſeries expromere nullo modo poſſit, quî, quæſo, fieri poteſt, vt ex elementis naturæ obnoxiis, quæque nihil amplius aſſecuta ſunt, quàm quod iis quæ ſunt accenſentur, quidam futuri ſcientiam polliceantur?

Mirùm verò, ni progreſſus vlteriùs, heus

Acriùs in Astrologos insurgit. tu, quisquis es, qui astris prænotionem futurorum adscribis, tempora quoque adiicias, & ea te pro animi arbitrio nunc subtrahere, nunc diffindere prædices: quo tamen intersignio facultas illa dignoscitur, quæ vitæ præest, cunctáque suppeditat: quemadmodum etiam ex eo, quod futura non minùs quàm præsentia perspecta & cognita habet. Atque vt hoc exempli gratia proferam, ille quidem bellaturus, vel etiam vastum mare traiecturus proficiscitur: hic verò Astronomicam artem professus, si consulatur, victoriam semper & tutã nauigationem, Astronomica Sphæra priùs eum in vsum fabrefacta, promittit. Cæterùm illi rebus ex maiore parte contrà, quàm promissum fuerat, gestis, reuertuntur. Hoc autem Astronomus assolet agere, si qui illum consulturi adeunt.

Nemo enim eum vltrò accersat, qui affutura tristia sit prænuntiaturus, quoniam ne
1. *Reg.* 28. Saulus quidem Pythonissam quæsiuisset,
" si mala illa prænuntiaturam prẹsciuisset, quæ in posterum subiturus erat, quamuis ipse vel sic in ipsa fere mali acie procedẽs, tanquam propriis viribus fretus, haud quaquam prælium distulerit, neque legatis ad Palẹstinos missis fœdera petierit. Quòd si quando vera prænuntiasse deprẹhendatur, id nequaquam astrorum reuolutionibus contingit: aut quia sic eorundem se situs

habet,& motus. Sed induſtriæ, imò potiùs, vt ita dicam, coniecturæ Aſtrologorum inuenta ſunt, qui ſemper optima quæque ſibi pronuntianda interrogantibus, & promittenda proponunt.

Nam perpetua rerum verarum prædictio propria Dei eſt, & Prophetarum eius, nota: qui futurorum, quæ vaticinati ſunt, nullum non verè prędixiſſe deprehenduntur. *Prædictio vera, Dei ſoli eſt, & Prophetarũ eius nota.*

Quòd ſi quis vix tandem veri quid aliquando coniectarit, hoc eius indicium eſt, qui quanuis artem ſagittandi minùs calleat, quia tamen tela ſæpe rectà in ſcopum dirigit, aliquando etiam ab eo non aberret.

Ex contrario etiam qui viſu ſano eſt, ſi vno curſu rectà viam perrexerit, tantùm abeſt vt ſupercilium tollat; magnificentiúſque de ſe ſentiat, cùm potiùs etiam aliis aberrantibus, ipſe pudore ſuffundatur.

Quòd ſi quis videndi facultate priuatus vno curſu viam citra offendiculùm tranſierit, non oculis, ſed forte fortuna curriculum huiuſmodi abſoluiſſe cenſebitur.

At verò ſi iuxta Chriſti ſententiam; Nemo poteſt Deo ſeruire & Mammonæ, ille diſſentanea prorſus & ex Diametro repugnantia molitur, qui Deo, & rebus ab illo creatis, æquam futurorum cognitionem attribuit. *Matth 6.*

Hoc etiam perſpicuum ex eo eſt, quòd

Prophetarum, Patrúm've, qui inter Christianos virtute cæteris præluxeruut, nullus astrorum motum dimetiatur, neque elementorum vsum curiosiùs inquirat: humanámque naturam ad ea compellat, quæ minimè decent: neque vanis imposturis innitatur: sed diuini Spiritus reuelatione res futuras præuideat, eásque suis temporibus euenturas absque vllo errore pronuntiet: quia nimirùm Deus ipse per illorum os loquebatur: quos etiam audire est in Astrologiam tanquam perniciosam, falsi amantem, atque ærusçatricem, his verbis inuehentes:

Hiere.10, Hæc dicit Dominus. Iuxta vias Gentium » nolite discere, & à signis cœli nolite me» tuere: quæ timent Gentes, quia leges popu» lorum vanæ sunt. Nam facta sunt signa in » lucem, & in tempora, & Creatoris nutibus cedunt: & temporum mutationes iis, qui sunt super terram, significant: alternis exorientes & occidentes.

Signorũ cœli quis vsus. Pisides lib. 1. Cosmurgiæ.

Quòd autem is non sine suo malo faciat, quisquis pseudoprophetiarum vanitati subscribit, beatus Moses autor est, vel » potiùs ipse Deus, qui per Mosem locutus est.

Deut.18. Quando ingressus fueris terrã, quã Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari » velis abominationes illarum Gentium. » Nec inueniatur in te qui lustret filium suũ,

aut filiam ducens per ignem: aut qui Ario- "
los ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia: atque "
auguria: nec ſit maleficus, nec incantator, "
neque qui Pythones conſulat, nec diuinos, "
& quærat à mortuis veritatē. Omnia enim "
hæc abominatur Dominus. "

Ad hæc alio in loco ſic ait, Perfectus *Ibidem.*
eris & abſque macula cum Domino Deo "
tuo. Gentes enim iſtæ, quarum poſſide- "
bis terram augures & diuinos audiunt. Tu "
autem à Domino Deo tuo aliter inſtitu- "
tus es. "

Proinde nullum turpius ſcelus obiici cuiquam poteſt, quàm ſi ad pſeudoprophetias, & Diuinaculos animum appellat, Atque Paradoxum quidem aliquod, & à communi hominum opinione alienum, Deus hominibus huiuſmodi non rarò ſuggerit, quò veri etiam aliquid prænuntient, vt vel hoc indicio manifeſti fiant, quicunque illius promiſſis verè innituntur.

Id enim per Moſem quoque hunc in modum dixit.

Si verò ſurrexerit in medio tui Prophe- *Deut.13.*
tes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & "
prædixerit ſignum atque portentum: & "
euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, "
Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos "
ignoras, & ſeruiamus eis, non audies verba "
Prophetæ illius: aut ſomniatoris: quia ten- "

" tat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat,
" vtrùm diligatis eum an non in toto corde,
" & in tota anima vestra.

Sed & Stephanus ille, qui primus post Christum passus est, Hebræorum concionem obiurgans, quæ cædibus gaudeat, Deóque diffidat, eius denique mandata transgrediatur, quo tempore quidam eius congregationis, quæ Libertinorum dicebatur, eum quærebant, nec sapientiæ, & spiritui, quo loquebatur, resistere poterant, cùm alia pleraque, tum hæc in primis de Israëlitarum gente differit.

Act.7. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & ob-
" tulerunt hostiam simulacro, & lætabantur
" in operibus manuum suarum: conuertit
" autem Deus, & tradidit eos seruire militiæ
" cœli, sicut scriptum est in libro Prophe-
" tarum.

" Nunquid victimas & hostias obtulistis
" mihi annis quadraginta in deserto, domus
" Israël?

" Et suscepistis tabernaculum, Moloch,
" & Sydus Dei vestri Remphá, figuras quas
" fecistis, adorare eas. Et transferam vos trás
" Babylonem.

Parum verò, aut nihil, differt is, qui militiam cœli, hoc est stellas, adorat, ab eo, qui subscribit & acquiescit iis, qui ex illarum curiosiore disquisitione res futuras vatici-

nantur,quod diuinæ potentiæ, eiúſque ſolius proprium munus eſt,atque eorum,quibus hoc illa conceſſerit.

Chriſtus autem ipſos etiam Dæmonas increpabat,dicentes,Quid nobis,& tibi,Ieſu, Fili Dei? veniſti huc ante tẽpus torquere nos? Paulus quoque puellam, quæ à Pythonico ſpiritu vexabatur, & clamabat. Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis. Cúmque per dies multos idem ageret, ſatagens ille, ad ſpiritúmque conuerſus, inquit, Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti, exire ab ea. Quod & cum dicto fecit:neque id iniuria, neq; enim propria & inſita dæmonibus eſt futurorum prædictio.[ſed violentiæ potiùs, & prætextus ſpecies, qua minutiſſimam, víxque tantillam veritatis imaginem præuident.]vt ex priſcis oraculis conſtat,quorum alia vt plurimùm dubia ſunt, alia maxima ſui parte mendaciis ſcatent, & eorum qui eis crediderunt, pleroſque in mala diſcrimina protruſerunt,ex quibus nulla arte emergere poterant.Iam ſi Dæmones ſubſtantiæ ſint rationis participes, & quæ cunctos orbis angulos circumuolitent.[atque etiámnum velut extremos priſtinarum apoſtaſeōn rebellionúmque ſonos ſępe retineant.imò etiam nõ raró ea quæ euentura ſunt, meliùs quàm nos ipſi,coniectent.] vt plurimùm profectò

Matth 8.

Act. 16.

Hæc ſpatiis inter linearibus interſita fuerũt, atque literis rubris exarata.

Oracula.

Dæmones.

Et hæc vt præcedentia rubris exarata.

ſtellæ mutæ ſunt, nec futurorum quicquam intelligunt, neque rerum naturas perſcrutari poſſunt, vt dæmones, ſed huiuſmodi artẽ, quanuis noſtro ſeculo obſcuram, & ab imperitis hominibus profluentem, multi eorũ, qui ad tempora noſtra peruenerunt, maximo in pretio habent, iiſque ſe adiungunt, qui artis illius peritiam ſibi vendicant, tanquam veris futurorum coniectoribus. quãuis illorum reſponſa perſpicui nihil contineant, quódque propiùs vnquam ad veritatem accedat. Nihilominùs auribus prurientes, & quia in verbo fortaſſis vno vera dixerunt, putà in nocturnis viſionibus, iam iis, quæ ſimpliciter illi, & in genere dicunt, non ſecus atque diuinis oraculis, fidem adhibentes, libenter acquieſcunt, ad eóſque ſe conferunt, interdum etiam illorum iuſſu ne diuina quidem delubra ingrediuntur.

Vidi verò Romanorum etiam Imperatores (nec enim omnes culpandi ſunt) qui negotiis vrgentibus, neminem eorum in cõſilium adhiberent, qui vel ſapientia, vel longa rei militaris experientia celebres haberentur, ſed ab Aſtrologorum iudiciis tantoperè dependerent, atque iis, quæ ex Planetarum inſpectione prædicerentur, velut circulis aureis in nares inſertis, circunducerentur.

Manuelem Comnenũ intelligit, vt patet ex παρέργῳ proximè ſequente.

Huiuſmodi certè Reges ſimul & fallũt & fallũtur. cùm ea quæ fiunt procul à Deo

eiúſque prouidentia ablegent: atque ita receptis apud nos ſententiis & inſtitutis maniſeſtiſſimè repugnent, ita vt in longos mēſes id differant, quod vel hodie fieri poteſt: ex hócque loco in alium finitimum ſubinde commigrent, vbi ad pauca horarum interualla commorentur. Sæpenumerò etiam equitaturi, cùm eorum quæ equitātibus neceſſaria ſunt parte accincti, partem manu geſtarēt, equo iam ad ſubſellium ſtante, horæ intempeſtiuitate reuocati, pedémque referentes, propoſitum contra animi ſententiam mutauerunt. ac ſi regio illa, ad quā iter inſtituerant, Chaſmate diſiecta eſſet, vel etiam cœleſti terrore iam iam concutiendi eſſent.

Πάρεργον ex Niceta ipſo, de vanitate Ethnophronum, in perſona Manuelis Imper.

Nicetas Choniates Annalium Manuelis lib. 2. Quia verò, inquit, potentibus ferè omnibus tū noſtræ tum ſuperioris ætatis placitum eſt, ſtellarum progreſſiones & retrogreſſiones certóſque poſitus, configurationes, acceſſus, receſſus, cæteráque (quæ nugatores iſti in diuinæ prudentiæ fraudem aſſirmāt, ac diſſimulanter fatalem omnium rerum neceſſitatem ſtatuunt) ad felicitatem humanóſque caſus multum valere, Manuel idoneum exeundi tempus inquirit, idque Cōſtātino denuntiat. Sed quid fit? Nondum ad occaſum vergebat Sol, Manuelis iuſſu

homo reuocatur, Ob incommodum exitum, minùs fausto siderum positu, nec subtiliter & accuratè perquisito. Rursus igitur thema constituitur: regulæ consuluntur, post longam Astrorum indagationem Angelus exit, cum beneficorum siderum comitatu: sed illa hora obseruatio tantùm Romanis profuit, priorúmque Ducum errata ita correxit, & accepta detrimenta resarsit, vt Constantinus statim hostium manibus caperetur: & cæt. de pugna Constantini Angeli, quem Manuel ducē designarat exercitus, contra Rogerium Regem Siculum.

Fatum.

* *De Fato.*

PORrò Fatum Græci ita introducebant. Necessitatem fingebant, quæ rebus præesset omnibus: cuius filias tres, Lacheiam, Clotho, & Atropon esse dicebāt: ita vt Necessitas futuris prospiceret, Lacheia sortem super induceret, Clotho iisdem nendo, fusúmque circunuoluendo, robur & pondus adderet. Atropos denique ita confirmaret, & constabiliret, vt mutari & inuerti nullo vnquam modo possent.

Necessitas. Lacheia. Clotho. Atropos.

Ex quo fiebat, vt si recens natus puer fuso fatali ad subulam manibus tractandam, vel cultrum sutorium, vel denique coria dentibus extendenda destinatus esset, nullo modo fieri posset, quin artem illam exerceret, quæ illi sorte obtigerat: sed ad eam fati fune, quasi obtorto collo rapiebatur.

* *De Augurio.*

AVgurium autem eſt futurorum præſagium, quod ab auium volatu, quiete, & garritu colligitur. Fuit enim aliquando huiuſmodi quoque apud Græcos, & alias gẽtes futurorum obſeruatio, etiámſi noſtris temporibus prorſus auolauerit, tandémque etiam pennis omnibus deciduis euanuerit. *Augurium.*

Niſi fortè Gallorum gallinaceorum tripudia ſoliſtima, in quibus Gallia vere ineũte pueri ad literarum ſtudia excitantur, auguriorum ramentum quoddam ſit, à Solone iam olim Athenis inſtitutum. vt taceam aniles ſtryges, cornices, bubones, & cat.

* *De Fortuna.* [*Appendix.* I.]

FOrtunam Græci rebus omnibus præeſſe cenſebant, nihílque boni, aut contrà, ſine vllius nutu contingere coniectura ducebantur: multáque adeò hominibus ab eadẽ, vel in vtramuis aurem ſecurè dormiẽtibus, nec vlli manum operi admouentibus, quaſi diuina (vt aiũt) virgula ſuppeditari dicebãt. Ex quo euenerit, vt Timotheus vrbes ita ſubiugaret, ac ſi fortuna illas in eius rete cõiiceret, eíque dormienti traderet. *Timothei Athenienſis Ducis εὐτυχία.*

Apelli quoque pictori tale quippiam contigiſſe ferunt, vt equum bellicoſum ardua & erecta ceruice, arrectis auribus, cruẽtis & acribus oculis, qui ſpectantibus furere *Apellis equus Eraſ. parabola 173. ex Plutarch. Morali.*

currendo videretur, pedibus in aërem sublatis,terrámque viciſſim vix tantillùm delibantibus,auriga fręnos moderante, & bellicum equi inſultum habenis coërcente,depinxerit.Cúmque imago rebus omnibus cōuenientibus inſtructa eſſet, eum ſpumæ colorem reliquit,qui ex continua ſanguinis & aquæ commixtione cerni poſſet,cùm anhelitus quidem ex ore aquam protruderet, atque ſpiritu reflante in ſpumam cōuerteret, ſanguine autem ſpumam violentia fræni irroraret.

Cùm ergo iam de pictura dubitaret, ſpōgiam qua depingendo vtebatur, circum fræ nos traxit:quæ cùm multos colores ſpumæ non abſimiles referret, picturam ſuo facilè colore decorauit. Atque ita quod volebat Apelles, non arte id, ſed forte fortuna perfecit.]

Hactenus appendix. 1.

Fortunæ icones,

Fortunam verò ſtatuis etiam honorabāt, gubernaculo nauis manibus eius impoſito, vt quæ rerum vniuerſitatem moderaretur. alij nouaculæ ſuperimponebant, proſperæ fortunæ breuitatem ſignificantes: alij ſphæræ,ſeu globo,quia facilè mutaretur:alij eidē cornu Amaltheæ plenum ſcatēnſque fructibus præ manibus dabant. quod Hercules Acheloo,manum cum illo conſerens,detraxerat,hoc ſigno fœlicitatem fortunæ, eiúſq; munerum delicias denotabant. Nec deerāt, qui arma dextræ eius, & ſceptrum ſiniſtræ

imponerent,innuentes hoc pacto bellicosis viris regna,forensibúsque leges & iudicia beneficio fortunę obuenire.Hęc &alia huiusmodi ab iis confingebantur, qui fortunæ imperio corpus hoc vniuersitatis subiiciebant.

** De Cledonismo.*

PОrrò Cledonismus,seu sortilegium,magni ponderis erat, apud Hebræos in primis. Proinde per Prophetam Dominus sic ait.Regio vestra plena est cledonismis. Dicũtur autem Cledonismi rumores illi, quorum certus autor expromi non potest, sed qui per se, &, vt ita dicam spontè oppida & vrbes circunuolitant,& passim eorũ aliquid insusurrant,quæ auersanda, vel etiã minimè talia sunt. Quicũque igitur rumores huiusmodi, vel etiam triuiales nugas adnotabãt, eóque detorquebant, quæ sibiipsis agenda erant,rerúmque adeò ipsarum exitum, non eum qui diuinæ prouidentiæ placeret, sed quem rumores huiusmodi,occurrentiúmq; hominum sermones prędixissent,Cledonismi dicebantur. Aliis per Cledonismum interrogationes illas intelligere placuit, quibus κριθομάντεις, hoc est hordearij vates, & γαστρίμυθοι, hoc est ventriloqui, consulebãtur,quibúsque iidem vaticinia sua expromebant:quemadmodum ἀπεροπιασμοί, seu mala omnia dicuntur, si quis vbi primũ

Cledonismus

Quales sunt, quæ hodie Pasquillorũ nominibus feruntur Romæ.

egreſſus eſt, pedémque domo efferre cœpit, atráto homini occurrat, vel alij cuipiam rei, cuius aſpectus nobis inſuauis & iniucundus eſſe ſolet.

* *Plura de Cledoniſmo.*[*Appendix.* 2.]

EST etiam Cledoniſmus, malorum, vt ita dicam, dæmonum inuocatio, quæ tum perficiebatur, cùm Sol à Septentrionali climate Auſtrinas ad partes ſecedebat: quo tẽpore dies quidem minuitur, nox autem augeſcit.

Quales qui Foleti vulgò. de quibus Cardanus in lib. De ſubtilitate & Aeguin. lib. de nobilit. 1. hi olim frequentes in Armorica.

Sunt porrò nonnulli quoque Dæmones, vt vetus quædam perhibet opinio, qui materia conſtent, nec Solis radios intueantur. Ex quo fit, vt noctu inſidias hominibus ſtruant, cùm interdiu nihil agere poſſint. Sole igitur, vt diximus, ad Auſtrum vergẽte, quo tempore aër nobis contiguus caligine propter hyemem condenſari videtur, tunc huiuſmodi Dæmones ſaltibus & ſubſultationibus quibuſdam nequitiæ ſuæ ſpecimen edunt, illis etiam Spectãtibus, à quibus inuocati ſunt.

Epodi. Quę hic de dæmonibus pauca delibã tur pluribus à Michaele Pſello in lib. de Dæmonũ operatione explicantur.

Qui ſi Epodis illos ad ſe pellicere nequeãt, igne velut in orbem circunducto, media è flamma exiliunt. Feruntur enim ſuperiores virtutes cum hominibus purè & ſyncerè non conuerſari, quoties aër capiti noſtro contiguus caligine obducitur, & incraſſeſcit, quod in cauſa eſt, vt illum igne expurgent.

De Le-

* *De Lecanomantia.*

DE Lecanomanteia verò, seu diuinatione, quæ pelui peragitur, hæc quoque sunt à nonnullis tradita. Aquam quidem, quæ pelui infunditur, substãtia nequaquam differre à cæteris eiusdem generis aquis: ritus autem & incantationes, quæ ei adhibentur, aquam aptam & accommodã reddunt, quæ malignum spiritum oracula daturum excipiat. Hoc autem dæmonium formam habet & terrenũ est, inuocantiúmque pactis acquiescit. Posteà quàm verò in aquam inciderit, primo impetu sonum quendam obscurum edit: deinde aqua fluctuante, obscuræ quædam voces immurmurantur, quibus futuri prænotio colligitur. *Lecanomanteia.*

Dæmonum porrò alij quidem substantiæ aëreæ sunt participes, alij verò terreni sunt, & leui quadam repercussione tactui resistunt.

Porphyrius certè se in huiusmodi dæmoniaca corpora apud Eluscos incidisse testatur, atque alia quidem lucida vidisse, alia verò tetigisse, ea nimirum, quæ duriuscula essent, tactuíque resisterent. Addit insuper non omnia rotunda esse, verùm pleraque oblonga, nonnulla etiam rhombis persimilia. Qualia enim corpora sunt, inquit, quibus coniunguntur, ea talem quoque naturam subire solent. *Porphyrius cui Psellus astipulatur.*

* *Hactenus appendix 2. Iam transit ad μαντείαν seu Diuinationem.*

CÆterùm μαντεία, hoc est Diuinatio, cùm generalior quodammodò sit, partim incantationibus cohærebat, partim ab illis discrepabat: & per seipsam priuatim ab impiis perpetrabatur.

1 Quæ enim per ἀνατομὴν, hoc est dissectionem victimarum: & per animalium sicderationis, extorúmque contractionis inspectionem peragitur: quæque os illud, quod ὠμοπλάτην, hoc est opertum scoptulum, Medici vocant, post eius decoctionem, caruncularúmque detractionem attentiùs inspicit: incantatione nullo modo vtitur, sed quibusdam argumentis futurum ariolatur.

2 Quæ verò vasculis aqua cœnosa per fœminam virginem nefariè hora noctis intépesta repletis efficitur, iísque adeò in locis, quę à diuinis oratoriis dissita, & ab hominũ conspectu remota sint, ea cõiurationes & inuocationes Dæmonũ suis epodis introducit: quas quidem incantationes aliquando suaueolentibus aromatibus adhibitis immurmurabant, aliquãdo etiam humano sanguine infuso, vel iugulata virgine, quæ aquam infuderat, vel alia quauis puella, peragebát.

Porrò huiusmodi obscœna in lustris ferarum perpetrabantur, nõ sine fouearũ suffos-

ſione, quibus lac cum melle infundebant.
3 Triuiales autem diuinationes, quæ in triuiis & compitis fiebant: & ea quæ priſcis tẽporibus ab ἐγγαστριμύθοις, hoc eſt ventriloquis, peragebantur: nécnon amuleta illa, quæ de pectore, alis, & collo, dependebant: atque adeò imagunculæ illæ cereæ ad hominum formam effictæ, quas clauis vtrinq; traiicere ſolebant, epodis innitebantur. Ne ſingula percurram, quæ nõ actu tantùm deteſtanda, nullóque modo agentibus cõducibilia ſunt, ſed etiam aures, linguam, mentem, & intellectum narrantium ſua fœditate conſpurcant.

** Quadrageſima tertia hæreſis, Parermeneutarum, hoc eſt eorum, qui peruersè ſcripturas interpretantur.*

PArermeneutæ quædam ſacrarum ſcripturarum, Veteris, inquam, & Noui Teſtamenti, capita perperàm interpretantes, & ad ſcopum ſibi peculiarem traducentes, atque adeò non ſine pertinacia de pleriſque interpretationum earum cõtendentes, quas vix humana mens aſſequi cogitatione poſſit, idiotiſmo neſcio quo, & temeritate, animíque impotentia laborantes, hæreticorum dogmatum nõnulla confirmare audent, ignorantes interim quid deſignent.

Hæreseos præcedentis Confutatio.

QVicunque ad contentionem & ambitionem procliuis est, eum non iniuria cuncti odio prosequuntur. Vitium enim quo laborat, diabolicæ proculdubiò dementiæ morbus est. Multos ergo lõga dies protulit, qui non tantùm de re sibi prorsus incognita contenderent, sed & qui tametsi quæstionem in cõsultatione positam ad germanum sensum reuocare possent, eam tamẽ in contrarium velut ex professo raperent, ac si cauerent, ne in contradictoria incurrerent. Ex quo euenit, vt plerique, quò sententiam suã faciliùs astruerent, in peruersos dogmatum anfractus prolapsi fuerint, dum petulanter insultare Deo, quàm de sententia sua quicquam deminuere malunt, vt Manuele Comneno imperante accidit.

De hoc dogmate diffusissimè & velut ex professo differit infra libr. 12.

Cùm enim dogma motum esset super his verbis: Tu es qui offers, & qui offerris, illorum qui tunc docti habebantur duo (quorum nomina non est quod proferam) in diuersam ab Orthodoxis sententiã euntes, ac si Patre inferior Fili⁹ esset, eis cõtradixerũt, tandémque de gradu dignitatis Ecclesiasticæ deiecti sunt. Cùm autem anathemate quoque iã iã pro tribunali feriendi essent, sententias suas vix improbarunt, id causati, se quidem sibi satis esse conscios, quàm dissentanea à recto Ecclesiasticorum dogmatum sensu effutiuissent, verùm dedecori &

infamiæ hoc adſcribẽtes, ſi ex pœnitudine, & tanquam diſciplina, ſaperent, ea quæ ſemel aſſeruerant, quamlibet ſtulta & abſurda dogmata, mordicus tuebantur. Cuiuſmodi certè facinus dementia non caret, quo nimirum contentio non bona in rebus, quæ non decent, exercetur. Maiore porrò demẽtia tum laboratur, cùm quis diuinarum rerũ peritis, ea duntaxat in medium adferentibus, quæ à Spiritu Sancto didicerunt, fidem non habet: ſed opinioni ab ignorantia profectæ pertinaciùs inhæret. atque ita in perditionis barathrum fracta ceruice præceps vltrò prouoluitur.

* *Quadrageſimaquarta hæreſis, Melitianorum.*

ANteſignanus horum Melitius fuit, ciuitatis Lycôn in Ægypto, ſub Alexandrini Papæ ditione, Epiſcopus: ita tamen, vt cæteris, tanquam ab Alexandrino Papa ſecundus, anteire videretur. Graſſante pòrrò perſecutione ſub Diocletiano & Maximiano, hic quoque vnà cum ſacro Martyre Petro, & aliis quibuſdam comprehenſus eſt.

Ad hos autem carceribus etiámnum detentos è Clericis nonnulli, qui perſecutionis tempore lapſi ſacrificauerant, ſe contulerunt, petentes vt ad ſalutis viam pœnitudine regredi ſibi liceret. Melitius itaque, Pelus, & aliquot alij, nefas eſſe dicebant, vt

qui ad extremum vsq; non dimicassent, sed persecutioni succumbentes sacrificassent, tunc temporis admitterentur. Quòd si persecutione sedata fructum pœnitentia dignũ ostenderent, tunc & Ecclesiastico cœtui, at non item pristinis honoribus, restituerẽtur. Sanctissimus contrà Petrus, vt qui ad misericordiam natura propensus esset, his commartyres suos verbis obtestabatur.

Petrus Alexandrinus. Eos, ô fratres, quandoquidem pœnitudine ducuntur, admittamus, neu cleris suis spoliemus, ne pudor tandem & desperatio illos ita transuersos ad peiora rapiat, vt nullum salutis remedium supersit.

Igitur oratio Petri ad misericordiam & humanitatem, Melitij verò & cęterorum ad inuidiam & rigorem inclinabat.

Melitius Nouatianus. Cùm itaq; illos Beatus Petrus à sententia, ne latum quidem vnguem deflectere velle videret, medio in carcere lodicem seu pallium, septi cuiusdam instar, expandit, Diacono hæc proclamare iusso. Quibus mea sententia arridet, ij ad me transeant. Tum verò paucis admodum ad Petrũ transeuntibus reliqua Episcoporũ, Presbyterorum, & Monachorũ multitudo cum Melitio mãsit. Cæterùm posteaquàm beatissimus Petrus martyrij corona redimitus est, eiúsque sedi Achillas primùm, deinde Alexander successit, Melitius & pleriq; alij exulare iussi sunt. In singulis autẽ locis per quæ Melitius cùm

Achillas & Alexander Patriarchæ Alexãdrini.

abduceretur, iter faceret, priuatas Ecclesias exstruebat, Episcopósq; Presbyteros, & diacοnos constituebat: qui Martyrum quoque Ecclesiæ se mébra professi, cũ iis nequaquã cõmunicabant, qui Catholicis à Petro stantibus Ecclesiis præerãt. Posteà q̃ verò persecutio desæuiit, quíq; in metallis erãt liberati sunt, Melitius Alexandriam venit, ibíque quanuis in fide nihil innouans, priuatam, tamen cum suis synaxin faciens, mãsit. Atque hæc ex Diuo Epiphanio dicta sint.

Porrò cùm in magna illa Nicæna synodo de Arij dogmatibus anquireretur, vt ex eiusdem synodi ad Alexandrinos Epistola constat, vna eadémque opera de Melitio quoq; anquisitũ est. Atq; humaniùs, inquit, motę synodo (nã si summo iure egisset, nulla Melitius venia dignus erat) visum est vt ille sua in vrbe maneat, & ne vllũ sacris aut initiet, aut instituat: né ve eius rei ergô aut domi aut foris cõpareat: sed simplici & honorario nomine fruatur. Qui verò ab illo iá initiati, albóque mystici cœtus inscripti sunt, ij ad cœtum quidem admittantur, atque honore & sacro munere fungantur, secundas tamen ab illis teneant, quos Alexander initiauerit: & ne vllos initient, iísve clericorum nomina subiiciant, denique nihil quicquam in hisce rebus attẽtent. Quòd si qui illorum è viuis excedant, tunc hi ad defunctorum honorem proueh antur.

Epiphanius.
Synodus Nicena.

His hunc in modum definitis, Melitius quidem, vt ait Theodoricus, nihil innouauit, at ex eius discipulis nonnulli, cùm hæresin Arianam à subsecutis Imperatoribus confirmatam viderent, ad eam defluxerunt, alij cùm pro libidine vitam instituere, nec aliis subiici vellent, omnem omninò cum Ecclesiis consensum detrectauerunt: & tanquam si suis legibus viuerent ridicula quædam, qualia sunt hæc, quotidie corpus aqua proluere, cum manuum plausu, quadámque saltatione hymnos modulari, tintinnabula (quod hodie à plerisque obseruatur) funibus aptare, iísque signum dare, & quædã eius monetæ alia commenti sunt: cuius quidem rei gratia perpetuum cum illis magno Athanasio bellũ fuit. Hactenus Theodorit⁹.

Theodoritus.

Quem ritum obijeruat Mahometistæ, vt & Hemerobaptistæ sup. lib. 1. cap. 41.

Cæterùm sacratissimus Athanasius in secundo Apologetico pro sua in persecutionis tempore fuga, vbi post alia multa epistolam quoque subiunxit, quam ab Vrsacio & Valente, illo Cibaleos, vel vt quidã volunt, Sigedonis in Illyriis, vel inferiore Pãnonia, hoc verò Mursæ in eadem Pãnonia Episcopo acceperat, rursus Apologiam suam ordine prosecut⁹, ait. Petrus apud nos ante per-
» secutionem Episcopus fuit, grassante autem
» persecutione martyrio coronatus est. Is Me-
» litium, qui vnus ex Ægyptiis Episcopis fe-
» rebatur, de multis sceleribus conuictum in
» communi Episcoporum synodo deposuit.

Athanasius Apologia 2. pro fuga sua.

Hic autem ad aliam nullam synodū confugere, neque ad Episcopos successores Petri vlla se Apologia purgare satagens, schismatis autor fuit: effecítque vt qui à partibus suis starent pro Christianis Melitiani dicerentur. Hæc magnus Athanasius. " " " " " "

Sozomenus autem historiis scriptum reliquit, quòd Melitius iam iam è viuis excessurus Ioannem quendam ex familiaribus suis, præter Nicenæ Synodi statutum, sibi in Lycôn Episcopatu successorem constituit, ataxiæque seu confusioni denuò fenestram aperuit, quæ posteà Ecclesias peruagata est. *Sozom.*

Sciendum autem, Diuo Athanasio autore, quòd cùm Nicena Synodus cēsuisset, vt ij, quos Melitius initiasset, honorum Ecclesiasticorum cōsortes essent, Beatus Alexander vnus repertus est, qui actorum tabulas quæreret, ne Melitius quoscunque vellet in dies instituere sibi liberum arbitraretur. *Athanas.*

Item quòd Arsenius (cuius manum secuisse Diuus Athanasius à sycophantis dictus fuerat) Hypseletôn vrbis, earū vnius, quæ aliquando subditæ Meletio fuerant, tandem Episcopus fuit, iccircò ab Arianis electus, quia aduersus venerabilem illum virum mentitus fuerat. *Arsenius.*

Quin & Ischyras Maræoticus eadem de causa ad Episcopatum ab iisdem euectus *Ischyras.*

fuerat,quanuis anteà depositus fuisset.

Coluthus. Quidam enim Coluthus nomine, Presbyter Alexandrinus, tanquam Orthodoxus,cum plerisque aliis in prima depositione Arij à Beato Alexandro facta subscripserat. Posteà verò Episcopatum somnians à Melitio superioris Cynus Episcopus creatus est. Tandem cùm Alexandriam Diuus Alexander eiusdem præsul Synodum conuocasset, præsente sacratissimo Episcopo *Hosius.* Cordubensi Hosio,quem tunc temporis eò magnus Imperator Constantinus miserat, vt Alexādrum & Arrium inter se conciliaret,depositus quidem est ipse quoque Coluthus, vt qui præter Canonas à Melitio creatus Episcopus fuisset:vnà etiam depositi sunt ij, qui ab ipso Colutho instituti fuerant, atque ille quidem ad priuatum locum rediit,illi verò ad laicos denuò redacti sunt. Horum è numero Ischyras vnus,quia Presbyter à Colutho institutus fuerat, atq; iccirco de gradu deiectus,tandem ab Arianis ad Episcopatum, vt iam dixi, prouectus est.

** Hæreseos præcedentis Confutatio.*

NVlla nos alia ratio mouit, vt ea quæ de Melitio feruntur hisce commentariis insereremus, quàm vt lectores cognoscerent, quàm plena aleæ, imò supra aleam

omnem res ſit,ſi qui cùm ex ipſa plebe,tum verò vel maximè ex ſacro Eccleſiaſticorum catalogo,quibus à Deo animarum cura demandata eſt, præpoſitis ſuis obſtreperi in ſchiſmaticos tandem neſcio quos euadant. Nam ſi ſacerdotes ſpiritu ſuperbiæ efferantur,triuialéſque populi turbas conuocent, atque ita eos in mutua odia arment, quos eadem diuini ſpiritus gratia coniungere, & in vnum quaſi corpus conglutinare debuerat, dum in partes & membra vnam illam Eccleſiæ compagem diuidunt,quis iã pacis apud populum præco futurus eſt? & perſuaſurus,vt ſpiritus coniunctione cohærentiam annulorũ imitetur? Nam qualia, quæſo,ſunt ea, quæ per ambitionem, & magni illius Alexandri odium Melitius commentus eſt,eúmque ſecuti diſcipuli deſignarũt? Ille enim dum ſummo iure ſummáque malitia ſeueritati canonicæ plus æquo ſtudet, & iis qui perſecutionis tempore lapſi erant, nec ad extremum concertauerant, ſed perſecutioni ſuccumbentes ſacrificauerant, infeſtior eſſe pergit, eò tandem inhumanitatis prolabitur,vt cũNouato ſentire ſe cuiuis perſpicuum faciat. Quocirca ne venia quidem dignus Synodo Nicenæ viſus eſt, qui talia refractarius præter Alexandri voluntatem deſignaſſet,atque diſcipulorum ſuorum quàm plurimos in Arrianorum hęreſin prouoluiſſet,qui priuatam eius opinionem

Alludit ad illud, vos eſtis ſal terræ: quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? &c. Matth. 5.

Nouatus.

ſecuti pertinaciùs,& neſcio quæ friuola,vt, verbi gratia,quotidie corpus abluere,hymnóſque cum manuum plauſibus & ſaltationibus modulari commenti eſſent. Ex quibus cuiuis perſpicuum fit,miſericordiam& humanitatem multis in rebus rigori, ſummóve iuri,præferēdam eſſe, in quibus præſertim certa pœnitudinis indicia cernuntur:taliſque adeò animi anguſtia, & cordis contritio,qualis in iis cernebatur,quos Maximus Alexander ad Melitium introduxit,

l.Placuit. C. de Iudic. & illud Cic. Sit erranti medicina confeſſio.

» eóſque qui cum illo in vinculis detineban-
» tur,ne fortè ſi qui re infecta,dicebat ille, remittantur, nimio dolore contabeſcant, ſéque in iis quæ pro delictorum venia obteſtantur,repulſam pati videntes,Deum quoque,qui totus ipſa miſericordia eſt,non minùs ſibi immiſericordem quandoque futurum putent, quàm terrenos in hoc ſeculo animarum ſuarum medicos conſpicarentur:& inde certam in deſperationem prolapſi,iam caput è profundo perditionis exerere non poſſint.

Cæterùm hęc & nobis,& ante nos aliis, non procul ab eo quod res eſt, piáque ſententia aberrantibus innotuiſſe,ex iis quæ ab Alexandro & Melitio geſta feruntur, quiuis facilè deprehendat. Ille enim cùm humanitatis plenum de iis qui perſecutionis tempore lapſi fuerant conſilium ſuggeſſiſſet, Martyrio vitam finiuit. Melitius verò,

dum ius summum studiosiùs persequitur, id consecutus est, vt & Martyrij corona exciderit, & à Diuis Patribus, qui Nicæam conuenerant, eo nomine condemnatus sit, quia seorsum Parasynagogas, hoc est illicita conuenticula, conuocaret. Insuper qui ab ipso instituti fuerant, secundas ab iis tulere, quos Alexander instituerat, atque adeò ne quod Ecclesiasticum munus attentarent interdictũ est. Quòd si qui illorum viuis excederent, hi tum demum in defunctorum locum surrogarentur. *Conuenticula.*

Finis libri quarti.

D. NICETÆ CHONIATÆ, SEV COLOSSENSIS Thesauri Orthodoxæ Fidei Liber V. Aduersus Arianos Eunomianos, &cæt. Petro Morello Turonẽsi interprete.

Protheoricum Petri Morelli Parergum, Ad Candidos Lectores.



Vod libris superioribus, Candidi Lectores, de DD. Nazianzeni Damascenique scriptis præmonui, si quis tersiorem eorum versionẽ vellet, integra Patrum ipsorum opera ei adeunda esse, quæ Magnus ille Iacobus Billius Sancti Michaëlis in Eremo Abbas Latio donauit: idem hoc libro Quinto de immortalibus D. Athanasij scriptis dicendum, ex quibus penè totus haustus & excerptus est. Si quis enim emunctiorem triuiali hac mea oraculorum Athanasianorũ interpretationem requirat, ne interpretem, quæso, eius adire pigeat, recentiorem, inquam illum, à me nunquam sine illa perpetui, quem discipulus doctißimo humanißimóque Præceptori debet, honoris præfatione nominandum D. Petrum Nannium, Regium in amœnißimo Musarum Charitúmque λειμῶνι, Louaniensi Academia, cui docti omnes secundas

R.P D. Iac. Billius.

D. Petrus Nannius.

à Parisiensi vltro deferunt, humaniorum literarũ Professorẽ, quem, cùm Ciceronianas aliquot in Verrem actiones in aula Buslidiana prælegeret, audiui, anno Christi, ni fallor, 1546. ætatisque meæ 19. eoque ipso tempore, quo Mechlinia (ô tristissimũ omnium, quæ hisce vnquã oculis vidi, spectaculũ!) de cælo tacta, penè tertia sui parte in funestissimũ bidental conuersa est. Mechlinia de cælo tacta.

Hæc porrò priori illi superioribus libris interstito de D. Damasceni scriptis παρέργῳ attexuissem, quia non paucis illi quoque libri Athanasianis testimoniis inspersi sunt, si D. Patris scripta, Latio à D. meo Nannio donata, meas in manus venissent, quæ nudius tertiùs primùm vidi, & tomos omnes per transennam eo consilio euolui, vt certior fierem, num aureum D. Athanasij opusculum, quod meas in manus ante quinquennium αὐτογράφῳ transcriptione incidit, cum plerisque aliis recèns inuentis editum esset. At nusquam eius in toto volumine mẽtio fit: sed Principis dũtaxat eius, cuius nomine scriptum est: Antiochi nimirùm, cui pulcherrimum illud Quæstionum ex vtroque Testamento elicitarum opus dicatur, quod primo Tomi quarti loco proponitur. Ad eundem ergo Antiochum ex Duce Monachum atque Abbatẽ Christianæ Fidei στοιχείωσιν, seu Institutionem Δωδεκακεφάλου seu Duodecim capitum inscriptione, cum Ducis ipsius Vita, habeo, quæ tunc demum in uulgus exibunt, cùm Nobilissimo viro D. Nicolao Tricelino à Brossis Bellilocensis, & Claritensis Monasteriorũ Abbati visum fuerit. Diui

D. Athanasii Opusculũ nondum prostans.

Antiochus ex Duce Monachus.

R. P. D. Nicol. à Brossis.

enim Athanasii opusculum illud, tanquam Thesaurum in Nobilis illius Abbatis agro (hoc est Bellilocensi Monasterio, quod Sanctissimæ Trinitati, cælesti Hierarchiæ, Dominicóque Sepulcro, Illustrissimus Andegauorum Comes Fulco Nerra, Gotofredi Grisa-gonellæ filius condidit, Monachis eò ex D. D. Vrsi Lochiensis, & Leubacij Senapariensis Cænobiolis in vnum conuocatis) à me inuentum sine Domini consensu, & iussu publicare nolim.

Fulco Nerra, Bellilocensis Monast. conditor.

Quòd si cui Parergi huius aliquota παρέκτασις tædio nulli sit, mihi sunt & alia nonnulla, eáque Varia scripta, ex primariis Locharum Bellilocique templis emendicata, quæ cùm Deus volet, apparebũt. Nam præter D. Athanasii Opusculum ex Regio Bellilocensi Cœnobio est mihi D. Martini Episcopi. De quatuor virtutibus opusculum multo castigatius, quàm quod vulgo tam sub Senecæ, quàm eiusdem Diui nomine prostat. Ex Regia porrò D. Virginis Lochiensis Basilica Aureum Paschasii de Eucharistiæ Sacramento libellum integrum (nã in eo quem Colonia edidit, duo triá ve folia desunt, quæ ex Lochiensi suppleri possunt.) Item Latinam Duodecim priorum Andegauorum Comitum historiam, in qua Gotofredi Grisagonellæ (cuius originem plerique recentiores Frãcicarum Rerum Historiographi se ignorare fatentur) genealogia Martiáque gesta, præter Lochiaci templi constructionem diffusissimè referũtur. Eãdem historiam & Latinam & Gallicam D. Nicol. Branchutus Lochiensium Præfectus Bellilocensiúmque Iudex mihi exscribendam vnà cum Archiuis aliquot Ecclesiæ

Gotofredus Grisagonella.

D. Nicol. Branchutus.

Lochiensis

Lochiensis in 50. capita digestus tradidit: quæ tamen absque R. P. D, Antonij Isauri S. Cypriani Pictaui Abbatis, & Lochiensis Ecclesiæ Prioris totiúsque adeò Capituli consensu & iussu publicare nolim. Archiua illa D. Petri Sandillij αὐτόγραφα sunt, cuius elegantißimum Ecclesiasticæ Prosodiæ opus in eiusdem Ecclesiæ choro seruatur, quod mihi doctißimorū Virorū D. Frācisci Marronis ibidem Cantoris & Canonici & D. Antonij Baraudini, qui Canonicus & ipse Diuique Vrsi Parochus est, auspiciis idem R. P. Isaurus & cæteri συμμύσται mihi & discipulis aliquot meis exscribendum tradiderunt. Sunt verò mihi & Opuscula aliquot doctißimi Theologi Nicolai Barptolomæi Lochiensis, D. Virginis Euangelicæ apud Aurelianos, dum viueret, Abbatis, quæ piis moribus & doctrina venerandus D. Stephanus Pauonius D. Vrsi Proparochus mihi commisit, quæ cùm Deus volet ChristoXylonico, Ennœis, & cæteris tāti viri iampridem prostantibus scriptis adiungentur. Tacendæ non sunt Rythmicæ Latinæ in singula Biblici organi capita hypotheses, quib⁹ doctißimus ille Cœnobita D. Claudius à Lacu, D. Gulielmi Maini Diœcetes, & D. Caterinæ Rothomagēsis Prior, Monasteriique Bellilocensis Epistasiæ præfectus (quod munus hodie fratri meo D. Petro Morello mihi homonymo commissum est) ille inquam DD. à Lacu, in suprema Parisiorū Curia Causidicorum Patruus, me donauit, effecitque (iam hoc parergum non est, quod ad hunc Nicetan attinet) vt D. Gulielmus Mainus, Bellilocensis anteà præsul,

R. P. D. Ant. Isaurus.

D. Francis. Marro.

D. Anton. Baraudinus.

Nicol. Barptolomæus Lochiens.

D. Stephan. Pauonius.

D. Claudius à Lacu.

R. P. D Gulielmus Mainus.

Diui Hilarij Pictauiensis Thesaurarius, Pictonicæ Academiæ Cancellarius, Gulielmi Budæi Achates, Regiorúmque Francisci Magni Francorum Regis liberorum præceptor, bibliothecam suam Græcis & Latinis autoribus instructißimam in optimi illius Præsidis D. Francisci à S. Andrea DD. Sãctandreanorum parentis gratiam mihi testamento legarit, quæ me in Niceta hoc aliísque Sanctãdreanæ bibliothecæ libris, quorum lemmata ei tunc proposui, Latio donandis adiuuaret.

D. Franc. à S. Andrea.

Sed quid ego hæc autẽ nequicquã ingrata reuoluo? Ad manuscriptũ exemplar transeo, in quo varia sententiarum omne genus Opuscula cõtinentur, quas Odo à Fouilliaco in discipuli sui Illustrißimi Principis Ioannis Aurelianensis gratiam, ordine acrostichico edidit. Acrostichidósque rationem in libri calce his verbis subiecit. Sic quinquaginta duæ literæ in principio quinquaginta duarum partium huius libri posita efficiunt septem dictiones quinquaginta duarum literarum, scilicet,

D. Ioannes Aurelianẽsis.

ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ.

IOANNES AVRELIANENSIS ENGOLISMENSIS COMES, ET NEPOS REGIVS.

Tandem liber hoc disticho clauditur.

Qui de Fouilliaco retinet cognomina vester
Edidit Odo istum, Princeps generose, libellum.

Sed de hoc libello, ædibúsque à D. Maïno in veterum Lochibellilocensium Scholarũ vsum Legatis, in quibus à rustico Chamburgiensi allatum ad me libellũ meo ære comparaui, alias plura. Eũ enim Christianißimi Francorum Polonorúmque Regis Henrici Tertij Tritauum fuisse audio, cuius Mausolæum in

Veteres Lochibellilocensium Scholæ.

D. Petri Cælestini æde marmore Pario extructū videatur, quique apud Engolismenses, vt D. Bellaforestaus scribit, pro Diuo colatur. Certè liber quem habeo pietatis studiosissimum fuisse testatur, totus piis sententiis respersus, quas Odo in eius vsum variis ex autoribus sacris, & prophanis collegit.

Superest Italicus libellus D. Christophori Aretini Lochiensis, quo Itinerarium Francisci Magni ab Auenione ad Peronam à Burgundorū obsidione liberandam describens pleraque loca, præsertim sacra, commemorat: eum mihi transcribendum commisit D. Michaël Aretinus, qui eiúsque frater D. Gasparus Aretinus in æde Lochiensi Canonici filij Christophori sunt, eiusdem ex filia nepos D. Franciscus Penissaldus Regius apud Lochienses procurator, vt & alij pleríque aliis ex filiabus. sed hæc hactenus. Iam Nicetæ narrationem de Arianis, Homœusianis, Anomœanis, Exucontianis, Eunomianis, & cæteris huiusmodi hæresibus ex Diui potissimum Athanasii Christiani Pancratiastæ scriptis exceptam aggrediamur. *D. Christop. Michael. & Gaspard. Aretini.* *D. Francisc. Penissaldus.*

De Arij genere, forma, vestitu, & sacerdotio. *Cap. I.*



ARIVS Afer genere, Alexādrinæ Diaconus Ecclesiæ fuit: cui sacri altaris ministerio sanctissimus Petrus prorsus interdixit, quia Deum Verbū ἑτεροούσιον, hoc est diuersæ à Patre substantiæ esse profiteretur, & huiusmodi verborum *Niceph. lib. 8 cap. 5. 11. 47. 51. &c*

portenta, ἐξ οὐκ ὄντων, seu ex nihilo, & ἦν ποτὲ, ὅτι οὐκ ἦν, seu fuit tempus, quo non fuit, introduceret.

Christianorũ persecutio. Cùm autem Maximiani Imperatoris iussu beatus hic Petrus comprehensus, & in carceres coniectus, atque adeò iamiam è viuis eximendus esset, Arius tristitiam vultu præ se ferens vnà cum Clero & omni populo delictorum veniam consecuturus adfuit. At vir Sanctus se Dominum in somnis forma pueri vidisse asserebat, qui Solem quidem splendore superaret, tunica autem à summo ad imum lacera indutus esset: atque ab eo accepisse, tunicã suam ab Arrio hunc in modum dissectam esse, ita vt hoc velut ænigmate scelesta illius dogmata significaret, quibus Deum Verbum à Patris substantia secernere conaretur.

D. Petri Alexand. Archiep. de Ario somnium.

Christi vestẽ lacerant hæreses.

His verbis sanctus ille vir Arrium à Christi gloria & in hoc & in futuro seculo alienum fore demonstrabat. Et hæc quidem in D. Petri Martyrio conscripta sunt. Vt autem Diuus Epiphanius autor est, à beati Petri obitu, Achillas in eius Episcopatum successit, qui Arriũ benignè suscepit, & in Presbyterorum ordinem cooptauit: atque Alexandrino cum Gymnasio, Ecclesiæque Baucalensi præfecit. Ibi enim multæ sunt Ecclesiæ, quæ quanuis in Alexandrini Pontificis ditione sint, priuatis tamen Presbyteris committuntur, qui parœciam, seu vi-

Achillas Alexandr. Archiep.

Arius Baucalensis Ecclesiæ Parochus.

ciniam doceăt,quarum in numero eſt Baucalis,& eæ,quæ à Diuis Dionyſio, Theona, Pierio, Serapione, Perſea,Diza, Mindidio, Anianóque denominantur. Baucaleos itaque cura, vt iam dixi, Ario demandata eſt, vt alîus cuiuſpiam Colutho, atque alîus item aliis.

Hæ eccleſiæ ϖραιτοπαπάδεις dicebantur.

Cæterùm Arius hic procera ſtatura, vultu ſubtriſti,& obſtipo,ſeu in terram demiſſo erat:ſemitoga & collobio vtebatur: ſermo illi blandus erat,& qui audientium animos miro cum lenocinio ſubiret.

Arij ἔκφρασις.

Peruerſorum Arij dogmatum enumeratio. Cap. 2.

SEptem porrò menſes interfluxerăt, cùm Achilla mortuo, Alexandro Eccleſiæ gubernacula commiſſa ſunt. Ex quo euenit, vt Arius, cùm inuidiam ferre non poſſet,contentionis & pugnæ occaſiones quæreret. Quem cùm Eccleſiæ ſubiiſſet aduerſarius,eò illum adduxit,vt Apoſtolicis Alexandri decretis aduerſaretur, & impudenter aſſereret (vt ex ipſius Alexandri Epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos conſtat, cuius exemplar ſcriptis ſuis Sozomenus & Socrates inſeruerunt) Deum Patrem non ſemper fuiſſe:ſed tẽpus extitiſſe, quo Deus Pater non fuerit.

Alexander Alexandr. Archiep.

Neque verò Dei Verbum ſemper fuiſſe,

verùm ἐξ οὐκ ὄντων, hoc eſt ex nihilo creatum: quandoquidem Deus ea quæ non erát ex iis quæ non erant, creauerit. Quocirca fuiſſe tempus aſſerebat, quo Filius non fuiſſet: ſi quidem Filius creatus & factus eſſet.

Addebat eum neque Patri ſimilem eſſentia eſſe, neque verum Patris & naturale Verbum: neque veram Sapientiam: ſed vnũ quippiam ex iis, quæ creata & in rerum naturam producta eſſent.

Verbum autem & Sapientiam καταχρηστικῶς, ſeu abuſiuè, dici: quandoquidem ipſe quoque proprio Dei Verbo creatus eſſet, & in eius ipſius Sapientia, in qua & ipſum Deus & omnia creauerat.

Ex quo fieret, vt τρεπτὸς & ἀλλοιωτὸς τὴν φύσιν, ſeu naturâ mutationi obnoxius eſſet, quemadmodum cætera quoque animalia, quæ ratione vtuntur: imò etiam extraneus, alienus, & quodam quaſi funiculo à Dei ſubſtantia ſeparatus, qui ne Patrem quidem videre queat.

Cùm enim Patrem perfectè & exactè non cognoſcat, ea de cauſa nec eum perfectè quoque videre poteſt, imò ne ſuam quidem ipſius eſſentiam, qualis ſit, perſpectam & exploratam habet: cùm propter nos factus fuerit: vt nos per eum, quaſi quoddam inſtrumentum crearet Deus: nec vnquam ſubſtitiſſet ille, niſi Deus creare nos voluiſſet.

Porrò τρεπτὸν, seu mutationi obnoxiũ, non minùs quàm Diabolum, asserebat, quippe qui natura mutationi obnoxia constet, cùm & genitus, & mutationi sit obnoxius.

Nec his contentus, vt Theodoritus autor est, carnis quoque à Verbo assumptæ mysterium mutilabat, cùm diceret corpus inanimum à Domino assumptum, diuinitatémque muniis animi perfunctam esse. Quibus verbis diuinitati συμπάθειαν illam, seu naturalem cum corpore consensum affingit. Συμπάθεια.

De Synodo Alexandrina centum Episcoporum, in qua cum Ario quinque alij Presbyteri, totidémque Diaconi Flaminio, seu gradu Ecclesiastico deiecti sunt.

Cap. 3.

HÆc & huiusmodi fuerunt impuri Arij dogmata, quibus plerosque irretiit incautiores. Cæterùm Diuus Alexander, primùm quidem cohortationibus & consiliis hominem ab instituto reuocare conatus est: vbi autem comperit eum impietatem suam publicè profiteri, Synodum prouincialem centum propè Episcoporum

Decem Ecclesiastici Ariani.

coëgit: in qua non Arium solum, sed Arianos quoque Achillem, Æithalem, Carponem, Arium alterum, Sarmatam, Euzoium, Lucium, Menan, Helladium, & Caium de gradu deiecit.

Ex horum porrò numero Presbyteri erant, non ipse duntaxat Arius, sed etiam Aeithales, Achilles, Carpon, Sarmatas, & Arius alter. Cæteri autem omnes Diaconi.

De Arianorum ducentorum Episcoporum Nicomediensi contra Orthodoxos Homoüsianos Antisynodo.

Cap. 4.

VErumenimuerò Arius quæ subsecuta sunt omnia, ea scripsit ad Eusebium, qui primùm Beryti, deinde Nicomediæ, quæ in Bithynia est, Episcopus, inde Constantinopolin translatus fuerat.

Coacta porrò Nicomediæ Synodo, cùm ducenti quinquaginta Episcopi eò conuenissent, vniuersis Episcopis scripsit, vt cum Ario tanquam Orthodoxo communicarent: quos tamen, id vt facerent, adducere non potuit.

Cæterùm cùm Eusebiani instarent, accitóque Ario, & excommunicato Alexãdro

Alexandriæ Pontifice, Homoüſij hæreſin anathemati ſubieciſſent, hîc animum recipiens Arius Legatos ad Paulinũ Tyri, nécnon Euſebium Cæſareæ, quæ in Palæſtina eſt, & Patrophilum Scythopoleos Epiſcopos mittit, à quibus petebat, vt ſibi ſuíſque conciones ad populum habere concederetur, vt potè qui Preſbyteri eſſent. Qui cum aliis Epiſcopis in Palæſtina conuenientes Arij poſtulatis ſubſcripſerunt.

De Nicena trecentorum Epiſcoporum, auſpiciis Conſtantini Magni Synodo coacta, controuerſiſq́; de Paſchæ feſto dogmatis. Cap. 5.

AT beatus Alexander hæc iam tuto ſupprimi ſilentio non poſſe ratus, ad Antiochenum, Romanum, & pleroſque alios Præſules ſcribit, quorum opera Magnus ille Conſtantinus Imperator certior his de rebus factus, non mediocriter dolere cœpit, eo præſertim nomine, quòd in recèns iactis fidei Chriſtianæ fundamentis dogmatum diſcordia multos ab amplexando Chriſtianiſmo reuocaret.

Quinetiam cùm eidẽ renuntiaretur Paſchæ feſtum à quibuſdam, ritu ab eo qui paſſim inoleuerat diuerſo, celebrari, dici nõ poteſt, quàm grauiter id moleſtéque ferret. *Schiſmata ob Paſchæ feſtum.*

Hosius Cordub. Episc.

Quocircà sacratissimum Cordubæ Episcopum Hosium, virum fide moribúsque probatissimum, qui anteà iis inclaruerat, quæ super controuerso dogmate professus fuerat, eáque de causa illum & beneuolentia & honore prosequebatur, Alexandriam ablegat, vt eos reconciliet, qui seditionem ibi super dogmate cōcitabant, atque illos etiam, qui in Oriente de Paschæ festo digladiabātur. Qui cùm re infecta rediisset, publico ꝓgrammate Imperator edixit, vt omnes Episcopi Nicæam Bithyniæ Metropolin conuenirent.

De Nicena Synodi sanctitate, & mansuris vsque in finem mundi legibus Ecclesiasticorum canonū Leo Magnus epistola. 53.

Quotquot itaque sub Romano degebāt Imperio, nimirum trecenti octodecim conuenerunt Episcopi, demptis iis, quos vel morbus vel ætas ingrauescens domi detinebat. Cùm enim nondum ciuitatibus omnibus suus obtigisset Episcopus, eo factum est, vt plures id temporis non conuenerint. Prouinciarum enim aliæ vni tantùm parebant, vt Scythia, seu Rosia, in hodiernum vsque diem. aliæ duos aut ad summum tres habebant, vt Dalmatia. Posteriore verò tempore plerisque, non ciuitatibus tantùm, sed etiam oppidis, sui dati sunt Episcopi.

Synodo Nicenæ quinam præfuerint, aut exomnyatorum vice interfuerint. Cap. 6.

IAm verò is qui ad Concilium conuenerāt pręfuere Macarius Hierosolymorum,

& Eustathius Antiochenorum Pontifices, quorum hic paulò antè, communi eorum qui conuenerant calculo dignus Apostolica sede habitus fuerat, atque iccircò è finitima Berrœa Antiochiam euocatus. Siquidē post Domnum, qui Paulo Samosateno successerat, Antiochenæ Ecclesiæ præfuerat Timæus, deinde Cyrillus, tum Vitalis: cui Philogonius successit, quem Paulinus subsecutus est, & Paulinum Romanus is, qui comprehensus cùm pro Christi religione tuenda martyrio vitam finiisset, Antiochia Episcopo vidua relicta est. quia nimirum, vt par est, per Tyrannorum persecutiones Episcoporum electio libera non esset.

Antiochenorum Episcoporum catalogus.

Id ergo temporis Antiochiam quidem Eustathius, Alexandriam verò Alexander moderabatur, cùm quo familiarissimè viuebat Magnus ille Athanasius, Diaconorúmq; choro præerat.

Cæterùm Iulij Romanorum Pontificis iam decrepiti loco Biton & Vincētius Presbyteri aderant. Theodoritus Syluestrum in viuis etiam tum superfuisse autor est. Eusebius autem Pamphili libro tertio De vita Constantini Imperatoris, Constantinopolitanum quidem Pontificem à Synodo abfuisse scribit, propter senium, at nomē eius supprimit. cuius loco Presbyteri quidam comparuerint. At verò ex Synodi Actis cōstat Metrophanem Constantinopoleos id

Metrophanes hic forsan autor est Hymnorū Triadicorum, qui D. Damasceni Anastasimis interseruntur.

temporis Episcopum fuisse,qui decrepitam ob ætatem in Synodo cōsidêre non potuerit,cuius tamen vicem Alexander suppleuerit Presbyter,cuius opera & ministerio Synodicæ literæ in Europam transmittebantur.

De prima Nicenæ Synodi Sessione, Quánam de causa conuenerint. Cap. 7.

QVotquot itaque in præfinitam ciuitatem Nicæam cōuenerunt, in consultationem,vt par est, adduxerunt, Quánā tandem de causa conuentus huiusmodi cogeretur. Atque Eusebius quidem, libro De Constantini vita tertio, se primum verba in Synodo fecisse testatur. Si tamen Theodorito credimus,Eustathius Antiochenus Episcopus primus encomiorum flosculis Imperatorium caput redimiuit.Vt autē Theodorus Mopsuestiæus scribit, Alexandro Alexandrino Pontifici id honoris vltrò delatum est.quippe qui Synodi cogendæ dux & autor extitisset. Hunc in Synodi consessu omnia vt se habebant ordine narrasse subiicit: multísque adeò sermonibus vltrò citróque habitis, Episcopos inter se omnes conuenisse, atque ὁμοούσιον Patri Filium, hoc est eiusdem prorsus cum illo substātiæ,pronuntiasse.

Quindecim Nicena in Synodo Episcopi se Arianos profitentur.

Soli tamen quindecim, Sozomeno teste, Arij dogmati subscripserunt: quorum

quidem plerique, mutata confeſtim ſententia, communem totius Eccleſiæ conſenſum amplexi ſunt. Sozomeno aſtipulantur Acta Synodi, quę paſſim circunferuntur. Iis enim conſtat ſeptemdecim Epiſcopos vnà cum Ario defeciſſe. quorũ ſex in eius hæreſi perſtiterint. vndecim autem palinodiam canẽtes manu quidem ſubſcripſerint, animo verò non item. *XVII. Epiſcopi Ariani.*

Socrates ait quinque Epiſcopos, Euſebium Nicomediæ, Theognin Nicęæ, Marin Chalcedonis, Theonam Marmaricæ, atque Secũdum Ptolemaïdis à Synodo ſeceſſiſſe. Theodorus autem Mopſueſtiæus autor eſt, nouem tantùm ex omnibus fuiſſe, quibus Synodi decreta non arriſerint, iiſque nominibus, Theognin Nicææ, Euſebium Nicomediæ, Patrophilum Scytopoleos, Euſebiũ Cæſareæ, quæ in Palęſtina eſt, Narciſſum Neroniadis, quę in Cilicia eſt, hodiéque Irenopolis dicitur, Paulinum Tyri, Menophãtum Epheſi, Secundum Ptolemaïdis, quæ Ægyptum attingit, & Theonan Marmaricę. Quorum cùm deprehenſa fuiſſet improbitas, tũc illi ſibi ab indignatione Synodi metuentes aliud impoſturæ genus excogitarunt. Secum enim reputantes fore, vt Eccleſiaſticis conuentibus eiecti infamiæ notam incurrerẽt, nec vllus poſthac ſibi ob impietatẽ deiectis adhæreſceret, iccircò cum Catholicis ſe ſentire finxerunt, omnéſque prę- *Epiſcoporum nouem hypocriſes.*

ter Theonam & Secundum Confeſſioni fidei ſubſcripſerunt.

Iam Theodoritus, paucos fuiſſe pręfatus, qui Ario adhæſerint, omniúmque nominibus expreſſis, iis qui iam à Theodoro commemorati ſunt, quatuor alios, Theodotum Laodicææ, Athanaſium Anazarbi, Gregorium Beryti, & Aëtium Lymes ſeu Diopoleos adiicit. deinde recentius quiddã præter cæteros omnes his verbis adiungit. Hi ergo Apoſtolicis cõtradicentes dogmatis, diuerſamque fidem profeſſi, Catholicis eam obtulerunt, quam perlectam cuncti, vt ſpuriam & adulterinam conſciderunt. Exorto autem tumultu, perterriti ſurrexerunt, primíque omnium Ario abrenũtiarunt, præter ſecundum & Theonam.

Cæterùm, vt Philoſtorgius primo Hiſtoriæ ſuæ libro autor eſt, ab Ario ſteterunt hi, quorum nomina ſubſequũtur, Epiſcopi. Ex ſuperiore quidem Libya Sentianus Boræi. Dachius Beronices, Secundus Theuchirorum, Zopyrus Barces, Secundus alius Ptolemaïdis, Theon Marmaricæ. Ex Thebis Ægyptiis Melitius. Ex Palæſtina Patrophilus Scythopoleos, Euſebius Cæſarienſis, qui Pamphili dictus eſt. Ex Phœnicia Paulinus Tyri, Amphion Sigedonis. Ex Cilicia Narciſſus Irenopoleos, Athanaſius Anazarbi, Tarcõdimatus Ægôn. Ex Cappadocia Leõtius, Longianus, & Eulalius. Ex Ponto, Baſi-

Fortè Sidonis legendum eſt, quia Sigideõ in Pannonia eſt.

lius Amasiæ, Melitius Sebastopoleos. Ex Bithynia, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Eusebius Nicomediæ. Magnus quidam cognomine, qui Luciano Martyri familiaris fuerat, virtutéque clarus, vt qui maximè: ex quo etiam Magni cognomen adeptus erat.

De Arij excommunicatione, vnà cum librorum eius, in primisque Thaliæ, seu Conuiuij improbatione. Cap. 8.

CÆterùm conscripto Fidei symbolo, scripturam quidem Eusebius Nicomediæ, vnà cum Theognide, Mari, Patrophilo, & Secundo approbauerunt, eíque propriis chirographis subscripserunt. at excommunicato Ario, dictionibúsque iis, quibus ad fulciendam hæresin vtebatur improbatis, quin libro etiam, quem super eadem cõscripserat, & Thaleian inscripserat, huiuscemodi excõmunicationi Eusebius Nicomediæ, & Theognis Nicææ, subscribere noluerunt.

Quare Arrium Imperator exilio multauit. Eusebium porrò vel alia de causa exosus, quia nimirum à Tyranno primus steterat, sibíque ipsi fuerat insidiatus, vnà cum Theogni exulare iussit. Itaque Eusebij loco Nicomediensi Ecclesiæ præfectus est Amphion: & Nicenæ loco Theognidis Chrestus. Nec ita multò pòst Arius ab exilio re- *Licinium intelligit aut Maximianum.*

uocatus est, eíque sola Ægypto atque Alexandria interdictum est. Paulóque pòst Eusebius quoque & Theognis, pœnitudine per hypocrisin simulata, suas vterque receperũt Ecclesias.

Idem Philostorgius sub finem primi libri, autor est, eorum qui Nicenæ Fidei subscripserãt, alios quidem è chirographorum suorum regione Homoüsij dictionem adscripsisse, alios verò ab Eusebio instructos blasphemam Homœusij vocem loco Homoüsij supposuisse. præter Secundum & Theonam: qui etiam vnà cum Ario eiúsque Presbyteris in Illyrium relegati sunt.

Homœusium ab hæreticis pro Homousio catholico suppositum.

Initio autem libri secundi scribit Eusebium, Theognin, & Marin eorum quæ subscripserant pœnitudine ductos ad Imperatorem venisse, hísque apud eum verbis vsos. Impij, Imperator, in eo fuimus, quòd tui metu perculsi impietati subscripserimus. Ex quo factum sit, vt Imperator excandescẽs eos in Gallias seu Galatias Occiduas relegarit. Arianos autem sua quemque patria excedere iussit. Cæterùm exacto triennio Eusebianis ad sua postliminiò redire permisit.

De Nicomediensi Arianorum aduersus Homoüsianos Orthodoxos Antisynodo, & insidiis in Eustathium Antiochenum Episcopum structis. Cap. 9.

ARiani ex Galliis reuersi ducentorum quinquaginta Episcoporum Antisynodo

do Nicomediam conuocata, Alexandrum excommunicarunt: & cum eo quotquot ὁμοούσιον profitebantur. Nec vllum impugnandæ Fidei Catholicæ finem faciebant Ariani, sibique aduersantium è medio tollendorum: in primis autem nullum nō mouebāt lapidem, quò Eustathium Antiocheno Episcopatu priuarēt. Quæ res Eusebium Nicomediensem mouit, vt orationis gratia se vnà cum Theognide Niceno, & aliquot aliis eodem morbo laborantibus Æliā proficisci fingeret.

Meretricis in Eustathiū calumnia.

Grauibus itaque insidiis Eustathium adoriuntur. Ælia enim Antiochiā reuersi, multis nummis meretricem sibi comparant, quæ hominem accuset: tum eum illi in ius vocāt. qui vocatus in ius adfuit. partim propria fretus conscientia, partim hoc plerisque malæ conscientiæ argumētum videri ratus, si quis Iudici se sistere detrectet.

Postulat ergo Eustathius, vt muliercula illa peccatis onusta & suffarcinata testimonio aliquo fidem verbis suis faciat, quodquidem & legibus & canonibus consentaneum erat. Illi autem mulieri, quæ probatione omni destituebatur, iusiurandum detulerūt: omnem in eo iudicij veritatem cōstituentes. Hoc autem ita ex professo egerant, vt illa veri iurisiurandi opinione, accusationi fictæ colorē adderet. Illa enim puerum duodecim annos natum producens,

eum ab Eustathio suscepisse dicebat. Cæterùm anteà clandestinum stuprum ab Eustathio quodam fabro passa fuerat, ex quo & puerum hunc susceperat.

Eustathio itaque hac arte deposito, Imperatorem Constantium huiusce rei certiorem fecerunt: vt Eusebium Pamphili Cæsareæ Episcopum in Antiochenam sedem surrogaret. At Eusebius literas eius muneris deprecatorias ad Imperatorem scripsit: quia nimirum id Ecclesiasticus ordo non pateretur. Cuius probato consilio Imperator eum beatum esse dixit, quippe qui non vnius vrbis dũtaxat, verùm totius etiam orbis Episcopatu dignus esset.

Eligitur ergo, qui Eustathio succedat, Arianus quidam, Euphronius nomine, vt Mopsuëstiæus, Socrates, & Sozomenus scribunt: vt autem Theodorito & Chronographo Theophani placet, Eulalius. Solus verò Philostorgius libro historiarum secundo Paulinum Tyro Antiochiam translatum esse autor est. Cæterùm annuente quoque Imperatore, Eustathius Philippos in Macedoniam abducitur, vnde originem trahebat.

Quàm subdolis artibus Ariani Hæresiarchæ sui reditum ab exilio impetrauerint, & de intendendis in Athanasium Alexandrinum Archiep. calumniis cogitauerint: quibus tandem sanctißimus vir Hierosolymitanæ synodi decreto apud Treuiros in Gallia exulare iussus est. Cap. 10.

CVm itaque hæc Eusebianis pro animi sententia successissent, maiore τῆς καινοτομίας seu nouandarum rerum studio exarserunt. Siquidem Eusebius & Theognis eo ad suam nequitiam pellecto, cui Nicenæ Synodi acta Imperator seruanda commiserat, propria chirographa deleuerunt, deincépsque publicè profiteri cœperunt, Filium eiusdem cum Patre substantiæ censendum non esse. Quod cùm grauiter & iniquo animo ferret Constantinus, eos ad sua redire iussit.

Verũenimuerò illi ad Imperij cõsortes se receperunt, contractáque cum illis familiaritate, pristinam παρρησίαν, seu dicendi libertatem, resumpserunt, & in Athanasium Magnum calumnias & insidias instruere, atque adeò Antisynodos aduersus illum cogere cœperunt. Hinc porrò eorum libertati plurimum incrementi accessit.

Insidiæ in orthodoxos ab Augusta Cõstantia & Presbytero quodam Ariano structæ.

Arianus Presbyter in Constantiæ Imperatoris sororis familiaritatem se insinuauerat. Hic eò tandẽ licentiæ prorupit, vt liberè

cum ea colloqueretur, Ariúmque iniustè & per inuidiam Ecclesia eiectum esse diceret. Quibus verbis adducta, Presbyterum in familiam adsciuit, Cùm autem hæc tam graui morbo laboraret, vt iamiam moritura videretur, à Constantino fratre, qui illam id temporis inuiserat, extremum hoc beneficium petiit, vt Presbyterum illum inter familiares haberet, eíque tanquam Orthodoxo crederet. Quod ad seipsam attineret, hanc sibi vitam curæ ampliùs non esse. Fratri autem ne quid aduersi contingeret, perhorrescere, quippe qui viros bonos iniusto multaret exilio.

Ab eo tempore Imperator, Presbytero in familiarium numerum allecto, mandatísque sororis ei cōmunicatis, facilè tandem eò adductus est, vt Arium ab exilio reuocaret, iuberétque vt scripto quid de Numine sentiret, profiteretur. Hic autem pristinam illam verborum à seipso inuentorum nouitatem fugiens, aliam Fidei confessionem cōtexuit, simplicibúsque verbis exarauit. Vnà porrò cum illo Euzoïus Diaconus erat.

Imperator itaque illos ea sentire suspicatus, quæ cum Nicæna Synodo consentirēt, Episcopos Hierosolyma conuenire iussit, vt perspecta illorum confessione, humaniùs de illis decernerent. Itaque Eusebiani opportunitatem nacti, Ario & Euzoïo iustificatis, Athanasium condemnarunt, qui illos

non admisisset. Cùm autem hic ad Imperatorem confugisset, eíque de iniquo illorum iudicio renuntiasset, Imperator cōminatorias ad eos literas misit. Territi ergo Cōstantinopolin aduolarunt, vbi nō paucis aduersus Athanasiū criminibus cōfictis, Imperatori tandem persuaserunt, vt eum in Occiduæ Galatiæ ciuitatem Tiberim relegaret.

Tiberin corruptè Nicetas pro Treuerin habet. nam Sozomen. li. 2 cap. 28. τρίβηριν appellat.

De Arij Alexandrina communione pulsi, nec ad Constantinopolitanam, nisi vi vix, & præter Orthodoxorum sententiam admissi, pudenda morte.
Cap. II.

POsteà cùm Arius hac impunitate proposita, Alexādriā venisset, nec eum Alexandrina Ecclesia in cōmunionē recepisset, Cōstātinopolin rediit, vbi Eusebianorū opera rursus in conspectum Imperatoris venit: eúmque Constantinopoleos Alexander admittere cogitur. Qui cùm eò adduci nō posset, Imperator grauioribus his eum verbis allocutus est.

Videmini mihi, inquit, inuidia bellum in viros mouere, quandoquidem eorum qui docere possunt neminem in Ecclesiasticum cœtum admittere vultis.

Quorum verborum aculeo compunctus Alexander, bene secum actum iri ratus est, si rem totam diuinæ prouidentiæ cōmit-

teret, Ariúmque rogauit, vt Nicenæ Fidei ſubſcriberet, nec id ſine iureiurando, quo ſe citra dolum ſubſcribere confirmaret, veráque adeò fide adductum, & eorum pœnitudine, quæ anteà per ignorantiam effutiuerat.

Cùm itaque Arius expeditè ſubſcripſiſſet, delatúmque iuſiurandum adieciſſet, ſcripto accepto Alexander in Dei templum ingreſſus eſt, & orauit. Die autem Dominica inſtante, qua quidem, vt decretum fuerat, ſuggeſtum conſcenſurus erat Arius, vt Preſbyteri munere denuo cohoneſtaretur, ædibus egreſſus, vt in Eccleſiam ſe conferret, paruulo quodam puero ſolùm comitante, cùm perueniſſet ad Sigma, locus hic eſt vrbis Conſtantinopoleos, ita dictus, nec procul Purpurea columba diſſitus: ea, inquã, cui maxima Cõſtantini ſtatua impoſita eſt, quæ Α᾿νθήλιος, hoc eſt Orienti Soli oppoſita, dicitur (quæ terræmotu etiam confracta eſt, Imperante Comnenorum primo Alexio) alui torminibus foricam ingredi coactus eſt, vbi naturalis excrementi loco diſrupta inteſtina egeſſit.

Sigma.
πορφύρεος κιών.
Anthelia Cõſtantini Magni ſtatua.

Theodoritus porrò autor eſt, Athanaſium Magnum in Epiſtola ad Appionem de his hunc in modum ſcribere.

Arius opera Euſebianorũ ab Imperatore Conſtantino accitus fuerat. Ingreſſum itaq; rogauit Imperator, num Eccleſiæ Catholicę

Athanaſ. ad Appion.

fidem amplecteretur. quem, cùm ex Orthodoxæ fidei præscripto se credere iurasset, fidémque scripto professus esset, confictis scripturarum vocibus, mox dimisit, dicés. Si recta est fides tua, pulchrè iurasti. sin secùs se res habeat, Deus è cœlo facta tua iudicet.

Egressum autem eum Eusebiani vi, pro more suo, in Ecclesiam introducere gestiebant. Alexandro autem Cōstantinopoleos Episcopo reluctante, hunc in modum comminabantur.

Quemadmodum nolétibus vobis ab Imperatore vocatus est, ita & in hanc Ecclesiam introducetur. Die porrò Sabbati dicta sunt hæc.

Quibus Alexander perculsus in Ecclesiā se recepit. ibíque humi abiectus, lacrymásq; profundens, hoc dilemmate Deum orauit.

Alexandri ad Deum super Arianis turbis oratio.

Si Arius cras ad Synaxin introducatur, arcana quadam dispensatione (imperuestigabilia enim iudicia tua) dimitte me seruum tuum, neque pium vnà cum impio perdas. Quòd si Ecclesiæ tuæ parcis, respice ad Eusebianorum verba, Arriúmque de medio tolle, ne si in Ecclesiam ingressus fuerit, hæresis quoque vnà cū illo ingressa videatur.

Hæc precatus in ædiculas suas lacrymis squalidus se recepit. At Arius Imperatoris promissa firma fore ratus, sub diluculum prodiit, móxque ad aluum egerendam publicas foricas ingressus est. relicto foris fa-

mulo, qui ſequebatur. Inteſtinis porrò confeſtim diſſolutis & egeſtis, ille intus ſedens exclamauit. Cùm autem ij qui vnà cum illo ſedebant, id affectionis conſpicati eſſent, & exclamaſſent, puer accurrit, mortuúmque conſpicatus, id quod acciderat propinquis eius renuntiauit.

Hæc itaque θεήλατος, ſeu diuinitus immiſſa, plaga ſimul atque celeberrimam hominum frequentia ciuitatem peruagata eſt, concurſus ab omnibus in diuinum templũ factus eſt. Quibus vbi primùm & Imperatoris promiſſum & Sacerdotis preces innotuerunt, Eccleſiarum quidem Præfectum collaudarunt, Arium verò propter hæreſin execrati ſunt.

De paralogiſtica Euſebij Nicomedienſis Epiſcopi ὁμοουσίου in ὁμοιούσιον mutatione, cui Conſtantius Imperator & duodecim pluréſque Epiſcopi ſubſcripſerunt. Cap. 12.

Sciendum porrò eſt, quòd cùm impius Arius Filium Dei creaturã diceret, eiuſdémque cum Patre ſubſtantiæ negaret: contráq; Niceni Patres eum ὁμοούσιον, ſeu ſubſtantia Patri coniunctum, eadémque cum illo natura præditum eſſe profiterentur, tãdem qui ab Euſebio Nicomediẽſi ſtabant, ὁμοουσίου vocabulo, quòd nuſquam in ſcripturis referiretur, exploſo, ὁμοιούσιον intro-

duxerunt. Quæquidem in verba Imperator Constantius, Episcopíque permulti iurarũt, quorum hæc sunt nomina.

Georgius, Laodicææ, quæ in Syria est, Episcopus: Basilius, Ancyræ. Eustathius, Sebastiæ: Eleusius, Cyzici; Sophronius, Pompeiopoleos, quæ in Paphlagonia est. Cyrillus, Hierosolymorum. Syluanus, Tarsi. Dracõtius, Pergami. Heortasius, Sardium. Neõ, Seleuciȩ, quȩ est in Isauria. Elpidius, Satalorum. Theophilus, Gabalorum: & alij non pauci: quiquidem Ἡμιάρειοι, seu Semiariani dicti sunt: quia cùm Arius Filium creaturam Patríque prorsus ἀνόμοιον, seu absimilem diceret, hi neque ὁμοούσιον cum Niçenis Patribus, Arrio hac in re fauentes, neque creaturam apertè profiteri hominum metu audebant, sed opinionem mediam secuti ὁμοιούσιον, seu similis cum Patre substãtiæ dicebant. ὁμοίου, seu similis, appellatione Filium Patri similem, non naturali, sed imaginaria quadam similitudine significantes: οὐσίας autem, seu essentiæ, nomine dogmatis absurditatem contegentes: atque iccirco impietatem quidem Arrianam ex animo prorsus amplexi, ita tamen, vt ex dimidio id agere viderentur, quia non apertè Filio creaturæ nomen tribuerent.

De Acacij ὁμοίῳ (cui viginti pluréſque ſubſcripſerunt Epiſcopi) eiq; contrario Aëtij ἀνομοίῳ: vnde Homœanorum, & Anomœanorum appellationes deductæ. Cap. 13.

NEc verò defuerunt, qui maiore impudentia laborantes, neque ὁμοούσιον, neque ὁμοιούσιον, ſed ὅμοιον, ſeu ſimilem, ſimpliciter & abſolutè dicerent, eodémque prorſus modo, quo Imagines Archetypis ſuis ſimiles eſſe dicuntur, quorum duces & autores fuerunt Acacius Cæſareæ, quæ in Palæſtina eſt, Epiſcopus: Georgius, Alexãdriæ: Eudoxius, Antiochiæ: Vranius, Tyri: Patrophilus, Scythòpoleos: Theodulus, Chæretoporum Phrygiæ: Theodoſius, Philadelphiæ, quæ eſt in Lydîa: Euagrius, Mitylenes: Leontius, Tripoleos Lydiæ: Phœbus, Silandes Phrygiæ: Eutychius, Eleutheropoleos Syriæ. Euſtathius, Epiphaniæ. Augarus, Cyri. Valens, Sigedonis, quæ in Pannonia eſt. Vrſacius, Murſes. Euſebius, Seleuciæ Syriacæ. Germinius, Sirmij. Auxentius, Mediolanorum. Demophilus, Berrhœæ. Baſilius, vel Baſiliſcus, Cauniorum Lydiæ, & cum his alij.

Auxentius hic eſt, qui D. Martinũ Turonenſem Archiepiſcopum Mediolano exulare coegit.

Nonnulli quoque fuerunt, qui Filium Patri Ἀνόμοιον, ſeu diſſimilem, publicè profiterentur: quemadmodum Aëtius, & eius conſortes.

De duabus duarum Ariminensis & Seleucianæ Synodorum indicendarum causis: priore, vt controuersia super Arriano dogmate componeretur: posteriore, vt trium Episcoporum Eustathij, Cyrilli, & Macedonij causæ discuterentur. Primúmque de 14. criminibus, quibus Eustathius impetitus est. Cap. 14.

Visum est itaque Constantio Imperatori cogendas esse Synodos, alteram quidem Occidentalium Episcoporum, apud Ariminum Italiæ: alteram verò apud Seleuciam Isauriæ, quæ τραχεῖα seu aspera dicitur, tum propter hæc dogmata, tũ propter quasdam criminationes cõtra Episcopos intentatas, quæ Synodica animaduersione compescendæ viderentur: vt contra Eustathium Sebastiæ, Cyrillum Hierosolymorum, & Macedonium Constantinopoleos Episcopos, qui variis fuerant impetiti criminibus.

1 Eustathius quidem, quia cùm Presbyter esset, ab Eulalio Patre Cæsareæ, quæ in Cappadocia est, Episcopo iam olim iudicatus fuerat, & à publicis precibus eiectus. *Eustathius Sebastiensis Episcopus 14 criminũ reus.*

2 Et quia posteà damnatus à Synodo fuerat, quæ ad Neocæsaream Ponti, ante magnam illam Nicenam, coierat, de iis consultatura, qui persecutione grassante lapsi fuerant:

3 Quin & Eusebius, primùm Nicomediæ,

deinde Cōstātinopoleos Episcopus, eum de gradu deiecerat.

4 Postremò, quia in Synodo Antiochena periurij conuictus fuerat, multáque alia, si Socrati credimus, præter Ecclesiasticos canonas designauerat.

5 Cùm nuptias prohibuisset:

6 A cibis abstinere iussisset.

7 Seruos à Dominis, prætextu pietatis, abire:

8 Mulieres & viros comā detondere monuisset:

9 Ipse etiam Philosophi Græci habitum gestaret;

10 Asseclásque suos hortaretur, vt peregrinum itidem cultum assumerent;

11 Indicta ieiunia negligeret:

12 Dominicis diebus ieiunandum doceret.

13 Preces, ne in coniugatorum ædibus fierent, prohiberet:

14 Denique, Presbyteri vxorem habentis, quam Laicus existens duxisset, benedictionem auersandam & deuitandam esse profiteretur.

Hæc & huiusmodi sunt crimina, quibus Eustathius est impetitus.

De Cyrilli Hierosolymorum Episcopi, ab Acacio competitore in ius vocati, quamlibet contumacis, ad maius tribunal prouocatione. Cap. 15.

QVæ autem aduersus Cyrillum instructa sunt, hunc in modũ se habent. Macarius Hierosolymorũ Episcopus, qui Nicenis Patribus consederat, Maximum Cõfessorem, cui dextrum oculum Maximinus Tyrannus effoderat, sinistríque cubiti neruos absciderat, atque vnà cum Paphnutio Ægyptiados Episcopo ad effodienda metalla condemnauerat, ad Diopoleos Episcopatum euexerat. Quod cùm ægrè ferrent Hierosolymitani (is enim post Macarij obitum Hierosolymorum Episcopus designatus fuerat) pœnitudine ductus est, aliúmque Diopolitanis Episcopum dedit. Maximúmque Hierosolymis manere iussit, ea lege vt sacerdotio secum fungeretur, séque mortuo Ecclesiæ præficeretur. Quæ cùm arrisissent, facto confestim comprobata sunt.

Maximus itaque Hierosolymorum Episcopus creatus, nescio quid humanitus perpessus est, atque ea in Synodo quam Eusebius Nicomediensis Hierosolyma conuocarat, quo tempore maximi Martyrij Encænia celebrata sunt, Athanasij Magni depositioni subscripsit. Postea verò Topica

Templū Hierosolymitanorum Christianorum intelligit.

seu locali Synodo Sardicensi coacta, vnà cum eo communicauit.

Iam post Constantis obitũ, qui ab Acacio Eusebij Pamphili successore, eiúsque Cæsareæ, quæ in Palestina est, Episcopo, nécnon à Patrophilo Scythopolitano stabant, ei obiecerunt, quòd quem priùs deposuerat, eum posteà pœnitudine ductus reuocasset.

Ea ergo de causa Maximum Episcopatu deiecerunt, Cyrillúmque, qui eiusdem cum ipsis hæreseos consors si non esset, saltem haberetur, asciuerunt. Hic de primatu cũ prædicto Acacio contẽdit, viro verborum elegantia, rerúmque grauitate percelebri, & qui ea consultando, quæ aliis minùs obuia essent, facilè perspiceret, omnium perspicacissimus, coniectandísque aliorum sententiis peridoneus: qui denique quamuis nullum non moueret lapidem, quo à se callida aduersariorũ consilia, subdoláſque technas amoliretur, eos tamen placidis oculis, nullámque præ se iracundiam ferentibus intuebatur: & aduersariis conuitiantibus assimulata quadam patientia ridebat: ac si lœdoriis & contumeliis nullis moueretur.

Primatus itaque ambitio inimicitiis quæ inter Acacium & Cyrillum exarserunt, ansam præbuit. Cùm autem Acácij ambitione res gereretur, Ælienses Cyrillum accusarunt, quòd cùm fames grassaretur, ille

Calumnia in Cyrillum.

pauperum prætextu ſacra clinodia, veſtéſque, auctioni expoſuiſſet, quarum nonnullas negotiator quidam coëmptas Thymelicæ cuidam ſeu ſcenicæ mulieri vendidiſſet. Theodoritus porrò autor eſt huiuſmodi veſtem Macario Hieroſolymorum ab Imperatore Conſtantino donatam fuiſſe, qua rem ſacram faciens vteretur, nec à Scenica muliere, ſed quodam eiuſdem artis viro cõparatam fuiſſe.

Cõuocatis ergo finitimis Epiſcopis Acacius, Cyrillum in ius vocauit: quem, quia ſępe vocatus non comparuiſſet, depoſuerunt. Hic auté ſolus id temporis, & primus præter Eccleſiaſticum Canonem appellationis ad publicum forum memor, iis à quibus depoſitus fuerat, prouocationis libellum miſit, & ad maius tribunal prouocauit. Cuius quidem appellationi Imperator quoq; Conſtantius ſuffragatus eſt. Atque de Cyrillo hactenus.

De Macedonij Conſtãtinopolitani Epiſcopi criminibus, & cæde tam Catholicorũ quàm Arianorum ob ſacræ Imperatoris Conſtantini capſæ tranſlationem ipſo in templo exorta.
Cap. 16.

MAcedonius autem Conſtantinopoleos Epiſcopus reus iccircò deferę-

batur, quia Eleusium quẽdam & Marathonium sceleris consortes habuerat, quorum opera Homousianos infestare posset. Eorum quidem alterum ex publico militum Prouincialium Calculatore Diaconum fecerat: cœnobiisque Monachorum & Monialium, atque Ptochotrophiis & Nosocomiis præfecerat, quippe qui diuitiarũ quantum satis erat ab exercitu sibi comparasset. Posteà verò ad Nicomediæ Episcopatum promouerat.

Eleusio autem, qui non instrenuè in Imperatoris comitatu militasset, Cyzici Episcopatum donarat. Ex quo euenit, vt malis innumeris Nouatianos afflictauerit, quos in primis ij sunt aggressi, qui Mantinæum, hoc est Ponticam Heracleam, reliquásque Paphlagoniæ partes incolebant. Eius enim consilio milites armati ab Imperatore missi sunt, qui illos adorirentur. Quocirca collatis vtrinque manibus, permulti vtrinque ceciderunt.

Ad hæc reliquiarum Magni illius Imperatoris Constantini capsam, non sine multæ sanguinis effusione, in sancti Martyris Acacij Basilicam transtulit, templum in quo reposita fuerat, ruinam minari causatus. Reluctantibus enim Catholicis, nec capsam loco mouendam esse conclamãtibus, idémque hoc esse, ac si tumulum effodiat, magna vtrinque cædes exorta est: vt ipsa etiã ædes

Diuo

Diuo Martyri ſacra,eiúſque ambitus, cruore redundaret.

De Ariminenſi Epiſcoporum quadringentis plurium Synodo: confeßioneque fidei ab Arianis apud Nicen Thraciæ conficta & pro vera Nicæna Bithyniæ ſuppoſita.

Cap. 17.

DVplex igitur, vt iam monui, coiit Synodus. Arimini quidem, vt de dogmatibus, Seleuciæ verò, vt de Epiſcoporum criminationibus cognoſceretur. Prior itaque Ariminenſis congregata eſt, conuenerúntque Occidentales Epiſcopi plures quadringentis. Quocirca Valens Sigedonis, Vrſacius Murſæ, Germinius Sirmij, Auxentius Mediolanorum, & Demophilus Berrhœæ in medium progreſſi, Filium Patri ὅμοιον, ſeu ſimilem, eſſe dicendum ex ſcripturarum præſcripto cenſuerunt. Οὐσίας autem, ſeu ſubſtantiæ, vbi de Deo agitur, nullam prorſus faciendam eſſe mentionem aſſeruerunt. Quos quidem ea in ſententia mordicus inſiſtentes, Synodus illa depoſuit: atque ad Imperatorem, qui per id tẽpus Sirmij erat, legatos miſit, qui eum de rebus in Synodo geſtis certiorem facerent. Qui autem depoſiti fuerãt, moleſtè id ferẽtes, legatos præuenerũt, Imperatoriq; Synodi acta renuntiarunt: & eum, qui Arriano dogmati faueret, cõtra Synodũ exaſperarunt: atq; ita legatos

eius re infecta remisit. Vrsacius ergo, hac licentia proposita, in oppidum Thraciæ nomine Nicen peruenit, Ariminensisque fidei expositionem in Græcum idioma trāsfusam, deinde subadulteratam & corruptā ita in vulgus emisit, ac si ab Vniuersali Synodo, quæ Nicen conuenisset, proficisceretur, similitudine nominis simplicioribus & rudioribus os oblinere conatus, eam esse fidei expositionem reputaturis, quæ apud Bithyniæ Nicæam edita esset.

Hinc Galli forsitā la Nique pro derisione dicunt.

Cùm autem Synodū tam diuturnæ apud Ariminum moræ iam tæderet, quia Imperator eam responso dignatus non fuerat, ij qui Filium Patri ὅμοιον, seu similem, profitebantur, nescio quos summiserunt, qui cū Patribus Ariminensibus consultarent, tanquam indignum esset, vt vnius nominis ergô, nimirum οὐσίας, seu substantiæ, à totius orbis Sacerdotibus diffiderent. Quorum ratione adducti Patres Ariminenses, scriptum collaudarunt, quod Vrsacius Mursæ, & Germinius Sirmij elaborarant. Qui veriti, ne secundi à Synodo ad Imperatorem missi legati, ei explanarent, quænam Episcoporum Occidentalium ab initio instantia, sublatique Homoüsij causa fuisset, eos hyemis prætextu apud Thraciæ Nicen detinuerunt: persuaserúntque, vt quod ediderant scriptum, Græcè interpretarentur. Quo facto, mox ad Orientis Episcopos miserunt.

Atque hæc quidē hunc in modū gesta sunt.

De Seleuciana centum sexaginta Episcoporum Antisynodo, in qua Homœanorum ab Homœusianis & Anomœanis secta diuisa est. Acaciúsque Homœanorum dux & autor in exilium actus.
Cap. 18.

NEc verò ita multò pòst Episcopi circiter centum & sexaginta Seleuciā Isauriæ conuenerunt, quibus se adiunxit quidā vir Illustris, & qui multum in aula Imperatoria poterat, nomine Leonas, & Lauricius Prouincialium militum Dux, qui ab Imperatore iussus fuerat suppetias Leonæ ferre, si opus esset. In prima autem Sessione, duas in partes repentè diuisi sunt. Atque vni quidē præerat Acacius Cæsareæ, quæ in Palæstina est, Episcopus, eiúsque cōsorres, duobus & trig nta plures: alteri autem Georgius Laodiceæ, quæ in Syria est, eiúsque consortes. *Leonas eique succenturiatus Lauricius.*

Atque hi quidem in cæteris omnibus Nicenæ Synodo subscribentes vnicā Homousij dictionem improbabant: ὁμοιόυσιόν que Patri Filium dicendum esse profitebantur. Acaciani verò in ea erant hæresi, vt & Homousio & Homœusio ex æquo reiectis, tāquam dictionibus, quæ à Scripturis alienæ prorsus essent, imò etiā ἀνομείῳ antiquato, Filium Patri ὅμοιον, seu similem, palam assererent. Est enim, vt Apostolus alicubi ait, imago Dei inuisibilis. *Coloss. 1.*

Interrogati verò quatenus eum Patri similẽ dicerẽt, Voluntate sola, respõdebãt: substãtia verò non item: quæ cùm vtranq; in partem agitarentur, diuissa est Synodus.

Cæterùm Acaciani cum iis à quibus dissentiebãt vlteriùs considêre noluerũt. Quapropter illi congregati Acacium & eius cõsortes deposuerunt: inter quos erat Eudoxius Antiochiæ, loco cuius Adrianus, vel Anianus, Antiocheni cleri Presbyter, suffectus est: qui confestim à Leona & Lauricio in exilium missus est.

Constãtius Imperator Aëtio Anomœanorum hæresiarcha in exilium acto, Ariminensi fidei pro Nicena supposita subscribens Acacianorũ Homœanorum hæresin amplexus est. Cap. 19.

CVm autem Constantius Imperator ab Occiduis partibus Constantinopolin rediisset, primúmque adeò eius vrbis Præfectum Honoratum nomine constituisset, atque Proconsulatus Magistratum antiquasset, Acaciani cò properè venerunt, & ex aulicis alios quidem suam in sententiam pellectos sibi conciliantes, alios autem Ecclesiasticis bonis ita corrumpentes, hac arte sibi ad Imperatoris aures viam aperuerũt, atque eos, qui diuersæ partis erant calumniati sunt: quorum decem ad Imperatorẽ venerũt. Quibus præsentibus vnà cum decem

aliis ab Ariminensi Synodo missis, imò aliis quoque tunc in aula fortè versantibus, mãdauit Imperator, vt super Aëtio anquireretur.

Quo facto, Aëtius quidem, qui Filium Patri ἀνόμοιον, seu dissimilem profitebatur, in exilium eiectus est. Acaciani autem ex composito, præmeditatáque fraude perfecerũt, vt Fidei expositio legeretur, quæ Arimino allata fuerat, in qua ex Valentis & Vrsacij ambitu, ὁμοουσίου nomine deleto, ὅμοιον, seu similẽ, secundum scripturas reposuerũt.

Quam Imperator quoque lectam amplexus est, & quanta esset illa Præsulum multido, qui Ariminum conuenerant, quadringentos enim fuisse præmonui, secum reputans, nec se aberraturum causatus, si Filium Patri similem esse diceret, præsertim cùm & ὅμοιον, & ὁμοιούσιον, & ὁμοούσιον idẽ significent. Cùm itaque ea in sententia esset, iussit Episcopos vnum idémque sentire super eorum confessione, qui ad Ariminum conuenerant: subscripserúntque cùm alij, tum decem illi qui Seleucia aduentauerãt, quin & Maris Chalcedonis, & Vrphilas Gotthiæ: quãuis priùs cum Theophilo sentiret, in cuius Episcopatum successerat: qui Nicena in Synodo præsens subscripserat.

Constantij Imperatoris heresis.

Quinquaginta Episcopi Acaciani seu Homœani, Anomœos vndecim Episcopos ob certa quædam crimina, potius quàm dogmata. Cap. 20.

VT in summa dicam, quinquaginta Episcopi cum Acacio hanc fidē confirmarunt, deinde eorum qui Seleuciam conuenerant, nonnullos deposuerunt: non quòd eos super controuerso dogmate culparent, sed quòd eis peculiaria quædam crimina obiicerent.

1 Macedonium enim Constantinopoleos Episcopum deposuerunt, abutentes Imperatoris ira, qua prædictis de causis excanduerat.

2 Basilium autem Ancyranum, qui Diogenem Presbyterum Antiochenū percussisset, calumniis nōnullis imperiisset: aliáq; huiusmodi nescio quæ flagitia designasset.

3 Eleusium verò Cyzici, quia Heraclium quendam Herculis Tyrij Sacerdotem incantationum reum, ad Dei ministerium temerè, prouexerat, cùm se Christianum esse fingeret.

4 Heortasium porrò Sardium, quia præter Episcoporum Lydiæ Suffraganeorum suorum sententiam electus fuerat.

5 Dracontium item Pergami, quia Galatia Pergamum translatus fuerat.

6 Syluanum quoque Tarsi, qui multis se

contumaciæ ducem & autorem, tum Seleuciæ, tum Constantinopoli præbuisset.
7 Theophilum præterea Castaballorum, quia Eleutheropoli eò translatus fuerat.
8 Sophronium insuper Pompeiopoleos, tãquam auarum, qui ea quę Ecclesiæ offerrentur, cauponari tentauisset.
9 Neonem etiam Seleuciæ Isauricæ, qui rudes quosdam, & sacrarum literarum iuxtà & ceremoniarum ignaros, ad Episcopatus prouexisset. At nostro hoc tẽpore Analphabeti prorsus, primorúmque elementorũ Grammatices ignari Episcopi creãtur, modò sigillum seu Chirographum depingere norint.

Alludit ad prouerbia Feli crocoton, Asinus mysteria, &cæt.

10 Quin & Elpidium Satalorum, qui Eusebium anteà depositum, Presbyterio restituisset, Nectariúmque quendam periurum Diaconatus officio dignatus esset.
11 Cyrillum denique Hierosolymorũ prædictis de causis.

De nonnullis Episcoporum mutatis sedibus, Meletiique ad Orthodoxos defectione, prædicandæq́ Homousiæ Trinitatis constantia, tribus expressæ digitis, quo Symbolo etiãnũ in benedictionibus Orthodoxi vtuntur.

Cap. 21.

IIs hunc in modũ depositis, non ita multò pòst loco Cyrilli Hierosolymorũ Eccle-

ſiæ gubernacula ſuſcepit Erenius: & poſt eum Heraclius, deincépſque Hilarius, vſque ad Theodoſij Imperatoris tempora: quibus Cyrillus ſuam in ſedem poſt liminio rediit. Theophanes autem Chronographus Hilarium ſolum Eccleſiæ à Cyrillo pręfuiſſe per annos duodecim, denuóque Cyrillum circiter annum Valentis tertiũ Hilario depoſito reſtitutum fuiſſe ſcribit. Loco autẽ Euſtathij Sebaſtianæ Eccleſiæ præfectus eſt Meletius. Ille verò Sebaſtia Syriacã in Berrhœam tranſlatus eſt. Qui cùm ad Seleucię Synodum veniſſet, Acacianorúmque fidei ſubſcripſiſſet, ea in ſententia Berrhœam reuerſus eſt.

Meletij Homœani παλινῳδία & ad Catholicos Homouſianos defectio.

Cõuocata autem Cõſtantinopolin Synodo, & Eudoxio in eius ſedem tranſlato, placuit vt Berrhœa quoque Meletius Antiochiam transferretur: quippe qui in Eudoxij Acaciíque ſententiam pedibus iret: at illorum expectationem fruſtratus eſt. Defecit enim ad Orthodoxos, & Filiũ eiuſdem cũ Patre ſubſtantiæ eſſe, docere cœpit. Cùm autem Archidiaconus accurriſſet, docentíſque os manus obtentu præcluſiſſet, ille propria manu apertiùs quàm voce, animi ſui ſenſa patefecit: tréſque ſolos diducens digitos, illos denuò in vnum cum cæteris adduxit: vnum Deum hac manus figura ſubindicans; populo velut in imagi-

S. Trinitas tribus digitis expreſſa, vt etiamnum ſignum crucis exprimitur.

ne delineans ea, quæ & sentiebat, & dicere gestiebat.

Quæ cùm primùm renuntiata Constantio fuerunt, ille Meletio exulare iusso, Euzoïum, qui iam anteà cum Ario de gradu deiectus fuerat, in illius locum surrogauit.

De Arianorum Homœanorum in Anomœanos & Exucontios, qui Christum ἐξ οὐκ ὄντων aßererent, subita mutatione. Cap. 22.

ACaciani autem pœnitudine ducti, quòd Filium Patri prorsus ὅμοιον, seu similem asseruissent, Antiochiam, quæ in Syria est, se contulerunt. Congressique cum Euzoïo, ὁμοίου vocabulum ex Ariminensi Confessione Fidei delendam esse censuerunt. cùm Filius ἐξ οὐκ ὄντων, hoc est ex nihilo, creatus sit. atque idcircò Patri ἀνόμοιος existat. Qua in re adiutores habuerunt eos, qui ab Aëtio stabant. Ex quo factum est, vt qui Ariani anteà dicti fuerant, Anomœi quoque & Exucontij ab Antiochenis Homoüsianis dicerentur; à quibus etiam interrogati, quî tandem fieret, vt qui sua in Fidei cōfessione Filium ex Deo processisse asseruissent, nunc eundem ὅμοιον, & ex nihilo creatum dicere auderent, respondebāt, Paulum quoque Apostolum dixisse, Omnia ex

Ἀνόμοιοι. Ἐξουκόντιοι.

Rom. 11.

Deo processisse, Filium autem vnum quippiam ex omnium esse numero, quod in causa fuisset, vt Fidei Confessionibus hæc verba, Secundum Scripturas, adiecta essent.

Huiusmodi ergo sophismatis illudere tentabant, grauiter tamen & iniquo animo ferentes, quòd hæc sententia improbaretur, denuò Fidei Confessionem legerunt, quæ Constantinopoli confirmata fuerat. Atque ita singuli ad suos Episcopatus redierunt.

Antiochiæ verò Catholicorum multitudo duas in factiones scissa est. quorum alij Meletium honore summo prosequerentur, alij communionem illius refugerent. hac ratione moti, quòd Meletius Arianorum suffragio electus esset, & quòd eius asseclæ ab Arianis baptizati essent.

De exulum Episcoporum, in primísque Athanasij, Eusebij, Luciferi, & Hilarij Pictauensis sub Iuliano Cæsare, reditu. Alexandrináque Synodo, & Nicenorum Canonum confirmatione.

Cap. 23.

CÆterùm mortuò Constantio Iulianus Imperij gubernacula suscepit, Cõstantíique sæuitia in subditos non sine calumniis improbata & damnata, omnes Episcopos ab exilio reuocari iussit. Reuocati sunt ergo cùm alij, tum Athanasius Alexandri-

nus, & ij qui propter eum in Synodo Mediolanensi exulare iussi fuerant. inter quos erat Eusebius Vercellarum, quæ in Liguria sunt, siue apud Ligures Italiæ populos. Item Lucifer Carallorum Sardiniæ, & Hilarius Pictauorum, qui secunda in Aquitania sunt.

Itaque Eusebius & Lucifer à superioribus Thebis redeuntes inter se pacti sunt, vt alter Alexandriam, alter Antiochiam se cõferret, vbi consiliũ de diuinis dogmatis componẽdis iniretur. Atque Eusebius quidem, simul atque Alexãdriam appulit, Synodum vnà cum Athanasio conuocauit.

Cùm ergo variis ex vrbibus Episcopi cõuenissent, Nicenæ Synodi decreta cõfirmata sunt: Deíque sermo, qui homo factus est, non solùm incarnatus, sed & anima rationali præditus, & perfectus homo communi omnium calculo proclamatus est. atq; adeò Spiritus Sanctus eiusdem cum Patre & Filio substantiæ esse demonstratus est.

De Luciferianorum ab Alexandrina Synodo dissentientium hæresi, turbísque in Antiochena Ecclesia obortis, & Meletij exilio. Cap. 24.

CVm autem Lucifer Antiochiam ante Meletij ab exilio reditum aduentasset, Catholicósque inter se diuisos deprehendisset, facinus haudquaquam pium designauit: electo diuersarum partium Paulino Episco- *Pro exilio Ecclesia legẽdum videtur. vt patet ex proximè sequentibus.*

po, cuius facinoris Eusebius certior factus apertè quidem non improbauit, Luciferum enim reuerebatur: cæterùm neutri parti cõmunicauit. Quibus auditis Lucifer indignatus est, atque Alexandrinæ Synodi Acta improbare tentauit: vetuítque ne quis Eusebio communicaret: quæ res in causa fuit hæreseos eorũ, qui ab eius nomine Luciferiani dicti sunt. Qui enim hæc iniquo animo vnà cum illo tulerunt, seorsum ab Ecclesia iuerunt. Cùm autem Melitius Ecclesiam suã reuisisset, eósque à quibus amabatur priuatim congregatos inuenisset, iis præfuit. Ecclesias autẽ Euzoius religionis Arianæ Antistes occupauit. Paulinus autem interiorum ecclesiarum vni præfectus est, Euzoij permissu, qui Paulinum reuereretur.

Hinc patet Ecclesia pro exilio reponendum in princ. cap. huius.

Cæterùm Meletius extra portas ciuitatis synagogas seu conuenticula habuit, vsque ad impij Valentis Imperatoris tempora. Is enim cùm Antiochiã venisset, Paulino quidem, viri vitam moréſque reueritus, pepercit, Meletium autem exulare iussit.

Iterum qui sub Valente ob religionem exularant sub Gratiano & Valentiniano Iuniore reuocati sunt. Iterúmque turbæ ob Meletium apud Antiochenos exortæ, tandem vix conquieuerunt. Cap. 25.

POrrò cùm Valens ipse violenta morte vitã in Mysia abrupisset, Gratianus Va-

lentiniani Filius vnà cum fratre Valentiniano Iuniore toti⁹ Imperij Romani gubernacula ſuſcepit,atq; omnes qui religionis nomine à Valēte in exilium miſsi fuerant, lege data reuocauit.Ea igitur lege ſimul atq; Meletius Antiochiā remeauit,graui quadā con tētione populus differri cœpit. Nā ſine vlla mora quotquot ei fauebant,nullum nō mouerunt lapidē,vt Paulino iam decrepito cōſors & collega corrogaretur.Paulino autem refragante, dicentéque præter canonas hoc eſſe,vt conſortem aſſumat, qui ab Artianis electus fuerit, qui Meletio fauebant, plures certè numero, in Eccleſiarum ſuburbanarum vna in Epiſcopali cathedra Meletium collocant. Cùm autem populus vtrinque exaſperaretur, réſque iam iam ad ſeditionem ventura videretur, his tandem legibus inter ſe pacti conuenerunt. Congregatis enim Epiſcopatus Suffraganeis, iiſque numero ſex, inter quos & Flauianus erat,iureiurando eos obſtrinxerunt, neminem priùs Epiſcopum creatum iri, quùm Paulinus & Meletius è viuis exceſſiſſent. Quibus iureiurādo cōfirmatis, mutua inter eos diſſentio ſimultáſque conquieuit.

De Constantinopolitana Synodo Theodosij Magni iussu coacta omniúmque maximis turbis Antiochiæ à Meletij morte ob Flauianum eius successorē exortis: postremo de Isidoro Hieromonacho, quem Damasus Constantinopolitanū crearit Episcopum. Cap. 26.

HIs ita transactis Meletium rogarunt, vt Constantinopolín veniret: siquidem plerique & alij Episcopi eodem in loco cōgregati ea in sententia erant, vt Gregorius Nazianzo translatus, Episcopatui Constantinopolitano præficeretur. nec ita multò post cùm Theodosius Magnus Imperator Ecclesiam perturbatam comperisset, Synodum Constantinopoli congregauit, vt Nicęna fides obseruaretur. Qua congregata & finita, Meletius ad Deum migrauit: cuius corpore Antiochiam translato, Flauianus eius loco electus est, viuo etiámnum Paulino, præter pacta iureiurādo firmata. Ex quo euenit, vt Antiochenorum plerique cōmunionem Flauiani defugerent, priuatímque à Paulino conuocarentur. Quin ipsi quoq; Antistites inter se dissentiebant. Quandoquidem Ægyptij, Arabes, & Cyprij iniuriā Paulino illatam ægrè ferebant. Syri autem, Palæstini, Phœnices, Armenij, Cappadoces, Galatæ, & plerique Ponticorum à Flauiano stabāt. Nec verò mediocriter infensi ei erāt Romæ Episcopus & cæteri Occidentales,

Antiochenorum διχοστασία.

atque ad Paulinum quidem,vt Antiochenũ Episcopum scribebant, Flauiani autẽ mentionem nullam faciebant: infensique adeò erant, Diodoro Tarsi,& Acacio Berrhœæ, qui eum elegissent,nec eos àd communionẽ admittebant.

Quin & ipsi & Gratianus Imperator literis Orientales Episcopos ad Occidentẽ conuocarunt,qui ea de re decernerẽt: at nullus eis morem gessit.

Cæterùm Patriarcha Photius huiusmodi scholiõ huic capiti obiter inseruit. Nota Romanæ Alexandrinæque sedis vehementem aduersus Flauianum concitationẽ,quæ nihili tamẽ facta est,quòd præter rationem facta videretur.

Quia enim Flauianus à nullo dãnatus intra suos fines à suis excolebatur,eò fiebat,vt alienas expostulationes, tanquam septa sua transcendentes,irritas manere facilè pateretur.

Mortuo autem Paulino,Flauianum populus iterum auersatus est, operáque & studio effecit,vt Euagrius ꝓprię parti pręficeretur. Qui cùm pauco & ipse tempore superuixisset,nullus in eius locum suffectus est, ídque Flauiani opera. Verumenimuerò refractarij quidam Flauianum auersari pergẽtes,priuatis conuenticulis congregabantur, at ille nullum non rationis funem mouit, vt hos quoque sibi subiiceret: quod & paulò post- *Conuenticula priuata.*

eà perfecit.

Cùm enim Theophilum Alexandrinum ſibi obſequio ſuo amicum paraſſet, eius opera cum Damaſo Romano in gratiam rediit, profecto ad eum Iſidoro Monacho & Presbytero: qui cùm Scetenſium Philoſophorum vnus eſſet, Damaſo gratus vſque adeò fuit, vt ſine vlla mora & cōfeſtim illum Cōſtantinopoleos Epiſcopum crearit. Porrò Theodoritus autor eſt Flauianū nō cum Damaſo Romano, ſed cum Innocentio in gratiā rediiſſe, ídque opera & ſtudio Theodoſij Imperatoris: miſſis ad Flauianum Berrhœenſi aliíſque Epiſcopis. Non deſunt, quibus is qui inter Patres Chryſologus dictus eſt, vnà cum Theophilo Alexandrino, Acacij Berrhœēſis, & Iſidori Presbyteri ſtudio, gratiam Flauiano conciliaſſe videatur.

Iſidorus Conſtantinop. Epiſcopus ex Scetenſi philoſopho ſeu Monacho.

[Item alia eiuſdem Nicetæ, præcedentibus annectenda] Inuectiua digreſsio Nicetæ in Analphabetos ſui temporis Epiſcopos, quorum in primis opera Andronicus & Alexius Comneni in ſacra templorum Clinodia inuaſerunt: cuius ſacrilegij Alexius Aurea bulla pœnitere ſe proteſtatus eſt. *Cap. 27.*

VErumenimuerò impij Arij Refutationes interim in alium locum reiiciātur. Quia enim Aëtius & Eunomius Arij conſortes fuerunt, operæprecium facturus videor,

decor; si quæ ad illis designata sunt, huic historię priùs inseram: tum deinde ad cómunem trium confutationem aggrediar.

Quod enim iaculum quis in eorum vnum parauerit, id verò non absurdè in cæteros quoque detorserit. Illa porrò in præsentiarùm mihi perpendenda videntur, quæcunque illi, quibus cleri administratio sorte obtigit, aduersus eum effutiuerunt, à quo ad pastorale munus euecti sunt: & quibus oues suas damnis attriuerunt. Imò verò liber quo res ab illis gestæ continentur dilucidéque tractantur, cuiuis legendus audiendúsve patet. quoquidem impietas & abominatio detegitur, qua profani illi Episcopi vltro sese inuoluerunt. qui pecunias in vsus pauperum destinatas ad priuatum fastum, & eorũ obsequium, qui consortes Imperatorum id tẽporis erant, tanquam palearum aceruos euentilantes, ex iis alios quidem sermonum piorum & simplicitate gaudentium conuersionibus, dialecticísque compendiis in perditionis barathrum præcipites dederunt, aliis autem impingentes retusi sunt, non secus atque si in murum Semiramium dentes infregissent, quippe qui diuitiis eorũ prudentiores essent, nec vllis logicorum epicherematum machinis percellerẽtur. Hos verò Synodorum sibi consentanearum conuocatione, nécnon eorum consensu & fauore, qui multa possent apud Imperatores

Eunomiani iijdẽ quibus Ariani telis confodiendi.

In pseudo episcopos.

Librũ de vitu patriarch. Cõstãtinop. intelligit.

Ecclesiæ bonorum scopus & ratio.

Alludit ad Horat. fragili quærens illidere dentẽ Infringit solido.

attere re prorsus conabantur. nec solùm suis eos sedibus & ouilibus deturbabant, sed etiam quo iure quáque iniuria semper è medio tollere meditabantur. nonnullos etiam commentis dolis & sycophantiis impetebant, & huiusmodi artibus optata cõsequebantur. cùm iustitia subsannet eos, iudiciis ei soli cognitis, cui quoties peccant homines in iram exandescere non placet, at in plerisque vel in diuturnum tempus de iniquis facinoribus pœnas repetere differt. Hunc in modum pastores desipiebant, nec eorum pauci vineam Dei corrumpebant. Quocirca Dominus grauiter id molestéque ferens per Prophetam exclamat.

Ouid. Si quoties peccãt homines sua fulmina mittat, Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

Ierem 23. Ezech. 34.

Væ qui pascunt seipsos, Imò si quis penitiùs exploret, ea quæ huiusmodi Episcopi temerè designarunt, & aduersus Deum innumeris modis prolocuti sunt, eos ne seipsos quidem pascere, nec ouile tantùm negligere, sed & seipsos & suum gregem à Deo distraxisse, gregémque nullo non herbæ letalis & mortiferæ genere pauisse, nullo non deniq; turbido nec poculento flumine adaquasse comperiet, ex quo ipsi quoque poculum porrigant, tãquam duces gregis arietes, quibus sonora sacerdotij crepitacula incassum appensa sint. Cæterùm quanuis omnia ita tractarẽt, vt inde nil præter priuatam accusationem, & animæ plerorúmque perditionem consequerentur, nonnulla tamen

Arietes.

vtilia amplexi quoque sunt. Ita vt ex eis tanquam spinis rosas decerpere, & tanquam serpentum carnibus panaceam salutarem conficere liceat. tunc, inquam, cùm & pastores & pastorum mercenarios deposuerunt, quotquot fidei rudes & ignaros deprehenderunt, nec idoneos qui fidei Catholicę præcepta subditis suis ex eorum præscripto explicarent. *Rosas ex spinis decerpere.*

Verumenimuerò à nonnullis quoque accusati sunt, quòd percussores & rapaces essent, quòd eos qui de gradu deiecti fuerant ad communionem admisissent, quòd seditiones concitassent, quòd denique inopibus elementis & principiis ea quæ in vita facturi essent præmunissent: quæquidem si cum cæteris Ecclesiæ ceremoniis, quæ communi vtilitati consulunt, non euanuissent, imò si nullus in hodiernum vsque diem ea transgressus esset, quæ recta ratio præscribit, & quæ rectè à piis Patribus iam olim sancita sunt, haudquaquã nescio quibus glebarum occatoribus, vectigalium redemptoribus, ferarum venatoribus, publicis procerũ aulicorum consortibus, dogmatum fidei prorsus ignaris, incãtatoribus denique & raptoribus Episcopales sedes committerẽtur: nec iis, qui vt hoc quoque dicam, subditos suos, quibus pascendis præfecti sunt, multò violentiùs expilant, quàm publici vectigalium exactores, dum tributariorum debitum nõ *De huiusmodi phorologis Chrysost. in cõparatione Regis ad monachum.*

ſuperficiaria lana, mulgendóque lacte tenus definiunt, ſed etiam

Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudant.

Eccleſiaſticorum contemptus origo. Ex quo euenit, vt priſtina illa Regum obiurgandorum dicendíque citra pudorem quidlibet coram eis libertas prorſus illis perierit, paucíque adeò illos iam reuereantur: atque ex conſequentia maximum illud Pontificiæ dignitatis decus euiluerit, eiúſque loco ea introducta ſint, quæ veros Pontifices omnino dedeceant: cuiuſmodi ſunt Imperatoribus aſſentari, & ſeruili more quæcunque ab illis dicuntur aut fiunt approbare, quanlibet illa flagitiis omnibus flagitioſiora ſint.

Parrhesiam intelligit ei ſimilem, qua vſus eſt D. Ambroſius Theodoſium Imp. obiurgans.

Vt taceam, quòd nobis quoque, qui magiſtratibus fungimur, libertatem omnem dicendi abſtulerint. atque nos ex ſublimi dignitatis gradu deturbauerint, & humi proſtrauerint, eò deniq; adegerint, vt vnà cum illis Melitæorum catellorum more Imperatoribus blandiri coacti fuerimus. Nam quid aliud quæſo, feciſſemus, cùm primariæ ſedis Pontificem & cæteros, vt ordine ſubſequũtur, Epiſcopos, vnico nutu & verbo permiſiſſe videremus, vt ſacra clinodia auellerentur, gentibúſque tanquam canibus ad epulas parandas exponerentur: cùm ſua cuíque priuato, imò Reipublicæ quoque ipſi, vt ita dicã, ſarta tecta & integra manerẽt, & in futuros vſus à ſuis poſſeſſoribus recõderẽtur.

Sacrorũ vaſorum diſtractionem intelligit, cuius Alexius Comnenus in Aurea bulla meminit.

Omninò ſi temerè reſtitiſſemus, obtorto hauddubiè collo de tribunali deiecti fuiſſemus. Illud enim exemplum impudentiæ, qui nobis id temporis aſſidebat Imperator, nihil non eorum quæ petebantur, vltrò con cedebat. quare ſi quis affectu omni ſemoto, rem penitiùs perſpicere velit, Eccleſiaſticos hauddubiè plura deſignaſſe flagitia comperiet, quàm Imperatoris aulicos & ſatellites. Hi enim quæcunque Imperij magnitudo, poteſtatis præcellentia, & voluntas tulit, ea per fas & nefas deſignauerunt. hi autem & coadiutoribus ſuis domeſticis, illis quidem hoſtibus, & aulicorum pleriſq; perniciei autores exitiíque fuerunt: quippè qui, tãquam Deo ſuccenturiati opitulatores, ius perſuadendi haberent, quíque nihil abſque diuino inſtinctu aut dicere aut agere cenſerentur. Pauci enim ſunt, qui per feneſtram pectoris introſpicere, cordiúmque cogitationes perſpectas habere queant. Sed hæc hactenus: ne quibus fortè propria peccata in tergum reiicere, aliena verò anteriore mãticæ parte geſtare, eáque curioſioribus oculis inſpectare videar.

Andronicũ intelligit, de quo Michael Choniates in Monodia.

De Semiarianorum Epiſcoporum hypocriſi, præcipuiſque hæreſeos eorum capitibus. Cap. 28.

VT ergo vnde digreſſa eſt, eò ſe referat oratio, videamus quæ & qualia fuerint

illa verba, quæ Arianæ luis propugnatores aduersus Christũ cõceperunt, & pepererũt, frequentibúsque synodis conuocatis, omnium auribus exposuerunt, deniq; tãquam orthodoxa cõfirmare ausi sunt, quanuis interim nihil nisi meram impietatem spirarẽt, tanquam adulterina & ab Ecclesiæ Apostolicæ placitis aliena. Ac primùm quidem quis Theognin Nicææ, Eusebium Nicomediæ, atque Eusebium Cæsareæ, quæ est in Palæstina, non accuset? qui illiberali & Pontificibus indigno sensu præditi fuerint. Cùm enim hæreticæ factionis essent, verentúrque ne propriis Ecclesiis exciderent, aut infamia notarentur, Arium, simulatè abiurarunt: paulóque pòst, more canum ad proprium vomitum reuersi, Arij depositioni non consenserunt, sed resilientes nullum exinde fidei Catholicæ impugnandæ, piorúmque oppugnandorum finem fecerunt. Hinc fraudulenta illa contra Eustathium consilia, hinc frequentes illę synodi, quibus ὁμοουσίου dictio tanquam à scripturis aliena cẽsebatur apud illos & explodebatur, eiúsque loco nunc ὁμοιούσιον, nunc ὅμοιον, aliàs etiam ἀνόμοιον, obtrudebatur: quæ omnia filium à substantia Patris alienum faciunt. In ea enim sententia erant, vt Pater prima & propria substantia diceretur, Filius autem secunda. Atque pater quidem Deum propriè dicebant, Filium autẽ per homonymiã,

ὑπόκρισις.

Semiarianæ Hæreseos summa.

hoc eſt æquiuocè,nominis ſubſtãtię & Deitatis participem eſſe. Verbi gratiâ Deum Patrem dogmatis ſuis animato animali, filium autem inanimo & picto ſimilem eſſe fingebant.

Quocirca Patrem Deum propriè,vt diximus: Filium verò,quandam Deitatis imaginem nominabant: ita vt in caſſum Filio & Diuinitatis & ſubſtantiæ nomen affingerẽt. Quia enim Filium à Patris ſubſtantia ſeiungebant, Patrémque Deum propriè nominantes, Filium ab eius eſſentia profitebãtur alienũ,eò fiebat,vt cum fruſtrà & ſine hypoſtaſi Deũ dicerẽt, atque adeò eius duntaxat homonymiæ ratione,qua inter ſe viuus homo & pictus conferuntur, hominíſque vocabulo æquiuocè deſignantur. Eo ergo vana peruerſorum hominum cogitata ὅμοιον & ὁμοιούσιον ſpectabant. Qua de cauſa Semiatiani quoque dicti ſunt. Quia enim Patrem & Filium ad inæqualitatem redigebant,Patríque hoc tribuebant,vt ſupra omnem eſſentiam, vt ingenitus, vt æternus eſſet: Filióque contrà,vt creatus,vt poſteà eſſe cœpiſſet, fuiſſe denique tempus, quo non fuiſſet,iccircò ferre nõ poterãt,vt ὁμοουσίου dictio fidei ſymbolo inſereretur, quaquidẽ Filium vnius & eiuſdem cum Patre ſubſtãtiæ eſſe profitemur, hac arte ſatagentes, vt ſuam in hæreſin opinionémque peruerſam Epiſcopos omnes latenter pellicerent, qui

quanuis pietate cohonestarentur, morúmque simplicitate gauderent, verborum tamẽ strophis seu inuersionibus & sophisticis cõpendiis haudquaquam inuigilarant, dicentésque nihil esse discriminis inter ὁμοούσιον, ὁμοιούσιον & ὅμοιον, cauẽdúmq; nobis esse, ne dictionũ nouitate scãdala Ecclesiis suborirẽtur & coalescerent: quarum quidẽ dictionum lenocinio impietatis escam obducebãt, multósque exilij cassibus implicabãt.

De Semiarianorum proceribus: falsáque dictionum ὁμοούσιου, & ὁμοιουσίου interpretatione. Cap. 29.

IAm verò qui talia confingebant, proceres impietatis, primariíque autores erant, vt qui cæteros id temporis hæreticos religione doctrináque præcellerent. Eusebius, inquam, Nicomediæ, & Eusebius Cæsareæ, quæ in Palęstina est, is qui Ecclesiasticam cõscripsit historiam. Theognis item Niceæ, & cæteri, qui horum sententiis & placitis subscribebant. Magna enim cum impudentia ὁμοούσιον de corporibus propriè intelligi & dici profitebantur: vt de homine & cęteris animalibus, de arboribus item & plantis omnegenus, quibus communicatio & ortus ex similibus est. ὁμοιούσιον autem rebus incorporeis insitum esse, & de ipsis propriè dici, vt de Deo & angelo, item de vtroque propria in essentia intellecto.

Euseb. Cæsa. Episc. Semiarianus.

Et quanuis ſibi ſatis conſcij eſſent veritatem ſe alio modo habere, falſis tamen ratiocinationibus abutebantur, vt eos dictis ſuis irretirent, qui verborum ſuorum ſenſum aſſequi non poterant. Quandoquidem ea quæ obtrudunt puerilia, & ab Eccleſiæ ſenſu aliena ſunt. Nec enim rerum apparentium nomina ſeipſis ſolis circunſcribenda ſunt: Sed ad ea quoque traducenda, quæ intellectu percipiuntur. Quod enim inde ſubueremur periculum nullum prorſus eſt, niſi qua in parte intellectum ipſum mutilemus. Si quis enim de Angelis ὁμοουσιότητα, hoc eſt conſubſtantialitatem, imò verò de plantis etiã & animalibus dixerit, haudquaquam à vero aberrauerit: quemadmodum de Filio & Patre quoque dici poteſt. Hæc enim eſt quarúm vis rerum eſſentiæ natura, vt quod genitum eſt ei à quo genitũ eſt ſimile fiat: & pro-vt eadem vtriuſque eſſentia eſt: eodem quoque honore afficiatur: nec illius quidem potior, huius verò deterior: aut illius quidem antiquior, huius verò recentior eſſentia dicatur. Nam formæ generis æqualiter ab eo procedunt, eodémq; naturæ communis honore condecorantur: vt omnes homines communione definitionis conueniunt, quamlibet in plurima indiuidua diuiſi ſint. Quæcunq; ergo ad vnũ aliquem terminum reducuntur, eiúſque capacia ſunt, ea etiam propriè homines, vel

Conſubſtantialitas.

equi, vel boues, &, vt ita dicam, plãtæ & arbores dicuntur omninóque ὁμοούσια, hoc est essentiæ communione constantia dici poterunt. Quæcunque verò termini capacia non sunt, puta hominis vel animalis alicuius, nomine autem solo homines vel aliquod aliud animal appellantur, illa nec homines propriè nec animalia dici à quoquã poterunt: atque ita nec ὁμοούσια vocabuntur. qualis est pictus equus & homo: quia nimirùm ne ad formam quidem suam referuntur, nec proprij termini capacia sunt, putà ratione præditi, & morti obnoxij, atq; mentis scientiæque capacis: vel etiam hinnibilis rationéque carentis. Quicquid enim ad hominis alicuius vel equi similitudinem statuarius efformauerit, depinxerít ve pictor, hominem quidem dicere poteris, quia figura formam imitata sit: at minùs propriè, sed abusiuè & æquiuocè: nec enim eiusdem cum forma definitionis particeps est: quia statua non est animal ratione præditũ, morti obnoxium, mentis & scientiæ capax: nec etiam hinnibilis & quadrupes, qualis est viuus equus, nec

Quadrupedante putrem sonitu ferit vngula cãpũ.

Hinc ergo consequitur, vt quemadmodũ nobis hominibus, itémque singulis Angelis, ipsisque adeò animalibus, vna quæpiam specifica essentia insita est: ita etiam in tribus personis, Patre, inquam, Filio, & Spiri-

tu Sancto,vna essentia, diuinitas, & natura inest. At impij illi Eusebij,hæreticorum primitiæ,dum vocabulum Deus primæ patris essentiæ. tribuunt, cúmque alterius essentiæ, atque alterius item Filium quasi quibusdam gradibus esse statuunt, ὁμοούσιον quidem abrogant, eóq; pro virili parte annituntur,ne qua illius mentio supersit:at loco illius ὅμοιον & ὁμοιούσιον obtrudunt, & si non reipsa, saltem verbo Filium essentiâ Patri similem profitentur. Sed de his tunc apertiùs tractabimus, cùm ad Arij, eiúsque consortium & asseclarum opiniones refutandas adgrediemur. Hic autem locus postulat,vt ea commemoremus,quæ de Aëtio & Eunomio circunferuntur.

De Aëtianis & Anomæis, quibus Eunomiani quoque accensentur. Aëtij vita & moribus. Stephani & Onagri tediculis in Episcopos aliquot Orthodoxos. Leontio eunrato. Antiphonarum Ecclesiasticarum origine.

Cap. 30.

QVæ de Aëtio & Eunomio circunferuntur, ea Gregorius quidem Nyssenus,Theodorúsq; Mopsuestiæus pluribus, Epiphanius autem Cypri,Theodoritus Cyri,& Ecclesiasticarum historiarum scriptores succinctioribus verbis prosecuti sunt,ex quibus omnibus ea mutuati sumus,quę nobis vtiliora & accommodatiora visa sunt.

Aëtij vita & mores. Sciendum itaque est, Aëtium Antiochię, quæ in Syria est, ortum fuisse, atque, vt Nyssenus autor est, mulieri cuidam Ampelidi nomine seruiisse, cùm fabrilem artem exerceret, paruóque malleo & parua incude vasa ærea detrita resarciret, tum foramina obturás, tum liquefactum stamnum eis infundens, lebetum deniq; vétribus infuso plumbo mederetur. Vt autem Mopsuestiensis autor est, Patre ille libero quidem, at aurifice papilionario, hoc est ædibus carēte, sed papilioné seu tabernaculum pilis & setis contextum, ideóque vile, circunferente: atque adeò circunforaneo, & minutiis quibusdá friuolísque operibus victum in diem sibi comparante, natus est. Quem cùm Filius sequeretur, eum in artificiolo hoç suo instruxit, imò verò primis quoque literarum rudimētis illum instituere conatus est, eatenúsque promouit, vt cōtractuum verba describere posset. Quòd auté Aëtius aurifex fuerit, eius quoque consors Philostorgius tertio historiæ suę libro autor est. Cùm itaque, inquit, animum Aëtius ad aurificium appulisset, summus euasit aurifex. Cùm autem operum sibi commissorum quodpiá adulterasset, acribus, vt par est, flagris dissectus est. Posteà cùm se hac arte tenuiter iuxtà & *Christianorū humanitas.* sordidè viuere, Christianos autem summa cum humanitate quosuis, maximè autem suæ religionis homines excipere videret,

arte relicta, mutatóque habitu, Philosophicam atque adeò Christianam vitam ementitus, multos asseclas inuenit. Tū verò Alexandriam profectus cùm paucos aliquot dies Aristotelicis argutiis ediscēdis transegisset, atque aliquis esse videretur, quæ hominis indoles, dicacitas & impudentia erat, non paucos laudum suarum buccinatores habuit. Cùm autem eximius Arij dogmatum propugnator esset, illis quidē subscripsit, ab Arianis verò secessit, quòd Arium ad communionem admisissent, qui in fidei confessione ad Imperatorem Cōstantinum scripta peierasset, atque alia cogitans alia prolocutus esset. Posteà verò Alexandria discedens, Antiochiam natale solum rediit, atque à Leontio Antiochenorum id temporis Episcopo exceptus est. A discessu enim magni illius Eustathij, Euphronius Arianus, Eusebij Nicomediensis opera ei surrogatus est. Euphroniòque Phlacitus, siue Placitus, eiusdem cum illo hæreseos successit. Placito itaque impiissimus ille Stephanus, qui non hæreseos solùm antistitem se præbuit, verùm innumera quoque alia mala designauit, nullam non nequitiæ fœditatísque speciem persecutus: qui Lectorē quendam scelerum suorum administrum & tanquam emissarium haberet, qui ea de caussa Onager perapposito nomine diceba-

Stephani Antiocheni Episcopi & Onagri Lectoris in Athanasium & Paulum Episcopos insidiæ.

tur, cuius opera ille fabulam huiusmodi adorsus est.

Finita Sardicensi Synodo Constans pius ille Romanorum Imperator ad germanum fratrem suum Constantium super Athanasio & Paulo scripserat. Literas Euphratas & Vincentius Episcopi vnà cum Salino militum ductore pertulerant. Qui cùm Antiochiam appulissent, vbi Constantius id temporis esset, in hospitium diuerterunt. Detestādus autem Stephanus Onagri opera meretricem conduxit, noctúque in Episcoporum diuersorium introduci iussit: atq; quosdam subornauit, qui meretricem cum Episcopis esse clamarent. Cùm autem fortiores essent Episcopi eorúmque cōtubernales, & meretricē & eius administros vi detinuerūt.

Meretrix in Athanasii diuersorium clàm ab inuidis introducta.

Quæ fabula simul atque ad Constantij aures perlata est, calumniatore Stephano deposito, non minus malum euiratus Leontius in eius locū suffectus est, qui iam Presbyterij honore exciderat, quia cùm puella quadam Eustolia nomine quotidie conuersabatur, huiúsque turpitudinis suspicionem à se amoliturus virilia sibi præsecuerat, tum deinceps liberiùs ad illam commeabat, iis nimirùm membris priuatus, quæ calumniæ causam præbuerant. Hic ergo Constantij Imperatoris opera & studio ad Antiochenum Episcopatum euectus fuerat. Cæterùm per id tempus Antiochiæ florebant, &

Leontius euiratus concubinarius.

virtute ſcientiáque celebres habebãtur Flauianus & Diodorus, quorum ille Antiocheno Epiſcopatui, hic Tarſenſi poſteà præfectus eſt. Atq;, vt Theodorus Mopſueſtiæus ſcribit, illam Pſalmodiæ ſpeciem, quas Antiphonas dicimus, illi ex Syrorum lingua in Græcam tranſtulerunt: & omnium propè ſoli admirandi huius operis omnibus orbis Chriſtiani hominibus autores apparuerunt. Heteroüſiaſtæ quidem certè, hoc eſt Ariani, diuerſa Filium à Patre ſubſtantia eſſe dicentes, ita canere ſolebant, Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto, Flauianus autem primus cecinisse fertur, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.

Antiphonæ Eccleſiaſticæ Pſalmodiæ ſpecies.

Gloria patri, &c.

Iterum de Aëtij & Eunomij vita & moribus, pauca.

Cap. 31.

EXceptum ergo, vt iam dictum eſt, Aëtium Leontius Diaconum ordinauit: cui cùm multi contradicerent, ſéque ab Eccleſia ſeceſſuros minitarentur, & Flauianus in primis Diodorúſque id facere tentarent, Aëtiíque hæreſin arguerent, Leontius partim id veritus, partim eum ad ea quæ ſubſecuta ſunt præparaturus, eum à Diaconatu quidem remouit, cæterùm maiorem ei honorem detulit.

Iam verò Aëtius temerarius & facetus erat, atque mimicis thymelicísque sermonibus, gestibus, & cultibus indecoris oblectabatur. Nam veste ad nates vsque sublata manibus nuda femora feriebat: alteróque pede sublato & ventre percusso, pedebat. In conuiuiis autem inter cætera ludicra his conuiuas alloquebatur verbis. Si vultis, docebo vos, quid sibi velit dogma, tum tribus ventris crepitibus similibus magno cũ anhelitu emissis, sic exclamabat. Ecce Orthocyllorum, hoc est Recticlaudorum, dogma: sic Orthodoxos. per transmutationem vocans. Deinde tribus aliis dissimilibus efflatis, Ecce inquiebat, & nostrum. Quoad ergo vixit Leontius Aëtium huiusmodi ludicris ridiculum apud se habuit. Mortuo autem Leõtio Antiochenam sedem Eudoxius Germaniciensis arripuit, nec minore in pretio, si nõ maiore, Aëtium quoque habere cœpit.

Orthocyllicõ nicium in orthodoxos.

Impius porrò Aëtius tunc temporis Eunomium blasphemiarum suarum assertoré habuit, à quo etiam impietate superatus est. Cæterùm Eunomij parentes liberti maiorũ Magni illius Basilij fuerunt, qui primis literarum rudimentis imbutum ad scribarum amanuensiúmque exercitium deduxerunt. Parentibus autem mortuis, Constantinopolin profectus, maximi nominis familiæ cuidem se addixit: eíque mox Dominus liberorum

Eunomij patria parentes, & vita.

berorum ſuorum curam demandauit. Quos Pædagogi ritu in gymnaſia deducés, literarum ſtudia cum illis cõmunia habuit, atq; exinde Grammaticis & Rhetoricis artibus imbutus eſt. Cùm autem eum aliquãdo Paterfamiliâs in liberos neſcio quid delinquẽtem deprehendiſſet, iniuriam, ſi diuulgaretur, filiis ſuis dedecori ceſſuram arbitratus, eum verberibus conſciſſum tota vrbe excedere iuſſit: pœnas ab eo ſe publicè repetiturum comminatus; ſi cum de cætero apud aliquem cõciuium ſuorum commorari reſciſceret. Erro itaq; Antiochiam venit: vbi Arianam hæreſin amplexus, eo nomine cũ Aëtio & Eudoxio familiaritatem ſibi contraxit: à quo etiam Diaconi, móxque Preſbyteri dignitate cohoneſtatus eſt.

De blaſphemis Aëtij hæreſibus; quarum nomine Ἄθεος, hoc eſt Impius, dictus eſt.

Cap. 32.

HViuſmodi ergo vita, educatio & inſtitutio Aëtij & Eunomij fuit. Cæterùm miſer Aërius publicè blaſphemans Dei Filium κτιστὸν, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ ἀνόμοιον τῷ πατρὶ, hoc eſt creatum, & ex iis quæ nõ erant, ſeu ex nihilo, denique Patri diſſimilem profiteri cœpit. Quapropter Ἄθεος etiam dictus eſt. Ad hæc, ſi D. Epiphanio credimus, his verbis vti ſolebat: Ita Deum

noui, vt ipse seipsum, atque ita eum noui, vt ne meipsum quidé. Obiicientibus auté nonnullis, Dicito nobis primùm, quæ sint abyssi vestigia, quibúsque venti contineantur loculis, & cætera, de quibus dubitatur, cùm de rerum natura quæstio incidit: & ita tibi de Deo verba facienti credemus. ipse talia sibi tanquam corporea & singula, incognita esse: Deum autem eorum Creatorem sibi perspectum & exploratum, quis, cuias, & qualis, esset respondebat. Quòd si scripturæ testimoniis conuinceretur, tum verò blasphemus & Prophetis & Apostolis maledicebat, aliquando his verbis. Quid mihi Veteris instrumẽti verba citas? aliquãdo & his. Apostolus sic, vt homo, locutus est. Cùm autem discipulos suos doceret, his vt plurimùm verbis vtebatur. Nihil ab homine Deus requirit, nisi vt eum cognoscat, quemadmodum ego cognosco. Iccirco Christus dicere solebat. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum: & quem misisti Iesum Christum. Vtebatur his verbis. Fornicatio peccatum nullum est. Quemadmodum enim cùm prurimus, nescio quid naturale facimus, ita etiam fornicatio corporei vsus adimpletio est. Hæc itaque & huiusmodi blasphema sunt, quæ Ἄθεος Aëtius publicè docebat, ídque nullius Ecclesiastici gradus particeps. Diaconatu enim à Leontio eiectus mansit laicus,

Apostolorũ, quia hominũ testimonia reiiciunt hæretici.

Ioan. 17.

Hoc piè & disertè confutat D. Athanas. in Epistola ad Ἀμμοῦν, à D. Curterio Latinè reddita.

& in Acacianorum hæreticorum Episcoporum Synodo Constantinopolin Constãtio imperante conuocata, in quoddã Phrygiæ oppidum relegatus est, ibíque tandiu commoratus est, donec eum impius Iulius ab exilio reuocauit.

De Aëtianorum in Eunomianos mutatione, atque Eunomij hæresibus & exilio.
Cap. 33.

CÆterùm ab eo tempore Aëtianorum quidem appellatio cessauit, Eunomianorum autem inualuit: cùm doctori improbo discipulus improbior successisset. Cùm enim ad Constantinopolitanam sedem Eudoxius impius euectus est, Eunomium secũ habuit. Iam Eleusius Cyzicenus, cùm Macedonianus & Semiarianus esset, Filiũ Patri ὁμοιούσιον esse dicebat: & quanuis persæpè ab ipso Eudoxio & Valēte Imperatore monitus, adduci tamen non poterat, vt ὅμοιον citra τῆς οὐσίας, hoc est similem sine essentiæ adiectione, adiũctum esse diceret. Tum verò exilij bonorúmq; publicationis metu perterritus succubuit. Reuersus autem Cyzicũ pristina in sentētia perseuerauit. Quod cùm resciuisset Eudoxius, illo deposito, in eius sedem Eunomium surrogauit. Qui assumptis eius loci Ecclesiis, quiescere nõ potuit, at in concionibus ad populum Sophismatis verborúmq; lenocinio vtens Aëtianam hæresin rursus in medium proposuit.

Alludit ad prou. Mali corui, malum ouum.

Eunomius à Cyzicenis eie ctus.

Quod cùm Cyziceni ferre non possent, vrbe illum exegerunt. Posteà verò Cōstantij etiam Imperatoris iussu depositus est. Constantius enim dogma illud amplectebatur, quod Filium Patri duntaxat ὅμοιον esse dicendum astruebat: αἰόμοιον autem vel ὁμοούσιον nullo modo. Eunomius ergo Constatinopolin se recepit,& apud Eudoxium otiosus Episcopus desedit: deinde ab eo secessit, priuatímque plebem conuocauit,quia cū sæpe rogasset, vt præceptor Aëtius admitteretur,eum Eudoxius non exaudierat,non quòd Aëtij hæresin eandē prorsus cum sua improbaret, sed veritus ne ipse quoque deponeretur. Omnes enim vnanimes ab Aëtio,tanquam diuersę sentiēte,degenerauerant.

De Imperat. Constantij heresi supra eod. cap. 14.

De Arianorum in Orthodoxos sæuitia,quorum octoginta supplicatum missos Valentis Imperatoris iussu cum nauigio succenderunt. Cap. 34.

PORrò pòst Eudoxij mortem Homoüsiani Euagrium tanquam pium sibi Præsulem delegerunt: quem Eustathius Antiochiæ magnæ anteà Episcopus ordinauit, à Philippis, vbi exulabat, reuocatus Iouiani iussu:ídque temporis Constantinopoli manens, & eadem secum sentientes confirmans.

At Ariani Demophilum Berrhœæ, quæ in Thracia eſt, obtruſerant. Cùm autem ea de cauſa ſeditionem diuerſæ partis homines concitaſſent, Valens Imperator, tunc agens Nicomediæ, certior de his rebus factus, milites eò miſit, & Euſtathio in Thraciæ Bizyan, Euagrióque aliud in oppidum relegato, cunctas Eccleſias Demophilo cõmitti iuſſit.

Arianorum in Orthodoxos ſæuitia.

Hac occaſione Ariani Orthodoxis inſultantes, mille illos contumeliis laceſſere cœperunt. Itaque ab Orthodoxis Eccleſiaſtici viri octoginta, Theodoro, Vrbaſo, & Menedemo Ducibus ad Imperatorem miſſi ſunt, qui pro ipſis ſupplicarent. At hic ira ſuccẽſus Præfecto vrbis mandauit, vt comprehẽſos illos interimeret. Præfectus autem veritus ne inter plebem ſeditio cooriretur, finxit ſe illos in exilium relegare.

Mira in octo ginta Epiſcopos crudelitas.

Itaque in nauigium coniecti ſunt, cúmque nauigando medium ſinus Aſtaceni penetraſſent, nautæ pro vt ſibi mãdatum fuerat, incẽſo nauigio, ipſi quidem in ſcapham deſilierunt, nauis autem nutu venti huc & illuc agitata vſque ad Dacidizen (is maritimæ Bithyniæ locus eſt) peruenit, ibíque vnà cum viris quos vehebat prorſus abſumpta eſt.

Laus Placillæ Imperatricis, quæ Theodosium magnũ coniugem suum ab Eunomij Ariani colloquio reuocauit. Cap. 35.

EVnomius interea priuatis in ædibus agebat in Bithynia è regione Constantinopoleos, ad eúmq; populus traiecto freto confluebat. Alij etiam aliunde conueniebant. Cuius rei fama cùm ad Theodosij magni aures peruenisset, gestiebat ille cum viro congredi, nisi Placillæ Augustæ prouidẽtia, & preces obstitissent. Cùm enim Synodi Nicenæ dogma fidelissimè conseruaret, eò fiebat, vt vereretur, ne, vt ferè fit, maritus ex eo colloquio peruerteretur, diuersǽq; parti adhæresceret. Eunomius enim in colloquiis disertissimus facillimè quiduis persuadebat Theologiámq; ad nescio quas Syllogismorum argutias redigebat. Quia verò postea non cõquiescebat Eunomius, sed quos edebat libellos subinde ostentabat, atque ita multos suam in sententiam transuersos rapiebat, ea de causa eum Imperator exulare iussit. Ille verò non ita multò pòst quàm in exilium missus est è viuis excessit, in patriáque sepultus est. Vicus autem is est Cappadocũ, nomine Dacora, nõ procul ab Argęo Cæsariensi.

De Placilla huius funere oratio Nysseni extat.

Corrumpunt mores colloquia praua.

Eunomij patria.

De priuatis Theophronij Cappadocis & Eutychij Constantinopolitani discipulorum Eunomij hæresibus. Cap. 36.

CÆterùm Theophronius quidam Cap-

padox ab ipſo hæreſin edoctus, Iſagogen ſeu inſtructionem in eam poſteritati conſecrauit, cui De exercitiis mẽtis titulum indidit: qui, cùm præceptoris placitis inſiſtere nõ ei placeret, recẽtiora quædã excogitauit, atq; ita ſcripſit. Cùm diuinitas nõ prænoſcat id quod non eſt, ſed cognoſcat id quod eſt præteritique recordetur, eò fit, vt non ſemper eodẽ ſe modo habeat, cùm cognitionẽ & ad futurum & ad præteritũ cõuertat. His itaq; de cauſis odio habitus eſt, atq; ab Eunomianis eorúmq; Eccleſia eiectus, propriã hæreſin conſtituit. Atq; Eutychius quidã Cõſtantinopolitanus ciuis Eunomij diſcipulus propriã & ipſe poſteà huiuſmodi de cauſa hæreſin cõſtituit. Eunomiani Cõſtãtinopoli degẽtes extremi iudicij horam Filio Dei incognitã eſſe dicebãt, malè locũ illum intelligẽtes. Nemo nouit niſi Pater. At Eutychius Filio quoq; horã illã Patris creatoríſque ſui beneficio cognitã eſſe aſtruebat. Itaq; ꝓfecto Eutychio ad Eunomiũ eò vbi exulabat, nonnulliſq; aliis Eunomianis vnà cũ illo miſſis, qui dubij ſolutionẽ ab Eunomio acciperẽt, Eunomius Eutychij ſentẽtiã magis approbauit. Verũenimuerò cũ nõ ita multò pòſt Eunomius obiiſſet, is qui Cõſtãtinopoli hæreticis præerat, Eutychiũ eo nomine exoſus, ꝙ ab Eunomio approbatus eſſet, admittere noluit, atq; ita ille ad ꝓpriam hæreſin aſtruẽdã ſeceſſit. Sed de his hacten⁹.

Hæreſeos Eutychianæ origo.

Contra Agnoetas ex pro feſſo extat li. 14. infra.

Matt. 24.

Quid Eunomius ad praeceptoris Aëtij haereses addiderit. Mirus eiusdem anabaptismus. Cap. 37.

SCiẽdum porrò est, cæteros omnes scriptores, inter quos est Theodoritus, in ea esse sententia, vt Eunomius præceptoris sui Aëtij dogmatis non acquiescens, rectiores & moderatiores quasdam blasphemias insuper excogitauerit, Deique Filium primam Patris & pręcipuam creaturam, atque adeò in omnibus ἀνόμοιον, τρεπτὸν, καὶ δοῦλον, hoc est dissimilem, mutabilé, & seruum esse dixerit. Sanctissimum autem Spiritum à Filio conditum ante cæteras creaturas, legémque contrariam legi Domini Christi de baptismate tulisse, cùm dixit: non esse tribus immersionibus baptizandum, neque Trinitatem esse inuocandam, sed semel baptizandum esse in Christi mortẽ. Cæterùm eũ qui baptizatur pectore tãtùm tenus esse baptizãdum aquã, vt intingendum. Cæteris verò corporis mẽbris, tãquã impuris & execrãdis, aquã inspergi prohibebat: nefas esse ratus, si quis genitalib⁹ mẽbris charisma incorruptionis applicandum esse contendat. Aliud verò quiddã à D. Epiphanio additur in iis libris, quos Panaria inscripsit. Eunomius enim, ait ille, eos iterũ baptizabat, qui iam baptizati fuerãt, cùm quicunq; ad eum venirẽt, non solùm ab Orthodoxis, sed etiã ab hęreticis, atq; ipsis adeò Arianis, rebapti-

Mirus Eunomij anabaptismus.

zaret inuerso baptizãdorũ capite, pedibúsq; in altum sublatis: & quicunque baptizari vellent, eos sacramẽto obstringebat, se nunquam ab ipsius hæresi defecturos. atque his adeò verbis vtebatur. In nomine Patris increati, & Filij creati, & Spiritus sanctificantis, qui à Filio creatus est. Huius rei gratia cùm in labro baptizarẽt, exteriùs collocato homine, caput eius semel in aquam pectore tenus inuergebant: cùm autẽ aliquãdo euenisset, vt quidã caput ad labrũ allisso vulnus acciperet, aliam baptismatis formam excogitarunt. Nam homine prono in fossa quapiam distento, eiúsque capite educto, & sublato, aquam ita infundebant, vt nullum aliud mẽbrum attingeret. Nec defuerunt inter eos, qui alium baptismi ritum adinuenirent. Lõgissima enim fascia eum in vsum parata, consecratáque, hominem à pectore vsque ad extremos pedum articulos inuoluebant, tum deinde superiores corporis partes aqua proluebant.

Ridicula Anabaptismi ceremonia.

Apolinarij, Basilij, Gregorij, & Eunomij scriptorum inter se collatio ex Philostorgio Ariano. Cap. 38.

IMpius porrò ille Philostorgius octauo historiæ suæ libro impiissimum hunc Eunomium laudans ita scribit.

Apolinarius commentariis quidem conscribendis, Basilius autem concionibus ad populum habendis clarissimus fuit: Grego-

rius verò vtraq; hęc ab vtroq; mutuat⁹ maiore cũ verborũ elegãtia scripsit:atq; dicendo quidẽ se longè Apolinario maturiorem, Basilióque firmiorem,&vehementiorẽ præstitit. Itaque Apolinarius & Basilius aduersus apologiam illam scripserunt, quam Eunomius ediderat. Gregorius autem (ne quis tamen hoc ad prudentiam viri demõstrandam sibi assumat) cùm cognosceret,quanto bene dicendi interuallo ab illo differret,taceréque quã scribere mallet,eò factum est,vt nonnulla duntaxat Eunomij capita in oratione De filio refutauerit,hócque tanquam specimen Cõfurationis Anomœorum ediderit.Eunomius autem Apolinarium ne cõfutatione quidem dignatus est. Stylo enim re vera flaccido & imbecilli, atque pugione (vt ita dicam) plumbeo illum aggressus est. At Basilium quinque libris cõfutauit, quorum duos,qui primi editi fuerant, simul atque Basilius accepit, præ animi angustia diẽ extremum clausit. Atque de Eunomio hactenus.

οἄςορχ quid aiṫ sus in Mineruã de baccharis.

Aëtij opusculum, De genito & Ingenito triginta sex paralogismis hypotheticis constans ex D.Epiphanij scriptis. Cap.39.

SAnctissimus porrò Epiphanius Cypri Episcopus Panariis suis impium nescio quod impij Aëtij opusculum inserit in 36. capita diuisum,cum procemio huiusmodi.

Quandoquidem persecutionis tempore, quaquidem à Temporariis impetiti sumus, quidam prædictorum vnà cum plerisque aliis à nobis diuisi opusculum quoddã à nobis priuatim editum, De ingenito Deo & genito, additionibus & detractionibus corruptum ediderunt, viuendíq; regulã rationi cõsentaneã immutarũt, ídq; posteà in manus nostras, à quodã nostri studioso delatum incidisset, coactus sum tanquã pater, opusculũ denuò repurgatũ ad vos mittere, ô pij Athletæ & Athletriæ omnes, vt cognoscatis respõsum à nobis ex sanctarũ scripturarũ prescripto editũ esse, quo quidẽ omnẽ hominẽ, qui de ingenito Deo & genito disserentibus vobis contradicere ausus fuerit, impudentiam succinctis confutationibus retundere possitis: in primis autem prædictos Temporarios. Porrò dubium à dubio, & solutionem à solutione quibusdam quasi versibus diduxi, vt epicherematum structura faciliùs & apertiùs comprehenderetur, initiúmque ab ingenito Deo sumpsi.

An fieri possit, vt ingenitus Deus ex genito ingenitum faciat.

1. Si Deus ingenitus omni causa præstantior est, certè generatione quoque præstantior erit. Neque enim quod ipse est, id ab vlla alia natura cepit, neque ipse sibi, vt sit, autor fuit. Iam si sibi, vt sit, autor ipse non fuit,

non eò quidem, quia natura sit imbecilli, sed quia omnem causam exuperet: quî fieri poterit, vt quis naturam subsistentem, in eius naturæ, à qua vt subsisteret accepit, essentiam transire concedat? præsertim cùm hypostasis huiusmodi generationem non desideret?

2 Si Deus sine fine in ingenita natura maneat, & genitura sine fine genitura est, certè peruersum de homoüsio & homœüsio dogma euanescet. Iam quicquid substantiâ cõstat, ita consistit, vt neutra in natura inter se conferri vnquam possit, cùm nimirum propria in naturæ dignitate sine fine perduret.

3 Si Deus substantiâ sua ingenitus est, id quod genitum est haudquaquã genitum est essentiæ diuisione, sed ex essentia, vi cuius id subsistit. Vnam enim & eãdem essentiam genitam & ingenitam esse, nulla pia ratione cuiquam persuaderi queat.

4 Si id genitum est, quod est ingenitum, quid obstat, quo minùs id quod genitũ est, ingenitum quoque sit? Omnis enim natura pronior est ad id quod sibi proprium, quàm ad id quod improprium est.

5 Si Deus totus ingenitus non est, nihil obstat quo minùs essentiæ suæ vi genuerit. At si totus ingenitus est, haudquaquam essentiæ vi ad generationem distractus est, sed ex substantia genituram produxit.

6 Si Deus ingenitus generandi vi prædi-

tus omninò eſt, id quod eſt genitum haudquaquam eſſentiæ ſuæ vi genitũ eſt, cùm ea ſubſtantię ſuæ vis omninò inſita ſit, vt generet, non vt generetur.

7 Si transfigurata Dei ſubſtantia Filius dicitur, non ea certè ſubſtantia eius eſt, vt mutari nõ poſſit, cùm ex huiuſmodi mutatione ſpecies Filij producta ſit. At ſi Dei ſubſtantia mutationi obnoxia non eſt, nec generationi ſubiicitur, natura filij ad nudam & ſimplicem appellationẽ prorſus redigetur.

8 Si genitura ſpermaticè ingenito Deo inerat, ea poſt generationẽ extrinſecus aſſumpta in hominem, vt ita dicam, euaſit. certè perfectus eſt Filius, non iis ex quibus genitus eſt, ſed iis quæ aſſumpſit. Quæ enim ex iis quæ ſunt ſui generis aſſumunt, ea tanquã ex propriis conſtantia perfecti nomen multifariam adipiſcuntur.

9 Si perfecta eſſet genitura, certè in eo quod genitum eſt genitura conſiſteret, non iis ex quib⁹ ingenitus ipſe genuit. Nec enim fieri poteſt, vt genita natura ingenito eſſentialiter inſit. Nam hoc idem fuerit, atque ſi quippiam eſſe & non eſſe dicatur. Siquidẽ genitura ingenita non eſt, & quod ingenitũ eſt, genitura nõ fuit. Partium enim diſſimilitudo in Deo ſpeciem blaſphemiæ & contumelię præ ſe fert.

10 Si Deus omnipotens, cùm ſit ingenitæ naturæ, genita ſe natura eſſe ignorat: & ſi

Filius, cùm sit genitæ naturæ, seipsum id esse quod est cognoscit: quî fieri potest, quin homoüsion falsum sit? cùm ille ingenitum, hic genitum esse sciat.

11 Si dictio ingenitum hypostasin Dei nō denotet, sed nomen illud incomparabile ad humanam opinionem referatur, eò fit, vt iis qui opinione aliquid assequuntur, gratias Deus agat, ratione opinionis ingenitæ: cùm nominis huius dignitatem in essentia non ferat.

12 Si extrinsecus ingenitum in Deo consideretur, ij qui considerauerint eo quod cōsideratum fuerit præstantiores erunt, cùm nomen, quod Deo præstantissimum omniū est, sibi comparauerint.

13 Si natura ingenita generationi nō cedit, id ipsum est, quod & dicitur: at si generationi cedit, eo fit, vt generationis affectiones sint hypostasi diuina præstantiores.

14 Si genituræ natura immutabilis est, propter eum qui genuit, ingenitum hauddubiè substantia immutabilis est, non ratione voluntatis, at dignitatis, quæ substantiæ inest.

15 Si nomen ingeniti substantiam significet, meritò substantiæ genitura opponitur: at si nihil significet ingenitum, multò magis genitura nihil significat. Iam quî fieri potest, vt nihilo nihilum opponatur?

16 Si pronuntiatio ingenita genitæ pronuntiationi opponitur, silentio pronuntia-

tionem excipiente,contingit, vt fiat & euanescat Christianorum spes in diuersa pronuntiatione sita, nō autē in naturis,quæ ita se habent, vt nominū significatio requirit.
17 Si ad substantię prętantiam,ingenitum nihil amplius ipsa genitura tribuit, eo fit,vt Filius pronuntiatione sola præstās eos seipso meliores deprehendat,qui inuocant,non eum,qui & Deus & Pater eius inuocatur.
18 Si natura ingenita præstantior est generatione, quippe quæ iure quasi hæreditario sortita sit id quod præstantius est, eo fit, vt per se substātia ingenita sit. Qui enim vult, non quia vult,icircò generatione præstantior est.sed quia ita natura cōparatus est.Itaque substantia per se subsistens, ingenitus Deus, nulla ratione permittit, vt contra seipsam generatio intelligatur,feratúrque pro arbitrio & sentētia eorum,quæ genita sunt.
19 Si ingenitum in Deo priuationem denotet, quî fieri poterit, vt nihilum ab eo secernatur, quod nusquam est? Quòd si τὸ ὄν, seu id quod est,significet,quis, quæso, Deū, qui est,ab eo ipso quod ipse est separabit?
20 Si priuationes nihil aliud sint,quàm habituum ablationes, certè ingenitum illud, quod in Deo est, aut habitus priuatio, aut priuationis habitus est. Iam si habitus priuatio sit,quî fieri poterit, vt quod nō adest, tāquam adsit,Deo annumeretur? Sinautem ingenitum est habitus, necesse est genitam

ſubſtantiam præſupponamus, vt habitu hũc in modum aſſumpto, ingenita nominetur.

21 Si genita ingenitæ ſubſtantiæ particeps eſt, habitus abiectionem paſſa, hauddubiè ingeniti facultate priuatur, ita vt genita quidem ſubſtantia ſit, ingenitum autem habitus. Quòd ſi genitura tranſitum ſignificat, quippe quæ habitum denotet, vel ex eſſentia quapiam cõſtat, vel hoc ipſum eſt, quod genitura dicitur.

22 Si ingenitum habitus, & genitum habitus eſt, proculdubio eſſentiæ ſunt habitibus priores, habitus autem eſſentiis poſteriores. vtrùm ergo honoratiores? Iam ſi geniti cauſa ſit ingenitum, & genituram eſſe ſignificet, quæ vnà cum ſua ipſius eſſentia cauſam inuoluat: certè genitura eſſentiã denotat, non habitum. Cùm ingenita natura nihil ei ipſi contulerit. Quî fieri ergo poteſt, vt ingenita natura non ſit eſſentia, ſed habitus?

23 Si omnis eſſentia ingenita eſt, qualis eſt Dei omnipotentis, quî fieri poſſit, vt aliam paſſioni obnoxiam, aliam verò à paſſione immunem quis aſſerat? Iam ſi ingenitarum naturę functionum altera quidem perdurat ab omni quantitate & qualitate, ab omni denique mutatione immunis. alteram verò perturbationibus obnoxiã, nemo eſt qui neget immutabili eſſentia præditam, propterea quòd amantem vltrò pelliciat, vt ex prædictis

dictis patet. Inde consequitur hauddubiè, vt ea quæ immutat, ingenita dicatur, genita verò, quæ immutatur.

24 Si natura ingenita sit genitæ causa, ingenitum autem nihil sit, quî fieri potest, vt nihilum causa sit eius quod est?

25 Si ingenitum priuatio est, priuatio autem ea est, qua reiicitur habitus. cęterùm reiectio prorsus dissoluitur, aut trāsit in aliud; quî fieri potest, vt ab habitu transitiuo aut dissolutiuo Dei essentia ingeniti appellatione denominetur?

26 Si ingeniti vocabulo priuatio denotetur, quæ in Deum non cadit, quo sensu ingenitum eum, non autem genitum dicimus?

27 Si ingenitum in Deo nudum nomē est, nuda porrò & simplex prolatio hypostasin Dei supra res omnes genitas extollit, hominum certè prolatio Dei omnipotētis hypostasi præstantior est, ea omnipotentem dignitate condecorans, quæ cum nulla alia cōferri queat.

28 Si genito cuiuis causa sua tributa est, natura autem quæ à nulla causa processit, causa caret, eo fit, vt ingenitum non causam sed hypostasin significet.

29 Si quicquid factum est, ab alio factū est, ingenita verò hypostasis nec à seipsa, nec ab alia facta est, inde necessariò consequitur, vt Ingeniti nomine denotetur essentia.

30 Si ingenita hypoſtaſis vnà cum geniti eſſentia tanquam cauſa eluceſcat, quæ nulla prorſus cauſa immutari poſſit, eo fit, vt ipſa per ſe eſſentia ſit incomparabilis, quæ incõparabilitatem ipſam non extrinſecus oſtendat, ſed ipſa per ſe incomparabilis & inacceſſa ſit, quandoquidem ingenita eſt.

31. Si Deus omnipotẽs quauis natura præſtantior eſt, id ratione ingeniti conſequitur, quod quidem genitis, vt permaneãt, in cauſa eſt.

32. Si Ingenitum eſſentiam non ſignificet, qua ratione, quęſo, genitorum natura in integro conſeruabitur?

Si eorum quæ videntur nihil ſeipſo virtute ſeminali antiquius eſt, ſed intra pręſcriptos naturæ limites manet, quî fit, vt ingenitus Deus ab huiuſmodi pręſcripto immunis nunc ſuam ipſius eſſentiam ſecundam in re genita videat, nunc autem primam in ingenito, pro vt primi & ſecundi ordo ſe habet?

33 Si Deus in ingenita natura perſeuerat, ſui ipſius, ratione geniti vel ingeniti, cognitio procul ablegetur. Qui enim eſſentiam ſuam in re genita & ingenita protendere cõceſſerit, is non animaduertit ſe ſuam ipſius eſſentiam geniti & ingeniti legibus ſubiicere. Quod ſi genitum cum ingeniti natura participet, cæterùm intra geniti cancellos ſine intermiſſione perduret, qua vnica præ-

ditus est natura, tum demùm seipsum cognoscit, nimirùm ignorans ingenitum. Nec enim fieri potest, vt idem homo sui ipsius ingenitæq; adeò atq; genitæ essentiæ cognitionem indipiscatur. Quòd si genitum abiectum est, & despicabile, quia mutationi peraccommodum, inde certè consequitur, vt naturæ præstantia in essentia immutabili consistat, cùm præsertim in confesso sit essentiam ingenitam causa quauis excellétiorem esse.

34 Si ab omni potestate Ingenitum eximatur, multa autem ingenita sint, certè immutabilis eorum natura sit oportet. nec enim cuiuspiam naturalis facultatis cõmunis aut priuatę adminiculo altera quidem faciebat, altera verò fiebat.

35 Si omnis essentia ingenita est, certè omnis ingenita est, omnis est immutabilis. Iam si essentiam esse immutabilem concedamus, actio vtique & passio casui & temeritati adscribentur. Cæterùm cùm multa sint ingenita & immutabilia, tanto alia ab aliis interuallo seiunguntur, vt numerari non possint. Nec enim fieri potest, vt res à se distantes enumerari queant. cùm præsertim omnis distantia nescio quam ingenitę naturę disiunctæ functionem siue in vniuersum siue in parte denotet.

36 Si ingenitus & Deus quadam significationis correlatione idem significent, inge-

nitus ꝓculdubio genuit ingenitum. Quòd si aliud ingenitus, aliud Deus significet, non absurdum sit, vt Deus Deum genuerit. ita vt ab ingenita essentia vterque vitam acceperit. Quod si Deo antiquius nihil est, vt certè nihil est, eo fit, vt Deus & ingenitus idem significent, ita vt genitum ingeniti capax minimè sit. Quare fieri non potest, vt eadem vòce cum Patre suo genitus enuntietur.

Deus qui per se genitus est, quémque solum verum Deum iccircò missus ab eo Iesus Christus ante secula verè subsistens, genitáque præditus hypostasi, vos omnes saluos & saluas ab impietate cõseruet, in Christo Iesu saluatore nostro, per quem sit omnis gloria Patri & Deo, nunc & semper, & in secula seculorum.

Eiusdem Nicetæ Choniatæ in præcedentia. Epilogus, atque Præfatio in eam quã Aduersus Arium, Aëtium, & Eunomium parat Confutationem. Cap. 40.

HÆc est illa impietatis planta, quæ triplici radice innititur. Hi sunt Christũ blasphemantium colophones: hi sunt, qui primi sanctæ Trinitatis varias in opiniones & essentias dissectionem inseuerunt: hi denique sunt, qui zizania purissimo pietatis tritico superseminarunt & excoluerũt. quæ quidem Arius plantauit, Aëtius rigauit, Eunomius adauxit: quorũ fructus est, vt crea-

turis creator accenſeatur, & Filius quidem à ſubſtantia Patris alienetur, ab eóque ſpiritus quibuſdam quaſi gradibus differat. Cæterùm hi quidem fruſtrà & temerè contra Chriſtum fremuerunt, & opiniones impias in cœlum, hoc eſt diuinitatis eius altitudinem, contra quàm par erat eiaculati ſunt, lingua inſtar nerui arcus intenta: ille verò extra teli iactum manens (quandoquidem diuinitatis eius excellentia cœlos tranſcendit) maiore iuxtà & auguſtiore gloria reſplenduit, eorum arcus conterens, & confringens arma, & ſcuta comburens ignitæ Patrum Theologiæ adminiculo: atque, vt ita dicam, fæculenta eorum verba exiccans. Psal. 45.

Quid enim Arij, Aëtij, & Eunomij dogmatis fæculentius eſt? quæquidem tum in hiſtoria de iis elucubrata comprehendimus, tum dilucidiùs oratione ſequenti explanabimus, eis contraria ſubiungentes, vt inanem eorum loquacitatem refellamus, & ne quis in ea impingat, quæ iſti ſine ratione & ſapientia contra Verbum & ſapientiam effutiuerunt.

Capitibus hæreſeon Arij, Eunomij, & Aëtij expoſitis iam ad ſeriam eorundem Confutationem aggreditur. Cap. 41.

OBiiciebat Arius, vt & eius aſſeclæ, Aëtius & Eunomius, Non ſemper Deus

Pater fuit, sed fuit tempus, quo Pater non fuit. Quòd si Pater semper & ab initio nó fuerit, neque Filius ab initio contemporaneus coęternúsque Patri, sed tum demùm posteà, cùm Deo per Filiũ Angelos, & nos, & omnia quę sunt in mundo, creare placuit: certè creatura fuit, atque paternæ substantię expers. Porrò Verbum dictus est, ratione creaturarum, quæ sunt rationis participes, nimirùm Angelorum & nostri. Sapientia verò, eorum ratione, quos diuinarum & humanarum rerum cognitione informauit. Filius denique, propter eos, quos adoptauit.

Verbum. *Sapientia.* *Filius.*

Et quia Verbum aliud est, quod Patri inest. quod insitum quoque dicitur, eiúsque substantiæ proprium: itémq; aliud, quod in terram descendit, carnémque assumpsit, quod & participatione Verbum Dei, Deúsque dicitur (quemadmodum iusti quoq; tum Dei Filij, tum Dei vocantur) quippe quod mutabile naturâ sit, nec Patrem videat, nec eum norit, qui principio caret, quippe quod sub principium cadat.

Perspicuum autem est eos & Christo ipsi aduersari, & iis qui ipsum viderunt, eiq; ministrarunt. Ait enim ille. qui videt me, videt & Patré. Item, Ego in patre, & pater in me. quibus verbis cadé vtriusq; substantia perspicuè subindicatur. Et Euangelista Ioánes exclamat. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ.

Ioan.14. *Ibidem.* *Ioan.1.*

moxque dicta confirmãs subinfert. Hic erat in principio apud Deum, siue in Deo. Vlteriúsque progressus docet, quòd Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarrauit. Itaq; si vera dicit Christus, cùm ait, Ego in Patre, & Pater in me, & germanus eius discipulus, cùm docet. In principio fuisse verbum, & semper fuisse apud Deum, Ariana ora obmutescãt, quæ iniustitiã cõtra Deum loquuntur: atque in primis Aëtius, qui laboris sui vanitaté non paucis capitibus, quæ supra huic historiæ interseruimus, patefecit, dum confirmare conatur Filium ab ingenito patre genitum non esse. quia ingenitum quoque à generatione alienum sit. Iam si Filius vnigenitus semper in sinu Patris est, Pater vtique semper est Pater, & Filius ei coæternus, vt qui eiusdem cum illo sit naturæ, nec ab eo separari possit.

Relata. Relata enim ex eorum numero sunt, quæ semper simul vna sunt, séque mutuò introducunt. Vbi ergo Pater, ibi & Filius. Item quòd principio caret, neque creatura est, neque propter nos factum est. Qui enim ab æterno est, quó nam modo sub ortum cadet, principiúmque habentibus accensebitur?

Insuper & Verbum, & Sapientia, & Filius erat naturâ. & semper ipsa hæc omnia erat. Verbum quidem, quia generationis affectioni non obnoxius: quia coniunctus & enuntiatiuus. vnde ait. Verba quæ ego lo- *Verbum.*

„ quor vobis, à meipso non loquor, & alio loco ait ad Patrem, Manifestaui nomen tuum hominibus, nimirùm nomen paternitatis.

Ioan.17.

Esaias quoque Magni consilij Angelum vocat, nimirùm Patris. Sapiētia verò erat, tanquam diuinarum & humanarum rerum dator. Iam quî fieri potest, vt opifex rationes ignoret eorum, quæ fecit? Filius denique, quia Patri æqualis est, secundum substantiam cum eo est, nec ab eius sinu auelli potest.

Esa 9. *Sapientia.*

At verò locus ille, Noui Patrem, & sermonem eius seruo, cum ab essentia paterna seiungit, aliúmque à Verbo prætendit: quod ipsi insitum & germanum Dei Verbum esse volunt, At sermonē Christus hoc loco, volūtatē appellat Patris. Nec absimili ratione locus ille, Ante Luciferum genui te, non tēporalem generationem introducit, sed hoc innuit, quemadmodum venter Dei, si piè intelligatur, id genuinum & consubstantiale esse ostendit, quod cognitione concepit; ita & sermo, quo Deus Filium, Angelos, & homines alloquitur, dialecticum sermonē denotat, qui propter hos humano more disponitur & efformatur, cùm non possemus alio modo diuinos percipere sermones.

Sermo Patris. *Psal. 109.* *Venter Dei.*

Sed ne mutabilis quidem dicetur, qui in sinu Patris, qui vnigenitus, qui denique Patri consubstantialis est. Mutatio e-
» nim & alteratio rerum creatarum est.

Nemo porrò est, qui Deum à mutatione & alteratione alienum esse neget. Iam si Filius eiusdem cum Patre substātiæ naturæq; sit, haud dubiè naturâ quoque Deus est: prout ille quoque discipulus, qui supra pectus Domini recubuit, his indicat verbis: & Deus erat Verbum. Quòd si cōstet Verbum eiusdem cum Patre substantiæ esse, principióque vnà cum illo carere, non autē eodem principio cœpisse, quo creaturę solent, quî fiéri potest, vt Pater, qui principio etiam careat, ei sit incognitus, qui & Patris & sui cognitionem ipsius aliis impertit, iuxta illud. Et cui voluerit Filius reuelare. *Matt. 11.*

Eunomiani dilemmatis confutatio, quia Filium Patri coæternum esse ex Nazianzeno & cæteris Catholicis probat. Cap. 43.

ARius & Eunomius, vt Filiū Patri coæternum esse negarent, hoc in speciem addubitationis Problema proponebant. Filius cùm nasceretur, aderat sibi ipsi, néc-ne? Cui quidem dilemmati abruptum vtrinque præcipitium inest. Si enim sibi adfuisse dicamus, tunc qui Filium simplicitatem Patri consubstātialem introducimus, eundem vnà cum Filio esse nascíque confitebimur. Sin adfuisse negemus, hoc quoque pacto id adulterabimus, quod ea in natura simplex & compositionis expers est: atque vnà & eadem operâ cum ἐξ οὐκ ὄντων, id est ex

iis quæ nõ sunt, seu nihilo, quod isti volunt, processisse concedimus. Nam qui sibi ipsi cùm nascitur nõ adest, is nullo prorsus modo est: vt qui anteà nõ esset, posteà verò natus, ex iis quę nõ sunt ortum habuerit. Itaq; quod inde inferunt, hoc est: Fuisse tempus cùm Filius non esset.

Nazianzeni Antistrephon.

Cæterùm ad huiusmodi dubium retundẽdum, Patres hæc Eunomio vicissim obiiciunt, & in primis summus ille Theologus Gregorius. Age verò Eunomi, tibi ne, cùm nascereris, aderas, núncque ades, an neutrũ horum? Item, Quo tempore maternis doloribus in lucem emissus es, aderás ne ei, quẽ materna vulua edidit, núncque pubescenti & barbescenti ades? an verò neque nascenti aderas, neque nunc ades, cùm genas lanugo tibi quibusdam quasi floribus exornat? atque hoc modo vtraque hæc, tunc aderas, & nunc ades, falsa esse demõstrat. Nec enim fieri potest, vt hæc vtraque in eos competãt, qui natura vnici sunt & singulares: nec simplex ille est, cuius essentia diuiditur, & à corpore vel anima seiungitur. Alioqui obiectio illa, Erát ne anteà, an verò posteà fuit? iis cõuenit, quæ tẽpore metiri solemus. Anteà enim & posteà tẽporis partes sunt. Porrò ad quæ tẽpus non pertingit, imò verò ne seculũ quidẽ, cui tripertita illa distãtia tẽporis ignota est, quî fieri potest, vt iis accõmodentur illa, quæ tempori obnoxia sunt?

Cæterùm prædictis hoc pacto aduersari solent. Genitum & ingenitum sunt voces homonymæ. Ingenitum enim idem quod increatum,& ingenitum, quod creatum nõ est,quemadmodum genitum, quod genitũ est,& genitum, quod creatum est.Ingenitũ etiam pro ipsa ingeneratione & eo quod genitum nõ est, vt genitũ,pro generatione, & eò quod genitũ est accipitur:quẽadmodum album pro albedine, & eo quod dealbatum est. Itaq; cùm triplex sit ingeniti genitíque significatio, si pro increato & creato hæc nomina vsurpes,nos quoque tecum fatebimur ingenitum cum genito idem nõ esse. hoc est increatum cum creato:sinautẽ pro eo qui genuit, & qui genitus est, nõ rectè identitatem de medio tollis: quæ nihil aliud est, quàm naturæ specimen, nimirum vt nulla immutatione facta genitura sit genitori similis. *Genitum & Ingenitum.* *Identitas.*

Rursum si Ingenitum & genitum pro ingeneratione & generatione sumas, non idẽ sibi volũt,at si pro naturis illis in quibus ingeneratio & generatio considerantur,quid obstat quò minùs idẽ sint? Vide enim, Eunomi,argumẽtum tuũ alia inuersum via.Est quod sapiẽs dicamus,est quod & insipiens: huiusmodi porrò nomina nõ idẽ significãt: nã qua in re insipiẽs cũ sapiente idẽ dixeris? nihilo minùs tamẽ in eodẽ homine cõsiderãtur:nec essentias dissecant : at in essentiis

dissecantur; hoc est, non aliam essentiam insipiens, atq; aliā sapiens introducit: quēadmodum, verbi gratia, Deus & homo.

Cur autem solius ingeniti nomine diuinam designas essentiam? Cur non æquè immortalitatis, clementiæ, & immutationis nomen assumis? Hæc enim eodem locutionis genere de Deo dicuntur. Quòd si dicas, Eunomi, immortalitatem, clementiam, & immutabilitatem, de brutis etiam & hominibus enuntiari, ingenitum autē Soli Deo peculiare esse, audies, ne Deo quidem ingenitum attribui. Siquidē ex Græcorum Philosophis Aristoteles quidem Ingenitum de materia prædicat, Plato verò essentias ingenitas vocat. Porrò Manes duo principia introducit, vnum quidem bonum, alterum verò malum: & illud quidem lucem, hoc verò tenebras; atque adeò ex bono bonorum fontes, at ex malo malorum riuos profluxisse ait.

Aristot. *Plato.* *Manes.*

De Deo & materia. Deum nec definiri, nec comprehendi posse. Cap. 43.

ADhæc obiicit Eunomius. Dicite nobis, quæso, si Ingenitum essentia Dei non est, quídnam aliud essentia Dei sit? Aduersus quam quæstionem hæc sunt opponenda. An verò tuam, bone vir, essentiam & naturam nosti? an formicæ, an culicis? Ceterùm hoc tibi vicissim dicam. Duo sunt

eorum quæ ſunt extrema, Deus & materia, *Deus.* ille quidem aſcendendo, hæc verò deſcendendo: póſtque materiam nihil omnino ſupereſt. *Materia.* Quæ nam ergo materiæ eſſentia ſit? An verò ea eſt id ipſum quod eſt, an id quod non eſt? Nam ſi ſit id quod eſt, quomodo forma caret? Forma enim notitia eſt *Forma,* eorum, quæ ſunt. Sin autem ſit id quod non eſt, quî fit, vt à Philoſophis definiatur tanquam id quod eſt? Illam enim ἀζώλω, hoc eſt vita carentem, vocant, & incorpoream, atque adeò hypoſtaſeos imaginationem, eã denique, quæ cùm nihil ſit, omnia tamen eſſe fingitur, eſſentiæ ludicrum, idolum & vmbra ſemper fugiens, atque in id quòd nõ eſt recurrens. Ediſſere mihi, quæ nam ſit ratio materiæ, túncque viciſſim tibi ediſſerã, quæ nam ſit eſſentię diuinę definitio. Qũòd ſi eorum quæ ſunt extremum ignoras, quomodo primum adipiſci & comprehendere conaris? Age verò, ſi in cœlum volare tentares, an ſtatim ad eius circunferentiam nullo intermedio propiùs accederes? nònne tibi primùm ſecandus eſſet aër, vt ſic ad eum, quem vocamus ætherem venires, túmque deinde traiectis omnib⁹ Sphæris ad ipſum cœli ambitum pertingeres?

Dei definitionem poſtulas, tanquã ignores eam eſſe definitionis naturam, vt definitum definiat. *Definitionis natura.* At definiens ad definiti ſcilicet faſtigium aſcendit: ita vt Deus definien-

Aristot. tibus inferior sit. Quid? Aristotelem non audis, cùm ait simile per simile comprehẽdi: oporteréque vt cognoscẽs ad cognitum quandam Ideam & similitudinem habeat? *Empedocles.* Et rectè quidem hactenus ariolatur Philosophus: siquidẽ, vt canit Empedocles, Terra terram videmus, vt aqua aquam, æthere ætherem, anima animam, eo quod est id quod est, mente mentem, naturâ naturam, materiâ materiam, formâ formam, & vnum vno. Hæc enim omnia nobis insunt, materia, forma, corpus, natura, anima, mens, vnũ. Vnum enim nos quoque sumus: non tamen propriè. Nam vnitatis seu coniunctionis ratione vni dicimur.

Ingenitum esse Deum, quanuis vnigenitum genuerit, Filium autem ingenitum non esse, quanuis eiusdem cum Patre substantiæ sit. Cap. 44.

Ingenitum. INgenitũ porrò non id esse dicimus, quod minimè generat, sed quod minimè genitum est: queadmodum verbi gratia, Incau- *Incausatum.* satum, non id quod cuiuspiam alius causa nõ est, sed id quod antiquiorem seipso causam non habet. Siquidem ἀπάτορα, quoque, hoc est Patre carentem non dicimus eum, qui Filij Pater non audiat, sed qui nullo à Patre processerit: & ἄναρχον, hoc est principio carentem, non qui aliarum essentiarum principium haudquaquam fuerit:

ſed cuius eſſentia omnem eſſentiam exuperet. Non enim communia ſunt hæc nomina: ita vt ingenita & genita, item principio carentia & non carentia, pro iiſdem in ſpecie accipiantur. Nam quemadmodum Adamus, etiã ſi ex carnali copula decies millenos ſuſcepiſſet liberos, haud tamẽ ipſe huiuſmodi ex copula genitus diceretur, neque nomen eius qui genitus ex copula non eſt, cum iis qui geniti eſſent commune haberet: ita & ſupremus ille Deus (at propitius ille mihi ſit, qui à me ſimilitudinibus ſub ſenſum cadentibus delineatur) non abalienauit à ſe ingeniti nomen, etiam ſi vnigenitũ Filium ante Luciferum genuerit: vt ſacra teſtatur ſcriptura. Nec enim Pater eo quòd genuit, iccircò ab ingeneratione excidit: ſed quia nõ ex cauſa ingenitus & generans cõſtitutus eſt.

Adam.

Pſal. 109.

Eunomius autem, dum temerè cenſet genita cum iis in omnibus participare, quæ genuerunt, inde aſtruere videtur, genitum Filium, quia cum Patre ingenito participat, ingenitum quoque futurum: quibus verbis oſtẽdit ſe in rebus Theologicis Græcorum verſatum eſſe, iiſque malè abuti. Illi enim Vnitates vocant eſſentias illas, quæ ab vno procedunt. Item Mentes, quæ à prima mẽte. Item Vitas, quæ à vita. Item ea quæ ſunt, quæ ab eo quod eſt: atque iccircò addit Ingenitum quoque ab Ingenito procedere.

Vnitates. *Mentes.* *Vitæ.* *Entia.*

Cuiquidem respondere quiuis queat, ea quæ à quibus vis generātur haudquaquam hæreditario iure proprietates eorum indipisci, sed substantias. quādoquidem Sethus homo quidem fuit, quippe qui ab huiusmodi essentia originē traxerit, cæterùm huiusce particeps non fuit, vt citra copulam carnalem natus fuerit. Huiusmodi enim proprietas Adæ creatio fuit. Et Euæ filia, fœmina quidem erat, verùm non costa è latere subducta. Hæc enim proprietas Euæ fuit, quemadmodum Adami proprium fuit, genitum nō esse, sed formatum. Genita enim essentias hæreditario iure obtinent, non autem proprietates essentiis inhærentes. Quare supremus ille Deus ab ingeneratione nō excidit, quamuis filium genuerit: neque genitus filius in ingenitum degenerauit, quia ab ingenito processit.

Seth. *Adæ proprietas.* *Euæ proprietas.*

Alia Eunomij obiectio, Patrem nomen esse quo essentia vel actio significetur.

Cap. 45.

HViusmodi Problema maliciosissimè cōfictum subinferre solet Eunomius. Cùm enim Filium non ad eandem cum Patre substantiam adducere velit, & hoc multis, vt sibi videtur, rationibus probet, imò verò quæstionibus quibusdā obsoletis vtatur, atque ita proprium dogma proponat, quasi ei contradici non possit, eo fit, vt nē nunc

nunc quidem recta nominum significatione vtatur. Hæc enim duo nomina Essentia & Actio nullo velut intermedio vsurpat, & censet, nescio quo Doctore vsus, omne nomen vel essentiæ significatiuum esse, vel actionis. Quia verò huiusmodi nominum insinuatio ab illo solo cognita, vel potiùs effícta, quodam modo ad hęresin astruendā cōferre videtur, icircò interrogat. Patris nomine essentiá ne an actio significatur? vt si essentiam significari dicamus, ille inde inferat, si quid præter Patrem sit, essentiæ id nō esse: cùm essentiam Pater sibi præsumpserit. Itaque si Pater, quatenus Pater, essentia sit, Filius, quatenus Filius, essentia non est: sin veriti, ne Filium essentia carētem introducamus, Patris nomine actionem significari profiteamur, tum nos acriùs vrgebit ille, atque ad dogma suum comprobandum alliciet. Nam si nihil aliud prętcr actionem, nomine Patris denotetur, necesse est aliquid esse, quod actum fuerit. Actio enim alicuius est quod agitur. Iam quid aliud ab hoc nomine Paterno actum est, præter Filiū? Si enim Pater Filij Pater, & Pater actio est, certè Filius id erit, quod agitur. Si ergo alter agit, & alter agitur, quæ verba diuersæ sunt essentiæ, vt in artibus apparet, certè diuersæ quoque à Patre substantiæ Filius est: quemadmodum & statua diuersam habet à statuario naturam.

Pater, essentiá-ne, an actio.

Magnus porrò Pater ille Gregorius ambiguam Eunomij quæstionem subuertit:& vtranque obiectionis partem,vt absurdam, destruxit his verbis.Neque verò essentię Pater, neque actionis nomen est, sed habitus, & modi quo se habet Filius ad eum, à quo denominatur.Deinde quemadmodum strenuus aliquis miles armis quibus instructus erat subactum hostem denuò aggreditur,& gladio è manibus abiecto, hastam aduersarij attripit, qua illum transfodiat, quemadmodum,verbi gratiâ,fecisse fertur rufus ille Dauides & pulcher aspectu, hoc est agendi & cōtemplandi solertia clarus.Quòd enim rufo colore suffusus fuerit,certissimum assiduæ illius in agendo industriæ symbolum fuit:quòd verò pulcher aspectu,perspicacis animi eiusdem argumētum manifestissimū extitit. Hic enim simul atque fundâ Goliathum deiecit,gladio eius vagina educto, tyrannicum illud ei caput abscîdit.

Pater nomē est habitus.

Dauid rufus & pulcher aspectu.

1.Reg.16.

Sed hæc studiosioribus discutienda relinquo.Quæ porrò ex Rhetorum fontibus depromere possumus,ea in mediū proferātur. Cùm enim diuinus ille vir hæc duo instrumēta Rhetorices ad obiectiōes aduersariorum cōfutādas præcipua esse sciret, nimirū ἔνστασιν & ἀντιπαράστασιν,id est instantiā seu contentionē,& resistentiā seu replicationē, ea de causa nunc altero, nunc vtrisq; tēpestiuiter & apposité abutitur.Vtrunq; autem

vtrique nullis exigẽtibus negotiis pręponit. Exempli gratia hic præpositæ instantiæ seu contentioni resistentiam seu replicationem statim subiunxit. Nã si vtraq; refutẽtur, quibus metuẽdus ille vir certamen elato supercilio ingressus est, hoc instãtiæ adscribi meritò possit: at si vtraq; sumãtur, & more peritorũ pugilũ suprà stans aduersarius deiiciatur, quibus deiici posse visus est, hoc verò ad ἀντιπαράςασιν seu resistẽtiã pertinet.

Eunomius ergo alienare volẽs à Patre Filium, eósq; diuersarũ essentiarum esse putãs quia nomina iis diuersa sunt, aliam quidem essentiã nomini Patris affinxit, imò verò diuersis essẽtiis diuersa quoq; nomina tribuit: ea malè accipiens, quæ à Philosophis dicũtur, ait enim, Cœlum & terra diuersis & appellationibus & essentiis differunt: eodem ergo modo Pater & Filius. Quorũ enim nomina diuersa sunt, eorũ & essentiæ diuersæ.

Pater autẽ Gregorius ita respondet. Quia in magnis luminibꝰ cęcutis, Eunomi, aspice ad minima: & cõmunibus hominũ opinionibus fidẽ adhibe: nimirùm. Quicquid gignitur Patri cõsubstãtiale est: hominẽ enim homo, equus equum, delphinus delphinum generat: & hęc omnia inter se cõsubstãtialia sunt. Quẽadmodum ergo genitura in his à parẽte diuersa nõ euadit, sed ei potiùs cohæret, eiúsq; naturã induit, ita &, si Patris nomine essentiã significari cõcedas, Filium Pa- *Nazianz.*

tri cōglutinabis,& consubstātiabis:quādoquidē substātialis Patris genitura est.Quocirca si cōmunium notionum,& vis horum vocabulorum ratio habeatur,cohæret Patri Filius,nec ab eo diuersus est. Vt enim genitor homo genito prior est,ita pater & Filius simul ambo sunt:sed nos ab eo quòd patres non eramus,id tandē euasimus,quapropter vt homines generis prærogatiuam in filios habemus, at vt patres consubstantiales illis & contemporanei sumus: supremus autem omnium Deus,cùm ab æterno sit Pater,Filium tempori non obnoxium, sibíque coæternum habet.Ex quo cōsequitur,si vim horum vocabulorum spectes, vt Filius à Patre diuersus nunquam fuerit:nec essentia nec συνυπάρξει, hoc est consubsistentia, liceat certè actionem quoq; dicere, si ita videtur. At fieri potest, vt his subscribatis, vltrò pedibus nostram in sententiam ituri:nos autē hoc quoque modo tela vestra retundimus.

Ipsa ex actione ὁμοούσιον elucescere, hoc est, simul atque Pater fuit, genitum ei Filium esse. Cap. 46.

AT verò interrogatis, quémnam Pater egerit,quiquidē sit actio,ei nō absimilis,quam in architecto,latomo, & statuario videmus.Hoc illud est,quod ὁμοούσιον voco.Nam si Pater est Filij Pater, & hic quidē causa,ille verò causatum vel effectus,eiusdē

tamen naturæ ambo & eiusdem substantiæ sunt, hoc ipsum Pater egit, nimirum cõsubstãtialitatẽ: quanuis alioqui actionis opinio hac in re perabsurda sit. Quia enim periculosis nominibus & in Theologia inusitatis vsus est, iccirco videtur vtile in parte futurũ, si consideremus quí nam sit eorum sensus. Hæc enim tria se mutuò subsequi videntur, οὐσία, ἐνέργεια, καὶ ἐνεργούμενον, hoc est essentia, actio, & opus. Est autẽ actio alia essentiæ cõcurrẽs, alia postmodũ acquisita. Quibus ergo essentiis actio cõcurrit, earũ actiones quoq; indiuisæ sunt, quibus autẽ postmodum accedit, earum actiones quoq; posteriores: vt homo essentia quidem est, agit autẽ respirationẽ, & ædificium. Horum alterum, nimirum respiratio, concurrit, alterũ verò, scilicet ędificatio, posterior & ascititia est. Quo fit, vt quod ab actione agitur, quæ quidẽ essentiæ concurrit, cõcurrat & ipsum nimirùm vt respiratione cor refrigeretur. Nam simul atq; respirat aliquis, hausto exteriore aëre, laxatóq; molli iecoris corpore, quod puriore spiritu plenum est, circunfouet cor, nec exiccari calore sinit. Ædificatio autẽ, quia posteà cõtingit, eo fit, vt diuidatur quoque quod agitur. Quocirca Pater Gregorius ita infert. Consentio tibi, Eunomi, qui Patri nomen actionis imposueris. Consubstantialẽ porrò egit, quãuis alioqui actionis hac in re opinio perabsurda sit. Nã

Actioni cõsubstantialitas in quæstione controuersa æquipollet.

Actionis diuisio.

Respiratio.

Nazianz.

in illa actione posterius id est quod agitur. Ædificandi enim ars ædificium præcedat oportet, atque à se ipsis separentur architectus & ædificium: In hac verò, qua de nunc agimus actione, nõ ita se habet id quod agitur. Non enim priùs fuit Pater, tum deinde consubstantialem absoluit: nec eo absoluto diuersus euasit: sed simul atque Pater fuit, genitus est Filius, ambóque consubstantiales fuerunt.

Alia Eunomij Sophistica obiectio, aduersus Patris & Filij consubstantialitatem. Hoc Aristotelis in categorijs loco malè intellecto, nimirùm, Quæcunque de aliquo dicuntur, ea de eo quoque dici poterũt, quod ei subiectum est, Eunomius Patrẽ Filio natura maiorem esse dixit. Cap. 47.

CVm Dominus noster Iesus Christus in Euãgelijs dixerit, Pater meus maior me est, Ecclesia dictionẽ Maior ob Filium solum prolatã intellexit. Quanuis enim honoris æqualitatẽ in tribus personis, eãdémque gloriã & claritatẽ prædicemus, alia tamen ratione Patrẽ maiorẽ & Filio & Spiritu Sãcto esse dicimus, quia nimirũ ad aliud ille principium nõ refertur, sed ipse primũ omnium principium est: hi verò ab illo tãquam causa procedunt, apud illum manẽt, & ad illum referuntur. Itaque Maior Pater est, quia causa est ambobus, Filio quidẽ generationis, Spiritui autem processionis. Ecclesia ergo, vt dictum est, eo sensu dictionẽ

Ioan. 14.

Pater quatenus Filio Spiritúque maior.

Maior accepit.

At Eunomius, cùm cætera turbet, atq; cõfundat, tum poculẽtæ huic aquæ salsuginosos sermones suos immiscet. Huic enim ꝓpositioni Pater maior Filio est, quia causa, stati aliã subiũgit, causa naturalis est, móxq; ita ratiocinatur. Pater maior est, quia causa, causa autẽ naturalis: tum cõcludit ergo Pater natura Filio maior est, Maius inde attribuens, non causæ, vt recta suadet ratio. Hoc etenim sibi vult eius dogma, vt Patrẽ primã essentiã faciat, Filium secundam, Spiritum tertiã. Nescio verò, inquit magnus ille Gregorius, vtrum sibi ipsis hoc imponãt sophismate, an iis ad quos verba faciunt. Nã quæ de aliquo dicuntur, ea non simpliciter dici quoque poterunt de eo ꝙ ei subiectum est, sed perspicuum est, quid, nã de quoq; dicatur. Quomodo ergo præfatus est Eunomius quã ve sophismatum forma suã cõtexuit captionẽ? ꝓgressu orationis dicetur, vbi nimirũ sophisma refellitur. A doratiõis porrò cõtinuationẽ statim quoq; nostra subiungetur à nobis ratio. Auditis Eunomius iis, quę ab Aristotele in Categoriis scripta sunt: quæcunq; de aliquo dicuntur, ea de eo quoque dici poterunt, quod ei subiectum est, hæc verba nullo iudicio adhibito excepit, atque dictionem Quæcunque ad omnia retulit: quo factum est, vt, cùm Aristoteles vocabulum hoc vsurpauerit in iis quæ ratione sub-

Eunomij Paralogismus.

Eunomiana herisεωs aυro-ψις.

Nazianz.

Aristot. in Categoriis.

ſtãtiæ prædicãtur, hîc indiſtinctè, de iis quæ ratione accidentis prædicantur, enuntiat: & vt ſemel dicam, de iis quæ quomodocúnque prædicantur. At hoc non ita ſe habet. Quamuis enim animal de ſpecie prædicetur, genus tamen eius haudquaquam etiam prædicatur. Atqui recta propoſitionum compoſitio fuerit. Genus enim omni animali, & animal omni ſpeciei conuenit: ſpecies tamen non eſt genus.

Non ergo quæcunque de aliquo dicuntur, ea de eo quoque dicentur, quòd ei ſubiectum eſt. Animali enim homo ſubiicitur: at non quæcunq; de animali prædicamus, ea de ſubiecto etiam prædicauerimus: imò perſpicuum eſt de quonam ea dici poſſint, & quænam ſint ea quæ prædicantur. Animatum enim & Sẽſile traiecto animali etiã ad hominem pertingunt. Siquidem eſſentiales illæ ſeu ſpecificæ differentiæ ſunt, quibus animal cõſtituitur: genus autẽ, quod eſt nomen Rationale, nec animalis eſſentiæ conuenit, iccircò ad hominem non traiicitur.

Maius. Cauſa. Naturã. Tria enim nomina ponit Eunomius, Maius, Cauſam, & Naturã. Itaque Maius de cauſa, & cauſam de natura prædicat: atque hinc exiſtimat Maius de natura quoq; prædicari ex cõſecutione ad primæ figuræ præſcriptum facta. Cæterùm non omnia quæcunque de aliquo dicuntur, ea de eo quoq;

dicuntur, quod ei subiectum est. at si essentialia seu specifica fuerint, ea certè prædicari & traiici possunt, si verò ascititia & alio sensu dicta, nihil eis cõmune cum sibi subiectis erit. Quia ergo Maius quoque nihil ad causam confert, vt sit, sed dictio quæpiã est, quæ ei ex opinione adaptatur, eo fit, vt ad dictionem Natura non transeat. Nam quid obstat, vt Pater Gregorius inquit, quo minùs ego quoque huiusmodi propositione facta, nimirùm quod natura est, non omnino Maius est, neque Pater, inde colligam maius nõ omnimo maius esse? vel Patrem non omnino Patrem? Quòd si ita velis, Deus substantia est, substantia verò non omninò Deus, tu quod sequitur ipse colligito, Ergo Deus nõ omnino est Deus.

Erroris Eunomij origo, altiùs repetita ex Aristotele in libris de Reprehensione sophistarum: nimirùm ab eo quod cum loci adiectione & simpliciter dicitur.

Cap. 48.

At verò captiosa hæc argumentatio ex eo ducta est, quod cum loci adiectione & simpliciter dicitur. Cùm enim maius causæ naturâ dederimus, isti naturâ maius inferunt. ac si dicentibus nobis aliquem hominem mortuum esse, isti simpliciter hominem inferrent. Nam cùm Eunomius insolentiùs, vt par est, se efferret, ob tanti sophis-

matis inuentionem, putarétque se cassibus suis Catholicos homoüsij professores irretiisse, multa huiusmodi ex promptu in eum
Naziani. retorquet argumenta Pater ille Gregorius, eiúsque ludicra ludificat.

Ego enim quoque, inquit, ô Eunomi, huiusmodi sophismata tibi obtrudam. Quemadmodũ Pater naturâ maius est, vt tua fert opinio, & quod naturâ est non omninò maius est, inde consequitur, maius non omnino maius esse. vel hoc pacto. Pater natura maior est, vt dixisti: maius autem nõ omninò Pater. Vnde colligitur, Patrem non omninò Patrem esse. Item hoc modo. Deus essentia est, at essentia non omninò Deus est, ergo Deus non omnino Deus est. Nam si hãc tuam propositionem Pater naturâ maior est veram esse concesserimus, vera erit & hæc, quod autem naturâ est, non omninò maius est. Nõ enim quicquid natura est, hoc maius etiam est.

Natura enim & Filius ad Patrem, & nepos ad auum, & cõsobrini Filius ad Patruũ, referuntur: iis tamẽ ad quos referuntur maiores non sunt. Si ergo Pater natura maior est, vt ais, & quod natura est non omninò maius est, continget maius non omninò maius esse. atque ita cæterorum sophismatũ nodus dissoluetur. Cæterùm arbitror hanc captionem ex eo ductam esse, quod cum loci adiectione & simpliciter dicitur.

Captiosæ argumẽtationis, ab eo ductæ quod cũ loci adiectione & simpliciter dicitur explanatio. vnà cum variis soritæ modis.

Cap. 49.

SCiendum porrò est tredecim fallaces argumentationes nobis in libris de reprehensionibus sophistarum à Philosopho traditas: quarum sex sunt, quæ præter dictionis significationem fiunt; nimirùm quæ ab homonymia seu vocabuli multiplicitate, quæ ab amphibolia, seu ambigua dictionis significatione, quæ à coniunctione, quæ à diuisione, quæ ab accẽtu, & quæ à forma dictionis eruuntur. Præterea septem, quæ præter rerum sententiam proferuntur, quarum, ne cæteras enumerem, vna ex eo ducitur, quod cũ loci adiectione & simpliciter dicitur, hoc est ex particulari, nã id est, quod cum loci adiectione dicitur, & ex vniuersali, nam id est quod simpliciter dicitur. Ex quo fit, vt ea quæ cum loci adiectione dicuntur, coniunctim enuntientur; quæ enim componuntur particularia fiunt. quæ autem simpliciter dicuntur, disiunctim proferantur. Si quis ergo quæ cum loci aut temporis adiectione dicuntur, ea simpliciter & disiunctim proferat, is tota aberrat via. vt si quis hinc colligat id esse quod non est.

Quia eni Plato dixit, qđ nõ est, id opinabile

Librorũ Aristot. de Elenchis seu redargutionib⁹ Sophistarum Synopsis.

Verborũ fallaciæ sex.

Rerum fallaciæ septem.

Plato.

esse, (siquidem de eo opinamur, non quasi sit, sed quasi non sit) inde quidam opinati sunt, id esse quod non est.

Est verbum. Nam si verbum Est, inquiunt, de eo prædicatur, quod in opinione est (dicimus enim In opinione est) quod autem in opinione est de eo quod non est prædicatur, ergo verbum Est prædicatur de eo quod non est, ita vt inde consequatur, Id esse quod non est. Tu verò aduerte, quomodo aberrarunt in eo quòd cum loci adiectione & simpliciter dicitur. Hæc enim propositio, id quod non est, in opinione esse, ex eo ducitur, quod cũ loci adiectione dicitur. Id autem quod est simpliciter est. Fieri ergo non potest, vt id sit quod non est, quia in opinione est. Cęterùm quod dico apertiùs ita explanabitur.

Æthiops albus dentibus est, hoc cum loci adiectione dicitur: nam in parte albescit. Iã si quis hinc simpliciter eum album esse inferat, in eo aberrat, quod cum loci adiectione & simpliciter dicitur.

Age verò, commonstremus id vno aliquo sophismate, quale est hoc. Deus essentia est, vera oratio est, quia cũ loci adiectione dicitur. at essentia non omnino Deus est, & hoc modo vera oratio est, quia simpliciter dicitur. non enim omnis substãtia Deus est. Totum autem si componatur, captiosa erit argumẽtatio, ex iis composita, quæ cum loci adiectione & simpliciter dicuntur.

Huiuſmodi ergo Eunomij argumentum eſſe Pater Gregorius ait. Cùm enim Orthodoxi dicant Patrem Filio maiorem eſſe, natura cauſæ, quod quidem id eſt, quod cum loci adiectione dicitur. cõiunctum enim eſt & particulare, illi cauſa diſtracta, maius natura colligunt. ex eo quòd cum loci adiectione dicitur, id efficientes quod ſimpliciter enuntiatur. quemadmodum ſi, ait ille, dicentibus nobis quendam hominem mortuum eſſe, illi ſimpliciter hominem mortuũ eſſe inferrent. Item hæc oratio, Mortuus homo non reſpirat, ex eo ducitur, quod cũ loci adiectione dicitur, éſtque particularis.

Si ergo ita dixeris, mortuúmque aliquis diſtrahat, & hominem non reſpirare dicat, ex eo quòd cum loci adiectione dicitur, id effecit, quod ſimpliciter enuntiatur.

Quemadmodum ſi dicente aliquo, Ærea nauis non nauigat, alius inde nauem nõ nauigare colligat. quæ oratio ex eo ducitur quod cum loci adiectione & ſimpliciter dicitur. Item ſi dixero adulterinam drachmã non permutari, tu drachmam ſimpliciter non permutari concludas, me deludis ex eo quod cum loci adiectione & ſimpliciter dicitur.

Huiuſmodi ſunt captioſæ Stoïcorum argumentationes, Sorites, Cornutus ſyllogiſmus, Dominans, & aliæ permultæ. quibus illi propria impoſuere nomina. *Stoïcorum ſophiſmata.*

Quia enim cornuum mentionem in propositionibus suis sophista fecerat, vt si cornua habes, pulchra quoque cornua habes. Item, si dominabitur Dion, certè dominabitur Dion. inde factum est, vt cornutus à cornibus denomiatus sit, & dominans, quia ea propositionum figura fuerit. Sorites autem peculiari quodam iure id nominis indeptus est, quandoquidem multis aliis designatur nominibus. κομήτης, enim & φαλακρίτης, & δρομίτης, & νεωλκίτης, & πρωριστὴς, & πενιστὴς, & aliis huiusmodi designatur appellationibus. quia verò plura illa in vnum velut cumulum rediguntur, iccircò vsus obtinuit, vt argumentatio huiusmodi σωρείτης, hoc est coaceruatio, diceretur. Soritæ porrò compositio hæc est. Interrogat sophista, vtrùm modius vno grano complebitur? vtrùm comatus erit quispiam vno capillo? aut ditescet vna drachma? vtrū trahetur nauis ad portum ab vno helciario? an quis propiùs metam accedet vno gradu? an decaluabitur vnius capilli ablatione? Si ergo capillus vnus caluariæ nudæ innatus fuerit, comam aut cęsariem non facit, neque caluus alio modo capillatus euadet vnius accessione capilli, sed si vnus capillus in infinitum multiplicetur, ex capillis qui præcesserint conflabitur coma: nec vno item grano complebitur modius, sed illo semper accedente subindéque multiplicato tandem

modium compleri continget, nec vnius capilli ablatione decaluabitur caluaria: ſed ſi ſubinde id ſæpiúſque facias, caluitium tandem fiet. Quia ergo plura in σωρείαν, hoc eſt vnum velut cumulum coaceruantur, vt in villa cumulus areæ, inde ſoritæ ſeu coaceruationis paralogiſmo inditum nomen eſt.

Quot modis dictio idem accipiatur ex Ariſtotele. vnde patet Identitatem non citra diſcrimen paßim vſurpandam eſſe. Cap. 50.

ALia eſt Eunomij obiectio, & eorũ, qui in Filio ἀνόμοιον hoc eſt diſſimilitudinem Patris introducunt, aduerſus ea quæ Catholici reſponderant, nimirùm illos malè argumentari cùm dicant Patrem Filio maiorem eſſe ratione cauſæ, cauſam porrò ratione naturæ, vnde fiat, vt Pater Filio ſit naturæ ratione maior.

Cæterùm Eunomiana quæſtio ſic habet. At verò ſi Filius eſſentiæ ratione idem cum Patre ſit, ingenitus autem Pater eſt, idẽ quoque Filius erit.

Hæc ſunt quæ ab Eunomio obiiciuntur, & à turba blaſphemiarum eius hærede: cæterùm eandem in Patre & Filio eſſentiam admittit, non dogmaticè ſed hypotheticè hoc eſt, non vt inde certum dogma, ſed fidei (vt vocant) articulum conſtituat, ſed ſub cõ-

ditione] vt hoc aſtu abſurdi quippiam ratiocinetur, & identitate de medio ſublata διάφορον hoc eſt diuerſitauem, vel, vt ipſe loquitur, ἀνόμοιον, hoc eſt diſſimilitudiné introducat. Cùm eum Filium eiuſdem eſſe cũ Patre ſubſtantiæ dicimus, at numero differre, ſic peruerſè denuò interrogat, num ſi Filius ſubſtantiâ idem cum Patre ſit, omnia quæ Pater habet habiturus eſt? Hoc enim ſibi vult identitas. Quòd ſi omnia ei cum Patre communia fuerint, certè & ingeneratio vt identitas filio in omnibus integra conſeruetur. Ingenitus ergo Filius etiã erit, ſiquidem Pater ingenitus eſt. Idem autem, vt ſummatim dicam, eſt vel numero, vel ſpecie, vel genere. vel, vt alibi Philoſophus ait, etiam analogia, ſeu proportione. Itaque numero eadem ſunt, quæcunque de vno ſubiecto dicuntur. qualia ſunt, vt ita dicam, polyonyma ſeu æquiuoca. Enſis enim gladius & mucro eadem ſunt numero. quia vnum eis ſubiectum eſt, quod ipſum à ſeipſo non differt, quamlibet diuerſis nominibus exornetur. Eadem ſpecie ſunt, quæcunque vni quidem ſpeciei ſubiiciuntur, numero tamé inter ſe differunt. & quamlibet perſonis à ſe diſtinguantur, ſpecie tamen haud quaquam differunt.

Idem numero.

Idem ſpecie.

Econtrariò quæ numero ſpeciéque diuerſa ſunt, ea mutuam quidem à ſeipſis ſortita ſunt differentiam. communis tamen eis generis

neris ratio ineſt. Quam porrò analogiæ idẽtitatem dicimus, ea hoc eluceſcet exemplo: Corpus & animam dicimus, deinde quaſdam corporum partes, quaſdam & animorum ſubiicimus, alias quidem maiores, alias verò minores.. Cùm ergo analogiam vtriſque in partibus eſſe oſtendero, identitatem quodammodo introducam. Quia enim pulcherrimum totius corporis mẽbrum eſt oculus, iccircò mẽs idem ipſum eſt in animo. videri vt cætera quidẽ diuerſa ſint, corpus & anima, oculus & mẽs. idẽtitas autẽ in ſola inueniatur analogia. quia ergo tot modis hoc nomen enuntiatur, non eſt quod quis identitatem paſſim nulla adhibita differẽtia ſubaudiat, ſi ſaltem ex logicæ philoſophiæ fontibus ſe quippiam hauſiſſe prædicet, imò verò ne abſolutè quidẽ ponat, ſed vel numerũ, vel ſpeciem, vel genus, vel analogiam addat. *Oculi & mentis analogia.*

Anomœus autem, vel quia prorſus in huiuſmodi argumentis cæcutit, vel quia logices artis imperitus eſt, icircò nobis obiicit, Si Filius eſſentia idem eſt cum Patre, ingenitus etiam erit, quia ille ingenitus eſt. vel etiam Pater genitus eſt, quia Filius genitus: ita vt Pater ſit Ingenitus, & Filius Genitoingenitus,

Patri & Filio eandẽ & incõmutabilẽ eſſentiã eſſe, diuerſa verò eſſentiæ adiacentia, ex D. Nazianzeno. Cap. 51.

Verum enimuerò Theologus aſtruenti.

Si Filius idem essentia cum Patre sit, ingenitus autem Pater est, eundem quoque Filium esse futurum, sic occurrit. Si quidem ingenitum sit Patris essentia, Filius, quia idem essentia cum Patre sit, ingenitus etiam erit. sin ingeneratio aliud quippiam ab essentia sit, qui fit, vt cùm de alio interrogaueris, aliud cõcludas? Nam si naturæ ratione Pater ipsa ingeneratio esset, cæteráque sub ingeneratione comprehenderẽtur, par esset vt Filius quoq; ingeneratio diceretur. Quia verò Patris essentia diuersum quippiam est ab ingeneratione, nam in ipsa natura ingenerationem quoque consideramus, eo fit, vt essentiæ ratione Filius idem cum Patre sit, ratione autem ingenerationis, non item, cùm nõ sit essentia. Itaque Patri & Filio eadem est & incommutabilis essentia, diuersa verò essentiæ adiacẽtia sunt. Si ergo in essentiæ adiacẽtium aliquo Filius à Patre differat, quid noui? Nec enim identitatis vires, vt tuæ qui talia definis, quãtum ad essentiam pertinet, infringuntur aut debilitantur: alioqui tu quoque Patris tui Pater dici possis, ne quid omittam, quia idem cum illo essentia es.

Huiusmodi porrò opinio illudentis est & sophistæ. Si enim, inquit ille, quibus essentię identitas inest, in iis essentiæ quoque adiacentia indifferentia sunt, túque idem es essentia cum Patre tuo, dicitúrque in illo paternitas, in te autem filiatio, trahísque iden-

titatem ad omnia:non solùm,inquam,ad essentiã,sed essẽtiæ quoque ad adiacẽtia,inde certè consequatur,vt tu Patris tui Pater,ille verò tuus, hoc est filij sui filius sit: quo quid magis ridiculum?

An videlicet cùm immobilis maneat proprietas,quæremus,ait ille,qúænam sit essentia Dei,si quæramus.Posteà quàm enim nugator Anomœus velut alea pro libidine nomina lusit,rebus in diuinis sophistam agẽs, & in iis quæ non intelligit, atque nunc quidem genitum ingenitum,nunc verò ingenitum genitum esse ostendit,in iis ludens quę ludicra non sunt: magnus ille Pater immobilia conseruans hæc nomina, tanquã proprietates personarũ,quæramus,inquit, quænam in vtroq; sit essentia,quasi dicat, si idẽtitatem,ô Heterodœxe,seu diuersũ àCatholicis sentiens in essentia ponas, deprehensúmque sit ingenitum non esse Dei essentiã, sed proprietatem, quæ in essentia consideretur, aut hanc proprietatem indoctè quocunque vis transfer & transpone:an videlicet hac immobili manente, vt proprietas quoque vim sui nominis conseruet, quæramus essentiam Dei, ne cùm identitatem in ea inuenerimus, proprietates trãsponamus. nec enim vaniloquiis nugari volum9, quasi nos accingamus,vt vanum in cœlos iter ingrediamur.

Anomæorum sophisma ridiculum.

Nazianzeni seria ratiocinatio aduersus Heterodoxos. Anomæos.

Quæ differentia sit inter Deum & ingenitum. Oppositorum generibus 4. propositis, ingenitum genito priuatiuè opponi.

Cap. 52.

QVia verò Eunomius, cùm ingenitum Patrem statueret, huic quoq; Deum propriè locutus addebat, eundémque ingenitum & Deum Patrem à se dici putabat, Filium autem ratione gratiæ & participationis, iccirco Pater Gregorius sic ait. Si Deus & ingenitũ nihil inter se differát, eundémque habitum circa exteriora habeant, vide num aliud cum habitu, aliud sine habitu sit. Siquidem Deus aliorum Deus dicitur.
Psal. 49. Ait enim scriptura, Deus Deorum. Ingenitũ autem nullorum dicitur ingenitum. Hoc enim neque angelorum, neque hominum, neque vllius omnino creaturæ est. Quia ergo ingenitum nullius est, neque Deus vllorum erit. Atqui Deus aliquorum est, ergo idem non sunt Deus & ingenitum. Nam quæ in omnibus eadem sunt, ea similem prolationem habent: vt cùm dicimus Mortalis, homo, horum nominum vtrunque absolutum est: cùm verò prouidentia, cura, σχετικὰ seu relata sunt. Si verò ingenitum etiam κατὰ σχέσιν hoc est relatiuè, proferatur, ostende quorúm nàm sit ingenitum.

Tu si vicissim à me petis, quorúm nam Deus habitu seu relatione dicatur, omniũ,

inquam. Quî ergo fieri poteſt, vt idem ſit Deus & ingenitum, ſi horum nominum alterum, nempe Deus, in alio, alterum verò, ſcilicet ingenitum, in ſeipſo circunſcribatur?

Adhæc cùm ingenitum & Genitum inter ſe contraria ſint, vt habitus & priuatio, Ariſtoteles autem oppoſitionem in quatuor diuidat, in contrarium, in id quod habitu & priuatione, in id quod relatiuè, & in id quod negatiuè opponitur. atque negationis quidem exemplum eſt, ſi quid eſſe & non eſſe dicatur: Relatorum autem duplum & dimidium: eorum verò quæ priuatiuè opponuntur, auditus & ſurditas: contrariorum denique album & nigrum: Iam videndum cuinã oppoſitorum generi ſubiiciẽtur ingenitum & Genitum: vtrùm contrariis? at illa à ſe mutuò, vel, vt veriùs dicam, poſt ſe naſcuntur. ſiquidem ab albo nigrum, vel potiùs poſt album. Hæc porrò non à ſe naſcuntur, nec enim ex ingeneratione generatio, nec ex generatione ingeneratio. An verò relatis accẽſenda ſunt? At illa referuntur ad alia, vt duplum ad dimidium, & è diuerſo. Age verò, negationi ne adſcribẽtur? At hęc quoq; nomina ſunt, quib⁹ neq; affirmatio, neq; negatio demõſtratur. Itaq; ſupereſt, vt habitu & priuatione inter ſe opponãtur, ita vt genitũ quidẽ ſit habitus, quẽadmodum viſus: ingenitum autẽ priuatio, non ſecus atq; cæcitas.

Oppoſitorum genera 4. ex Ariſtot.

Ingenitũ & Genitum ad quódnã oppoſitorum ſit referendum.

Contraria

Relata.

Negatio.

Habitus & priuatio.

Substantiam aliam alij non opponi.

Si ergo hæc opposita sunt, vt demonstraui, tu autem ea, ô Anomœe, substantias esse dicis, ex tua consequetur oratione, vt substantiæ aliæ aliis opponantur. quod non cōceditur. Quod si genitum quidem habitui, ingenitum verò priuationi simile sit, tu autem genitum quidem essentiam Filij, Ingenitum verò Patris essentiam nominas, certè Filius Patre prior erit, vt habitus priuatione. Filiúsque de medio tolletur, tanquam habitus, à Patre, tanquam priuatione. Quandoquidem priuationibus habituum de medio tollendorum vis inest, vt cæcitas visum, surditásque auditum perimit.

* *Plura eiusdem Choniatæ, aduersus hoc Anomœorum problema, Fuit tempus quo non fuit Pater*

Morelli Παρέργον. *Ad lectorem.*

Monarchiæ seu vnius in Trinitate diuinitatis assertio, cādide lector, in cæteris Catholica, in hoc tamē hæretica, quod Nicetas hic noster cum Damasceno, Theophylacto, &c. qui Concilium Florētinum præcesserunt, spiritum à Filio procedere negat. quam hæresin diffusiùs explicat toto libro xxj. quem de Sancto Spiritu contra Latinos inscripsit.

Quare hoc Virgiliano ænigmate quemuis pium Lectorem præmonitum velim.

Qui legitis flores & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Quid Virgiliano ænigmate nitor, nec potiùs Pauli-

num illud adfero? Prophetias nolite ſpernere. Omnia 1.T ſſ 5.
probate, quod bonum eſt tenete. Ab omni ſpecie ma-
la abſtinete. &c. Hoc antidoto munitus citra peri-
culum Origenem, Tertullianum, Euſebium Pam-
phil. & cæteros id genus, qui hæreſeos ſuſpicione nõ
caruerunt percurrere poteſt. Quibus Nicetas hic cũ
Theophylacto & cæt. accenſeri queat, quod ad dog-
ma de Spiritus Sancti proceßione attinet.

Cap. 53.

ARius quidem, Aëtius, & Eunomius Trinitatem honore ſubſtantiáque comparem tres in perſonas diuerſas diuidebãt, Ingenitúmque & ἄναρχον, principio carentem, ſolùm Patrem vocabant, poſt eum verò πρωτόκτιστον ποίημα, hoc eſt creaturam primò creatam, Filium: quippe qui loco inſtrumenti ad rerum omnium productioné Patri futurus eſſet. Poſt Filium verò, Spiritum Sanctum ſtatuebant. Quod autem adoramus μοναρχία eſt, ſeu diuinitas vna, non vnam in hypoſtaſin coacta, ſed tribus diſtincta perſonis. & vnius quidé appellatione diuinitas, eſſentia, natura, principium, & forma: trium verò, perſonæ, characteres, & indiuidua intelliguntur. Proprietates enim hypoſtaſibus affectæ ſunt, at non ſunt hypoſtaſes. Hoc verò Trinitatis principium, ſi quatenus vnum eſt, conſideretur, principio caret, ęternúmque eſt, & omninò perpetuũ. ſi verò quatenus in perſonas diuiditur, vnà

eius persona principio caret. aliæ verò & sine principio, & non sine principio sunt. Nam si eas ad primam causam reducas, non sunt sine principio. Ex illa enim procedunt, at non post illam. Sin eas cum temporibus & seculis nostris conferas, atque adeò cum omni proprietate intellectuali, sine principio & ingenita sunt. Itaque trium harum hypostaseon vna omninò ἄναρχος, hoc est sine principio dicitur, nimirum Pater, reliquarum duarum altera Filius, altera Spiritus, ambæ à Patre subsistentes, non tamen eodē modo. Filius enim genitus est, spiritus autē ꝓcessit. vel potiùs ille gignitur, hic procedit. Non enim quemadmodum à Patre Filius processit genitiuè, ita & spiritus à Filio processit: ita vt aliud primum, aliud secundum, aliud tertiū statuamus. Absit à nobis huiusmodi blasphemia ethnicæ Deorum multitudinis. Ethnicis enim Dij sunt Cœlum & Saturnus, à quibus Patres, Filij, & nepotes. Vnum enim apud nos ambarum personarū vinculum est, Pater: ad quē reducuntur ea, quæ ab illo procedunt. Et nos ita credimus & sentimus.

Græcorū hæresis in cōcilio Florentino abiurata. Imò tu blasphemas in spiritum o Niceta: is enī ex Patre Filióque procedit.

Sanctorum Patrum assertiones aduersus Eunomij hæresin, qua Deum Patrem non semper fuisse blasphemat. Cap. 54.

EVnomiani porrò cæteris blasphemiis suis hanc quoque addebant. Deum & Patrem non semper fuisse, sed essentiæ prin-

cipium habuiſſe:temporalem inde Filij generationem introducentes,talémque adeò, qualem in creaturis animaduertimus. Eis porrò hunc in modum Patres hac in re aduerſantur.

S. Baſilij aduerſus hoc, Deum patrem non ſemper fuiſſe.

1 Si Dei beatitudini pulchrum hoc & decorum eſt, vt ſit Pater, quid obſtitit, quo minùs ab initio decorum ei adfuerit? Nam vel ad eius, quod præſtantius eſt ignorantiam,vel ad impotentiam defectum referēt; ignorantiam quidem,ſi poſteà quod melius eſt adinuenerit : impotentiam verò, ſi cùm ſciret, vltrò tamen ab eo quod pulcherrimum eſt exciderit.Quòd ſi ei pulcrum non ſit eſſe Patrem, quá nam de cauſa poſt mutationem id elegit,quod deterius eſt?

Theologi,ex lib.1.de Filio.

2 Quó nam tempore Pater non erat? eo nimirùm quo Filius non erat. Idem certè de Filio & Spiritu Sancto dixeris. Iterum interrogato me, viciſsímque tibi reſpondebo.Quó nam tempore Filius genitus eſt?eo nimirùm quo Pater genitus non eſt. Quo denique tempore Spiritus proceſſit?eo nimirùm quo Filius non proceſſit. ſed genitus eſt ſine tempore, & ſupra tempus. Et ſi nequimus hoc verbi ſupra tempus exprimere,volumus enim temporalem ſignificationem effugere(nam dictiones, Quando,

Anteà, Posthac, & Ab initio, non sunt sine tempore, quantamlibet vim verbis afferamus) nisi dicamus (si saltem interuallum illud, quod in rebus protenditur æternis, seculum vocemus) id quod neque vllo motu, neque solis cursu dimidimus aut metimur, quod certè tempus est.

Qui ergo fieri possit, vt [*Filius & Spiritus*] ἀνάρχα non sint, hoc est principio carentia, si coæterna sunt? quoniam ab illo procedunt, quanuis post illum nõ fuerint. Quod enim principio caret, æternum etiã est: quod autem æternum est, non omnino principio caret: si saltẽ ad principium, hoc est Patrem, referatur. Itaque principio non carent ratione causæ. Cõstat porrò causam iis omninò antiquiorem non esse, quorum causa est: nec enim Sol luce antiquior est. Item principio quodammodo carent, ratione temporis, quanlibet tu larua tua & terriculamento simplicioribus imponas. Nec enim tempori subiiciuntur ea, ex quibus ipsum tempus oritur.

Eiusdem Basilij ex eadem oratione.

3 Habént ne [*Anomæi*] præterea rationem aliquam ex iis quas putant inexpugnabiles? Ad illam fortè, tanquam ad extremum prę-sidium, confugient, vt dicant. Si non desiit generare Deus, imperfecta est generatio: & aliquando desinet generare: sin desiit, profecto etiam cœpit. Rursum homines cor-

pori dediti, quæ corporea sunt, ea in medium proferunt. At ego vtrum hoc Filio proprium sit, vt perpetuò generetur, non priùs explicandum mihi esse puto, quàm verba illa, Ante omnes colles ego parturiebar: penitiùs accurratiúsque discussero. Nec tamen video quid necessario concludatur hac argumentatione. Nam si, vt isti volunt, id cœpit, quod finem aliquando habiturum est, id certè quod finem habiturum non est, nullo vnquam tempore cœpit. Quid ergo de anima, Angelicá ve natura responsuri sunt? An tametsi esse cœperint, desituras etiam dicent? aut si non desinant, ne vllo quidem vnquam tempore cœpisse? Atqui & cœperunt esse, & nunquam finem habituræ sunt. Vtrum ergo verum hoc est, quod isti aiunt, Quicquid initium habuit, id finē quoq; habiturum esse? Ecce verò ipsa quoque Dei de re quapiam priuatio, quæ principio caret apud Deum, finem habet, cum primum res ipsa finem suum sortita fuerit. *Prou. 8.*

Sancti Cyrilli.

4 Si paternæ hypostaseos specimen ipsa est genitura, seu Dei generatio, consequitur omninò, vt naturalis sit eius proprietas, neque posteà cœperit. Nam ex naturalibus & diuinis proprietatibus nulla est, quæ sit extrinsecus ascita.

Eiusdem Cyrilli.

5 Si quidem Pater cœperit, & destitit Fi- *1. Thessalo. 5.*

lium generare, vt Christi hostes opinantur, certè alterationi & mutationi obnoxius est. Quod enim non erat antequàm gigneret, id esse cœpit, posteaquàm genuit. Quòd si præstantior est Diuinitas, quàm vt vlli sit mutationi obnoxia, haud dubiè nec cœpit nec desiit Filium gignere, sed Filius, per quẽ secula facta sunt & tempora, in Patre sine tempore erat.

Eiusdem Cyrilli.

6 Si Pater Filium gignere cœperit, hoc quidem certè illi accessit, & posterius id accepit, quod initio minùs habebat. Cui porrò aliqua fit accessio, id imperfectum non autem perfectum erat. Quod quidem de Patre cogitare nefas est. Essentia enim eius perfecta est. Itaque hoc illi non accessit, vt gigneret, neque gignere cœpit.

Eiusdem Cyrilli.

7 Quod pariendi vim natura insitam habet, ex eo ipso quod non parit, non eo procedit omninò, vt pariat: neque quia parere nouit, nouit & à pariendo cessare. Ignis enim à seipso caliditatem, quæ sibi naturâ inest, & splendorẽ generat: neque verò eò processit, ex eo quod calidus non sit, neque cessabit generare id quod sibi naturâ inest. Sed simul atque fuit ignis, ei quoque insitæ proprietates illæ fuerunt. Si ergo vel in rebus à Deo creatis huiusmodi generandi ratio videatur, quî fiat, vt impium non sit, si

Ignis calidus & lucidus.

maiora ei non concedantur, quanuis mens humana naturæ eius magnitudinem comprehendere non poſſit?

Aſſertiones aduerſus aliam Eunomij hæreſin, Non ſemper fuiſſe filium.
Cap. 55.

Magni Athanaſij aduerſus hoc, Non ſemper fuit Filius.

8 SI Filius aliquando non fuit, certè ſancta Trinitas aliquando Trinitas non fuit: ſed ab initio quidem fuit Vnitas, poſteà verò adnato Filio, Dualitas: tandem denique adiuncto Spiritu Sancto, confirmata & perfecta eſt. Quî fit autem, vt poſteriùs edita, & extrinſecus adiũcta Patri, qui principio caret, accenſeãtur? vnáque nouã creaturam condant? eos nimirùm qui ſacro baptiſmate regenerantur? atque vnà etiã cum illo adorantur & glorificantur? Ait enim ſcriptura. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

Eiuſdem D. Athanaſij.

9 Si Filius, vt Apoſtolus ait, ſplendor gloriæ, ſiue Dei & Patris eſt, atque adeò character hypoſtaſeos eius, conſequitur vt ſeparari à Patre non poſſit, ſplendor enim ab eo, cuius ſplẽdor eſt, ſeparari nequit, at cum eo ſemper eſt, ídque naturâ, non extrinſecus *Hebr. 1.*

aſcitus. Huiuſmodi porrò eſt hypoſtaſeos quoque character. *Baſilij Magni.*

10 Principium quidẽ Patris nullum: principium verò Filij, Pater. Horum porrò intermedium nullum eſt. Quî fieri ergo poteſt, vt is non ſit, qui nihil habeat, quod ſibiipſi poſteà ineſſe intelligatur, niſi eũ à quo ipſum eſſe accepit? eum, inquam, qui nullo præeminet interuallo, ſed ſola cauſæ ratione præponitur?

Eiuſdem Baſilij.

11 Si omnia per Filium facta ſunt, vnum autem ex omnibus tempus eſt: adhæc ſi per eum Pater fecit & ſecula, certè ante eum neque temporis neque ſeculi fuit interuallum: vt huic innixus dicas eum aliquando non fuiſſe. Quare vnum & futile eſt quod dicitis, Fuit tempus, quo [Filius] non fuit.

Eiuſdem Baſilij.

12 Iſti quidem aiunt, Si erat, genitus non eſt. Nos autem dicimus quòd erat & genitus eſt. Hæc enim verba, Ex vtero ante Luciferum genui te, & hæc, Ante omnes colles genuit me, & cætera id genus, Filium genitum, & alium à Patre, quantùm ad hypoſtaſin, eſſe demõſtrant. Hæc autem, In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deũ, & Deus erat verbũ, Itẽ, Hoc erat in principio apud Deum. Inſuper quod ſemel atque iterum verbum Erat in ſequentibus adiicitur, argumento eſt Filium ab æterno eſſe,

Patríque semper adhærere: quorum confirmatio his ex verbis peti debet. Qui est in sinu Patris, qui semper est, nec ab eo separatur vnquam.

D. Greg. Nyssení ex oratione ad Simpliciũ de Filio.

13 Deus per Prophetam vetat, neq; Deum recentem, Deum esse reputemus, né ve alienum Deum colamus, aut adoremus. Vnde constat, cum Recentem dici, qui ab æterno non est, vicéque versa Æternum appellari, qui recens non sit. Quocirca quisquis Vnigenitum ab æterno Deum ex Patre esse nõ credit, is eum Recentem esse non inficiatur. Siquidem quod nõ est æternum, id omninò recens est. Cæterùm, quicquid recens est, Deus nõ est: pro vt attestatur scriptura, cùm ait, Non erit in te Deus recens. Quisquis ergo eum aliquando non fuisse ait, is eius Diuinitatem negat. Adhæc qui ait. Nõ adorabis Deum alienum, is Deum alienum adorare vetat. Alienus porrò est, qui à proprio Deo nostro seiunctus consideratur. Iã proprius Deus noster, quis est? Verus nimirùm Deus. Quis porrò alienus? is nempe, qui diuersam à vero Deo naturam habet. Quare cùm proprius noster sit verus Deus, inde fit, vt vnigenitus Deus, si veri Dei naturam, vt volunt hæretici, non habeat, alienus Deus sit, non autem noster. Cæterùm, oues, vt in Euangelio legitur, alienum non audiunt.

Psal. 80. *Deus recens quis.* *Recens ab æterno qui differat.* *Deus alienus quis.* *Deut. 5.* *Ioan. 10.*

Ioan. 10. Qui creatum ipſum eſſe ait, is à natura veri Dei alienum ſtatuit. Iam quid agunt, [qui creatum profitentur?] adorãt ne illum an non?ſi non adorant, Iudæos imitantur, qui Chriſtum adorandum eſſe negant. At ſi adorant, idololatræ ſunt, qui alienum à vero Deo adorent. Iam æquè impium eſt, & verum Deum non adorare, & alienum à vero Deo adorare. Proinde verus veri Patris Filius Deus nobis dicendus eſt, vt eum adoremus, neque condemnemur, vt alieni Dei adoratores.

Eunomiani aut Iudæi aut Idololatræ.

Eiuſdem Nyſſeni in oratione de Filij & Spiritus diuinitate.

14 Dicunt Eunomiani, Filium aliquando non fuiſſe. At ſi Filius non fuerit, ne Pater quidem omnino fuit. Si ſplendor non fuerit, ne qui ſplenderet quidem fuit. Si character ſeu figura nõ fuerit, ne hypoſtaſis quidẽ fuit. Si potentia nõ fuerit, ſi Sapiẽtia nõ fuerit (citra quas Deus nõ eſt) ne Deus quidem fuit. Nec enim fieri poteſt, vt gloriã ſiue lumẽ ſine ſplẽdore, vel figurã ſine hypoſtaſi, vel ſapientẽ ſine ſapientia, vel potentẽ ſine potentia, vel Patrem ſine Filio cogitemus. Itaque patet ex ſupradictis eum qui Filium tollit, vna & eadem opera Patrem quoque tollere. Iam vbi neque Filius glorificatur, neque Pater eſſe creditur, Diuinitas prorſus de medio tollitur. Diuinitatem porrò de medio tollere, nullius eſt, præterquàm

Epicuri.

Epicuri. Constat ergo tam impiæ hæreseos assertores Epicuri de grege porcos esse.] Sciendum autem est vocibus his splendore, charactere, potentia, & sapientia inconcussam quandam constitutionem & coniunctionem seu conglutinationem potissimùm designari. *Sancti Cyrilli.*

15 Filius est ex Patre & in Patre: quemadmodum ex Sole splendor eius: vel quemadmodum ex igne ignitus eius calor. In huiusmodi enim exemplis vnum quidem ex vno natum videre est, ei tamen semper inhærēt nec vnquam ab eo seiunctum: ita vt sine altero, per se alterum esse non possit: neq; veram propriæ naturæ conseruare rationem.

Eiusdem Cyrilli.

16. Si Filius non fuerit cum Patre, præsertim cùm ex eo naturaliter procedat eíque coæternus sit, contigit haud dubiè ei quoque qui eum genuit, vt Pater euaserit: atque adeò mutationi & alterationi cuipiam obnoxius esse videatur. Si quidē quod nō erat, vt vultis, id postmodum euasit. At verò natura diuina mutationis omnis & alterationis expers est. Nō ergo Deo Patrē fieri cōtigit, sed Verbum quod ab ipso processit, coæternū ei erat, quēadmodū in igne calor qui ab ipso procedit sempérq; cum ipso est, & ex lumine splendor extrinsecus elucescens. *D. Ioan Damasceni.*

17. Quemadmodum simul atque ignis est,

ſimulátq; lumẽ quoque procedit ex eo, nec primũ ignis eſt, tum verò poſt eum lumen: ſed ſimul vnà ſunt: ita etiã Pater & Filius ſimul vnà ſunt: & quẽadmodũ lumẽ quod ex igne ſemp enaſcitur, ſemp in eo eſt, nullóq; prorſus modo ab illo ſeiũgitur, ita & Filius ex Patre naſcitur, nec vllo prorſus modo ab eo ſegregatur, ſed ei ſemp ineſt. At verò lumẽ quidẽ quod ex igne ita ꝓcedit vt ab illo nõ recedat, & in eo ſemper manet, propriã hypoſtaſin ab ignéque ſeiunctam nõ habet, naturalis enim qualitas eſt ipſius ignis. Vnigenitus autem Dei Filius qui ex Patre ita genitus eſt, vt ab eo ſeparari diuidíque non poſſit, & in eo ſemper manet, propriam & à Patre ſeiunctam hypoſtaſin habet.

Aliæ aſſertiones, aduerſus hanc Arianorum hæreſin quòd Chriſtus à Patre creatus ſit.
Cap. 56.

Magni Baſilij, Quòd Filius neque creatura neque figmentum ſit.

18 SI Filius creatura ſit, ergo & ſeruus. Omnia enim, ait ille, tibi ſubiecta ſunt. Iam ſi ſeruus, tanquam creatura ſit, quomodo ſerui formã accepit? Dominus ergo cũ eſſet eã accepit: non autem ſeruus, neque creatura, ſed omninò Deus. *Eiuſdem Baſilij.*

Ioan. 6. 19 Si noſtra in Filium fides opus Dei eſt, Ait enim ille, hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem ille miſit: Filius eſſe nõ poteſt opus Dei. Nam fides in Filium & Filius ipſe

idem nō sunt. *Theologi ex oratione 2. de Filio.*
20 Illum quoque scripturæ locum valde promptum & expeditum habēt, Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua. Ad quem quidē locum quónā, quæso, modo respōdebimus? An verò Solomonē accusabimus? prioráq; eius scripta, propter lapsum, qui subsecutus est, improbabimus? Dicemúsne sermonē hunc sapientiæ attribui, quæ nihil aliud sit, quàm sciētia, & artificiosa quæpiā ratio, qua cuncta cōstituta sunt? Siquidē scriptura per prosopopœiā mutis etiā rebus loquentium personas non rarò accōmodare solet. Vt verbi gratia, Mare dixit hæc & hæc: & abyssus dixit in me nō est. Item, Cœli enarrant gloriā Dei. Item alio quodā loco frameæ nescio quid iniungitur. Itē mōtes & colles interrogātur, cur exultauerint. Horum porrò nihil in mediū producimus, quanlibet à maiorum nostrorum nōnullis, tanquā firma argumenta proposita sint. Sit ergo sanè Seruatoris ipsius, quę vera sapiētia est, oratio. Parumper tamē dispiciamus. Quænā res est, cui nulla subsit causa? Diuinitas. Nullus enim est, qui causam afferre queat, cur sit Deus: aut si vllā afferat, ęa Deo antiquior sit oportet. At humanitatis, quam propterea assumpsit Deus, causa quænā fuit? Ea prorsus, vt nos seruaret: nam quæ possit alia proferri? Quia ergo hoc in scripturæ loco verba creauit & ge-

Prouer. 8.
Sapientia. quid.
Iob 38.
Psal. 18.
Zach. 13.
Psal. 113.

nerat me perſpicua inuenimus, ſimplex ratio eſt. Quicquid cauſam habere deprehenderimus, id verò ad humanitaté reuocemus: quicquid auté ſimplex cauſaq; carés, diuinitati adſcribamus. Itaq; verbo creauit ſua ineſt cauſa. Inquit enim, Creauit me initiũ viarum ſuarum, ad opera ſua. Cæterùm opera manuum eius veritas & iudiciũ: quibus de cauſis diuinitate vnctus eſt: hęc enim vnctio humanitatis eſt. At illud, generat me cauſa caret: vel ſi qua illi adiuncta ſit, eam oſtẽdas mihi velim. Quæ nam igitur obſtabit ratio, quo minùs ſapientia, vel humana generatio creatura vocetur? & genitura, ſi primæ illius multóq; magis incõpræhenſæ generationis ratio habeatur? Eodẽ referendum eſt, quod ille ſeruus audiat, quippe qui multis bene ſeruiat. Itẽ quod ſit magnus, quod Filius Dei vocetur. Nam proculdubio carne aſſumpta & natiuitate ſeruiit: atq; affectibus etiã noſtris, vt nos in libertaté vindicaret: & cæteris omnibus, quorũ intermedio eos qui peccato erant obnoxij liberauit. Cæterùm quid hominis vilitati mai⁹ accidere potuit, quàm vt Deo coniungeretur, & ea ex cõiunctione Deus euaderet, atq; ab Oriente alto ita viſitaretur, vt quod naſceretur ſanctũ, altiſſimi Filius diceretur: illíq; nomen inderetur, quod eſt ſuper omne nomé, quod quidem aliud nihil eſt, præterquã Deus, illíq; adeò ꝓ nobis exinanito, quippe qui diuinã ima-

Pſal. 110.

ginē cum seruili forma coniunxisset, omne genu flecteretur, omníq; domui Israëlis, eũ à Deo Dominum & Deum factũ esse innotesceret. Siquidē hæc omnia tũ geniti opera tum genitoris voluntate perfecta sunt.

Sancti Cyrilli.

21 His porrò verbis, Et Dominum eum & Christum Deus fecit, dominatio in omnia regnumq; designatur: quod quidem Pater Filio tanquam homini commisit: at nõ eius ipsius naturæ factio. *Eiusdem Cyrilli.*

22 Si tanquã Deus dixisset, Dominus creauit me, potiùs dixisset, Pater creauit me. Nusquam enim eum Dominum suum, sed Patrem vocat. *Eiusdem Cyrilli.*

23 Si quia primogenitus creaturæ dictus est, inde colligēdum sit, primũ eum creatũ esse, quî factũ est vt nõ dixerit Apostolus eũ factum esse ante omnia, sed potiùs eum esse ante omnia? Eo enim quod esse dixit, hunc quidē semper esse, creaturã verò factam esse ostēdit. Itaq; primogenitus omnis creaturæ dictus est, seu primitiæ nouæ creaturæ, ratione humanitatis eius habita quippe qui sit corporis Ecclesiæ fidelium caput.

Eiusdem Cyrilli.

24 Filius primogenitus omnis creaturæ vocatur, nõ tanquã primus eius tēpore fuerit, neq; ꝙ eadē cum creaturis substãtia cõstet, sed quia se ad creaturas demiserit: similémq; nobis se fecerit. Illud tamen obserua-

tione dignũ eſt,eum Vnigenitum & primo genitum vocari. Quoties ergo Vnigenitus vocatur,nulla ei annexa cauſa qua ſit vnigenitus,præterquàm ꝙ abſolutè dicitur Deus vnigenitus,qui eſt in ſinu Patris. Quoties verò eundẽ ſacræ ſcripturæ primogenitum vocãt,ſtatim quoq; inferunt quorũ nã ſit primogenitus, cauſamq; adferunt, propter quam hoc quoque cognomine donetur. Inquiũt enim, Primogenitus in multis fratri-
Rom. 8. bus,& primogenitus ex mortuis. Atq; primogenitus quidẽ in multis fratribus vocatur,quatenus nobis ſimilis effectus eſt dempto peccato:aſſumptáq; carne noſtra fratrẽ ſe noſtrum fecit. Primogenitus autẽ ex mortuis,quia primus ipſe carnẽ ſuã exuſcitauit ad incorruptionẽ,eandẽq; primus in cœlos induxit. Vnde ait, Ego ſum via. Itẽ, Ego ſum oſtium. Per eum enim natura humana nouã reſurrectionis inſiſtere viã docetur, & quẽadmodũ per oſtium quoddã in ipſum cœlũ ingreditur. *Eiuſdem Cyrilli.*

25 Verbum γίνεσθαι hoc eſt fieri vel eſſe, de Deo etiã Patre dictũ inuenimus,vt apud
Pſal. 39. Dauidem, Eſto mihi in Deum protectorẽ.
Pſal. 117. Item, Factus es mihi in ſalutẽ. Apud Apo-
Rom. 3. *Pſal.* 115. ſtolum verò,ſit porrò Deus verax,omnis autẽ homo mẽdax. Si ergo Pater quãuis protector fiat & verax,creatura tamẽ nõ eſt,certè neq; Filius,quanuis à Patre nobis ſapientia, ſanctificatio, & redemptio factus ſit, crea-

tura erit. *Eiusdem Cyrilli.*
26 Cùm Patrem Filio essentiæ causam factum esse dicitis, quá nam causa id dicitis? an causa creationis? atqui Pater ipse dixit ei. Ex vtero ante Luciferũ genui te: superest ergo vt causa qua Pater est id dicatis. Vnde sequitur Filium non creaturam, sed naturalem Filium esse. *Psal. 109.*

Theologi ex oratione coram CL. Episcopis habita.
27 Creatura quidem Dei dicatur, siquidẽ magnum nobis & hoc est. Deus autẽ nullo modo: certè tunc admittam creaturam esse Deum, cùm ego quoq; propriè fuero Deus. Sic enim se res habet. Si quidẽ Deus est, creatura nõ est, nobiscum enim, qui Dij non sumus, creatura est. quòd si creatura est, Deus non est. Cœpit enim in tẽpore: quod porrò cœpit, est quando nõ fuit. Cæterùm id quo illud, nõ fuit, antiquius est, cùm propriè nõ sit, quî fieri potest, vt sit Deus? Trium ergo [sanctę Trinitatis personarũ] nulla creatura est, neq; quod eo deterius est, propter me facta, ne solùm creatura sit, verumetiã nobis abiectior. Nam si ego in honorẽ Dei factus sum, illa verò propter me, certè orbita propter currum, & serra propter ostium facta est. Vinco causa. Quanto enim creaturis excellẽtior est Deus, tãto id me ipso, qui propter Deum subsisto, ignobilius sit oportet, quod propter me factum est. *Damasceni.*
28 Quẽadmodum ignem lumine quod ab

ipſo procedit lucere dicimus, nec lumen ab igne procedēs inſtrumētum eſſe ſtatuimus quod igni deſeruiat, ſed potiùs naturalē eſſe facultatē profitemur, ita & Patrē quæcūque agit, ea per vnigenitum Filiū ſuum agere dicimus, nō tanquā organi adminiculo, ſed naturali & per ſe ſubſiſtēte potentia. Et queādmodum ignē lucere dicimus, vicéq; verſa lumen ignis lucere aſtruimus, ita etiā quęcunq; Pater agit, eadē Filius quoq; agit.

Aſſertiones aliæ aduerſus Eunomianorū ὁμοιούσιον, hoc eſt dictionem, qua Filius ſimilis quidem at non eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſſe dicitur. Cap. 57.

Magni Athanaſij aduerſus eos, qui homoeüſion introducunt.

29 SImilia non de ſubſtantiis, at figuris & qualitatibus dicuntur. Homo itaque homini ratione quidē eſſentiæ ὁμοούσιος dicitur: ratione autem figuræ aut ideæ, ὅμοιος id eſt ſimilis. Idea porrò qualitas quępiā eſt. Item homo boui, ſi eſſentiæ ratio habeatur, non ἀνόμοιος ſeu diſſimilis eſt, at ἑτεροούσιος, hoc eſt eſſentia diuerſa præditus: ratione verò ideæ corporeæ, ἀνόμοιος ſeu diſſimilis. Fit autem Deo quiſpiā ſimilis, nō eſſentia: ſed virtutibus, quæ qualitatibus accenſentur.

Baſilij Magni.

30 Splendore quidem coniunctionem, hypostaseos verò charactere seu figura substantię, ὁμοούσιον, hoc est identitatem substantiæ docemur.

Sancti Cyrilli.

31 Vndénam Filius Patri consubstantialis esse dictus sit, Apostolus indicat his verbis. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Itaque cùm per Dei formam natura intelligatur, adiungatúrque æqualitas, meritò consubstantialis dictus est. Qui enim æqualem cum patre naturā habet, æqualem certè substantiā quoq; habet. Quin ipse quoq; Christus cùm ait, Ego & Pater vnum sumus, naturæ siue essentiæ identitatem demonstrat. *Philip.2.* *Ioan.10.*

Eiusdem Cyrilli.

32 Quorum actiones eædē, eorum essentia quoq; vna est. Actio porrò Patris & Filij vna est. vt hinc patet, Faciamus hominē ad imaginem nostram. Item. Quæcunque Pater agit, eadem & Filius agit. Item, Si opera Patris mei non facio ne credatis mihi.

Eiusdem Cyrilli.

33 Quemadmodum bonus odor ille, qui naturaliter & essentialiter è flore procedit floris eius speciem indicat, à quo tanquā parente natus est, ita & Filius, qui velut odor paternæ substantię quispiam est, genitorem suum declarat. Ait enim, Qui vidit me, vi-

dit & patrem.

S. Cyrilli obiectio contra Arianos, eiúsque solutio.

34 Sic alicubi Seruator ait, se ipsum quidẽ in Patre esse, Patrem autem consimiliter in seipso. Iam cuiuis perspicuum est, non ita intelligendum hoc esse, vt quemadmodum corpus corpore, aut vasculum vasculo comprehẽditur, ita etiam Patrẽ à Filio, vel ediuerso Filium à Patre comprehẽdi quodam modo dicamus. Cæterũ hic in illo, illéq; in hoc citra mutationem esse videtur, tãquam in essentiæ identitate, naturalíque coniunctione atque similitudine. Quemadmodũ si quis in imagine suam genuinam conspicatus formam, verè quibusdam dicat, similitudinem tam exactè expressam demiratus, Ego in hac pictura, & pictura hæc in me. Vel quemadmodum si caliditas quę naturaliter ab igne procedit, loqui posset, diceretque, Ego in igne, & ignis in me. Nam supradictorũ vnunquodque cogitatione quidem diuidi quodam modo potest. At naturâ vnum est, vnúmque ex vno indiuidua quadam processione oritur, quemadmodũ seiungi quoque videtur ab eo cuiquidem inest. Verumenimuerò tametsi vis & energia eorum quæ de ipsis cogitantur hoc veluti quodam typo elucescat, in altero tamẽ videtur, ambóque idem sunt, si substantiæ ratio habeatur. Itaque si essentiæ ratione, quæ mutari non potest, atque characteris

ſeu figuræ, quæ prorſus corrumpi adulterariue nequit, Pater in Filio eſt, quî fieri poterit, vt maior in minorẽ, ſic enim iſti Filium cenſent, trãſeat, & in eo videatur? Quia verò prorſus in eo eſt, conſequitur, vt Filius omnino perfectus ſit & à perfecto procedat, magni Patris character & figura.

Magni Baſilij, quod Pater ſit Filio maior, cauſa paterna, non autem diuinitatis natura.

35 Si eſſentiam eſſentia maiorem aut minorem non dicimus, verba illa, Pater maior me eſt ratione ſubſtantię dicta non ſunt. ſed quia eius Pater, hoc eſt cauſa & prĩcipiũ eſt.

Eiuſdem Baſilij.

36 Si cauſa maior eſt eo, cuius eſt cauſa, & ab ipſo eſſentiæ ratione differt. Omnis autẽ Pater cauſa eſt, omníſque Filius is cuius Pater cauſa eſt, certè maiores filiis patres diuerſique ſunt ab illis eſſentiæ ratione. Hoc verum non eſt.

Eiuſdem Baſilij.

37 Comparationes propriè inter illa fiunt, quæ ſunt eiuſdẽ generis. Nullus enim Deum cum angelo, aut angelum cum homine, aut hominem cum bruto confert. ſed Deus quidem cum nullo conferri poteſt, cætera verò cum iis conferuntur, quæ ſunt generis eiuſdem: non autem cum iis quæ diuerſi. *Comparationum natura.*

Nec enim Angelus cum homine, nec homo cum bruto, nec lignum cum lapide

confertur, Quo fit, vt in iis quæ ſunt eiuſdē generis, melius non dicatur, ſed magis, plus, & maius. Itaque ſi Pater Filio ratione naturæ ſiue ſubſtantiæ maior eſt, erit Filius eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ.

S. Cyrilli aduerſus eos qui minorem Filium introducunt, eo quòd Christus in Euangeliis dicat, Pater meus maior me eſt.

Ioan. 17.

38 Quî verò fieri poteſt, vt Filius minor dicatur, qui perſpicuè dicat: Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt. Et alibi Deo & Patri verba faciens Omnia, inquit, mea tua ſunt, & tua mea. in Patrem quoque cadet vt minor dicatur, itidémque in Filium, vt maior. præſertim cùm in rerum ordine nullum ſit diſcrimen, ſiquidem quæ vtrique inſunt in vtroque cernantur, ita vt quicquid Patris eſt, id Filij quoque ſit, & verſa vice, quicquid Filij propriū eſſe videtur, id Patri quoque cōuenit. Itaq; nihil obſtabit, quo minùs Patrem Filio minorem, & Filium Patre maiorem dicamus. ſed huiuſmodi quippiā vel cogitare perabſurdū eſt. Quapropter æqualis eſt Patri nō Patre minor, qui communes habet cum Patre ſubſtantiæ dignitates.

Alia obiectio Anomœorum, An volens Pater, an nolens Filium genuerit? Cap. 58.

Magni Gregorij Theologi ex oratione de incomprehēſibili Filij & Dei generatione.

39 CVius modi porrò eſt, quòd Anomęi obiiciunt? quàm rixoſum & impu-

dens? Volés ne, inquiunt, Filiũ genuit, an nolens? deinde nodis vt ipsi arbitrãtur, vtrinque nos implicant, non validis, sed admodũ putidis. Si nolens inquiunt, ergo tyrannicè coactus. quis autem Deum cogere, quonámque ille modo cogi possit? Quòd si volens, voluntatis Filius est Deus. Quomodo ergo ex Patre? ita vt nouam quandam matrẽ voluntatem loco Patris confingant. Vnum tamen hoc in illis venustum est, si his verbis innuant, se ab affectibus ad voluntatem defecisse. Nec enim voluntas affectio est. *Voluntas.*

Secundum porrò eorum quàm validum sit argumẽtum videamus. Præstiterit tamen si antè cum illis manum propiùs conseramus. Age verò tu ipse, qui facilè dicis quicquid lubet. Ex volentē ne Patre tuo natus es, an ex nolente? si nolente, tyrannicè nimirùm coactus est, quis porrò eum coëgit? Nec enim naturam dixeris. quæ castitatem quoque amplecti potest. Sin volente, paucis tibi syllabis Pater excidit? nam voluntatis te non Patris Filium prædicas. At verò tun' ad Deum rẽsque creatas trãsis? ergo sapientiæ tuæ tuam accõmodo quæstionem. Voléns-ne Deus omnia condidit, an coactus? si coactus, hæc tyrannis est, & vis ab aliquo illata: sin volẽs res etiam creatæ Deo priuantur, túque in primis, qui argutias huiusmodi nobis confingis. Siquidem voluntas nos à creatore tanquam murus interme-

dius seiungit. Verumenimuerò alium puto eum esse qui vult, & aliam voluntatem. aliũ qui generat, & aliam generationem, alium qui dicit, & alium sermonem, nisi fortè sumus ebrij. Illa enim sunt quæ mouẽtur, hæc verò motui similia. Non ergo voluntatis est, quod quis vult, nulla enim hoc ratione cõsequitur, neque generationis, quod generatur. neque prolationis, quod auditum est, sed volentis, generantis, & loquentis. Quæ porrò Deo insunt his omnibus excellentiora sunt: cui quidem generatio fortasse nihil aliud est, quã ipsa generandi voluntas, quod si omninò admittamus, medium nihil relinquitur. Atqui generatio vel ipsa voluntate præstantior est.

Vis ne vt ludicrum ego quoque de Patre aliquod in medium proferam? Siquidem te autore argutias huiusmodi comminisci audeò. Volénsne Deus Pater est, an nolens? iam quomodo te ab ambidextro tuo hoc sophismate expedies? Sienim volés, quando tandem velle cœpit? certè nõ antequã esset: nihil enim erat prius. aut aliud in eo voluit, aliud, vt ita dicam, volitum est: vnde consequitur, vt partitionem admittat. quid verò obstet, quo minùs ille volũtatis quoque tuæ promptuarium sit? Quod si nolés, quid eum coëgit, vt esset? item quomodo Deus erit, si coactus est? quanuis Deus nihil aliud sit quã ipsum esse.

τὸ μὲν θελῆσαν τὸ δὲ θεληθέν.

Vnam Dei essentiam, naturam, & appellationem esse. S. Greg. Theologi aduersus eos, qui dicunt homonymum Deum Filium Dei verbum. ex prima oratione de Filio. Cap. 59.

40 NOstra porrò sic habet ratio, Quẽadmodum equi, bouis, hominis, singulorúmque sub eãdem cadentium speciẽ ratio vna est, atque adeo quicquid ratione præditum est, id etiam propriè. quicquid verò ea caret, id vel non dicitur. vel non propriè dicitur: sic Dei quoque vna essentia, & natura, & appellatio est, etsi diuersa essentiæ naturæque habita ratione, varia quoque nomina excogitentur. ita vt quod propriè Deus dicitur, id Deus quoque sit. quódque naturâ sit, id etiam verè nominetur. siquidẽ non in nominibus, sed rebus veritatem inesse arbitramur. Isti autem veriti ne nõ omnem lapidem aduersus veritatem mouisse videantur, Deum quidem Filium esse fatentur, quoties eò & ratione & testimoniis adiguntur. at homonymum, sолóque nomine communi. Cùm verò contrà insistimus his verbis, Age verò, an Deus non propriè Deus est? quemadmodum neque animal, quod pictum est? Quî fit ergo, vt Deus sit, si propriè Deus non est?

At quid obstat, inquiunt, quo minùs &

homonyma vtraque & propriè dicantur? Atque nobis in medium proferent canem terrestrem & marinum. vt quæ sint homonyma & propriè dicantur. Homonymis enim huiusmodi quoque species accensetur, & si quid aliud eodem significetur nomine eius quidem ex æquo particeps, naturà verò diuersum. At verò ibi, heus tu vir optime, cùm duas naturas eadē sub appellatione comprehendis, aliam alia nihilo meliorē introducis. ita vt neque aliam alia priorē aut posteriorē, neque aliā magis aut minùs alia esse id quod dicitur asserere possis. Nihil enī cōiungitur, quod huiusmodi eis necessitatē afferat. Hic enim non magis canis est, neque ille minùs alio, nimirùm marinus terrestri, aut terrestris marino. Nam cur id quá ve ratione fiat? sed rebus æqualibus atque diuersis eadem appellatio tribuitur. Nunc autem cùm adorationem Deo adiudices, eúmque esse dicas, qui naturā omnē exuperet, quod vnum Dei proprium, velutíque natura diuinitatis est, deinde Patri quidem id tribuas quo Filium priues, imò Patri subiicias, eíque velut secundarium ab illo adscribas honorē & adorationē. tametsi syllabis ipsis τὸ ὅμοιον seu similitudinem ei tribuas, re tamen ipsa diuinitatem cōscindis, malitioséque ab homonymia æqualitatem designante, ad eam trāsis. quæ inæqualia cooptet. ita vt te iudice pictus viuénsque homo, atque canes illi

quos

quos exempli gratia in medium protulisti, ad diuinitatem propiùs accedāt: vel ambobus vt appellationis homonymiam, ita naturarum quoque æqualitatem concedito, quanlibet eas differentes introducas, & canes illos dissoluisti, quos ad inæqualitatem probandam commentus es. Nam quid homonymia seu nominis similitudo prosit, nisi ea quæ diuidis parem honoris gradum obtineant, siquidem non vt æqualia ostenderes, sed vt inæqualia, ad huiusmodi homonymiam canésque confugisti.

Filium verè Deum esse, ex eadem D. Gregorij Theologi oratione. Cap. 60.

41 QVandoquidem nos ex magnis & excelsis vocibus Diuinitatem Filij deprehendimus, & prædicamus. his nimirum, Deus, Verbum in principio, cum principio, Principium. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et, Tecum principium. Et, Vocans ipsum [principium] à generationibus antiquis. Quoniam Filius vnigenitus, vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Via, Veritas, Vita, Lux Sapientia, Virtus, Christus, Dei virtus, & Dei sapientia. *Ioan.* 1. *Psal.* 109. *Ioan.* 1. *Ioan.* 14.

Splendor, Character seu figura. Imago. Sigillum. Qui cùm sit splendor gloriæ &

Ioan. 5. figura ſubſtantiæ eius. Et, Imago bonitatis
1.Cor.1. eius. Et, hunc enim ſignauit Deus.
Hebr.1. Dominus. Rex. Qui eſt: omnipotens. Pluit
Iob.1.
Gen. 19. Dominus ignem à Domino. Et, Virga dire-
Pſal. 44. ctionis, virga regni tui. Et, Qui eſt, qui erat,
Apoc.1. & qui venturus eſt & omnipotens. perſpi-
cuè de Filio dicta, & cætera quæ ſunt eiuſ-
dem ſignificationis: quorum nullum aſciti-
tium eſt, neque poſterius adiunctum Filio
aut Spiritui. vt nec ipſi Patri. Quod enim
perfectum eſt, id acceſſione non conſtat.
Nunquam enim fuit ſine Verbo. nunquam
non fuit Pater. nunquam non verus, non ſa-
piens, non potens. nunquam vita, aut ſplen-
dore, aut bonitate egens.

Iam verò tu mihi viciſſim verba imperitiæ tuæ recenſeto. nempe Deus meus, & Deus veſter, Maior, Creauit, Fecit, Sanctificauit. Adde ſi velis, & hæc, Seruus, Subiectus, Dedit, Didicit, Mandatum accepit, Miſſus eſt. Quod etiam nihil à ſeipſo facere, aut dicere, aut iudicare, aut donare, aut velle poſſit. Quibus & hæc adiice. Ignorantiam, Subiectionem, Precationem, Interrogationem, Profectum, Perfectionem. Imò verò ſi placet iis quoque abiectiora accenſe. Dormire, Eſurire, Defatigari, Flere, Angi, ſuccumbere. Fortaſſis obiicies & crucem & mortem. Nam reſurrectionem & Aſcēſum in cœlos prætermiſſurus mihi videris. quan-

doquidem nonnihil in iis reperitur, quod nobis ſuffragetur. Plura his etiam deblaterabis, ſi homonymum Deum tuum & aſcriptitium conſtituere velis, qui nobis & verus & eiuſdem cum Patre dignitatis habetur.

Horum enim vnumquodque facilè tibi fuerit repetendo ad pietatis regulam examinare, ſcrupulúmque tollere, ſi quem tibi verba iniecerint, ſi ſaltem re vera impegeris, nec vltrò id flagitij commiſeris.

Vt autem rem paucis concludam, quæ ſublimiora ſunt, ea ad diuinitatem refer, eámque naturam, quæ ab omnibus corporeis perturbationibus immunis eſt. Quæ verò ſunt humiliora ea compoſito adſcribe, eíque qui propter te ex inanitus eſt, carnémque aſſumpſit: & ne quid abiectius dicam, homo factus eſt. Deinde verò exaltatus etiam eſt, vt carnalibus iſtis humíque repentibus dogmatis tuis longum vale dicens, ſublimior eſſe diſcas, atque ad diuinitatem aſcendere, non autem rebus iis quæ ſub aſpectum cadunt immoreris, ſed vnà cum iis quæ mente percipiuntur ſubueharis. atque adeò cognoſcas, qúæ nam lex naturæ, quæque carnis à Chriſto aſſumptæ ratio ſit.

Explicatio huius scripturæ loci, Quemadmodum Pater vitam habet in seipso, ita dedit & Filio vitam habere in seipso. Theologi ex secunda de Filio oratione,

Cap. 61.

42 QVintum dicatur, quod ipse vitam aut iudicium accipiat: vel hæreditatem gentium: vel potestatem omnis carnis, vel gloriam, vel discipulos, vel quæcunque dicuntur, eáque de humanitate. Quòd si de Deo quoque dicta esse concedas: nihil absurditatis inest. Neque enim tanquam ascititia concedes, sed tanquam ea quę ab initio inessent, atque adeò naturæ non autem gratiæ ratione.

Sancti Cyrilli.

43 Verba illa, Ego viuo propter Patrem, haudquaquam diuersæ substantię Filium cõstituunt. sed potiùs consubstantialẽ. Quemadmodum enim si quis Filius hominis dicat, Sum rationis particeps propter Patrem, siue quia Pater meus ratione præditus est, ita etiam Filius & Deus viuo, inquit, ego, quia viuit Pater. Cæterùm huiusmodi oratione paternam causam Filius & Verbum perspicuam fecit: atque ipsarum etiam hypostaseon discrimen: ne quis ratione mutuæ illorum in omnibus ęqualitatis & identitatis vnam esse personam existimet.

D. Ioannis Damasceni.

44 Quæcunque Filius & Spiritus habent à Patre habent, atque ipsum etiam quod sunt. Nam si nihil quicquam Pater habeat, nec Filius quidem quicquam habet: nec Spiritus Sanctus: & propter Patrem, id est, quia Pater est, Filius quoque Spiritúsque sanctus sunt: iuxta illud, Viuo ego propter Patrem, siue quia viuit Pater. Et propter Patrē Filius & Spiritus Sanctus habent quæcunque habent: id est quia illa Pater habet. Omnia enim, inquit, quæcunque Pater habet mea sunt, præter characteristicas seu figuratiuas proprietates. Itaque Pater Filio dat ratione causæ paternæ. Accipere autem Filius & Spiritus Sanctus dicuntur, propter naturæ identitatem.

Magni Gregorij Theologi De Filij à Patre missione. *Cap. 62.*

45 Missus quidem est, at vt homo. Duplex enim erat: quandoquidem defessus fuit, esuriit, sitiit, anxius fuit, fleuit lege corporis. quod si etiam vt Deus, quid hoc? Beneplacitum Patris, missionē esse reputa: ad quem sua ipsius accepta refert: tum vt principio quod nullo tempore cœpit honorē deferat, tum ne Deo aduersari videatur, quandoquidem proditus quoque dicitur, imò verò seipsum prodidit, vt scriptum est: item à Patre suscitatus & assumptus est:

imò ſeipſum quoque ſuſcitauit &aſſumpſit. Illa ſunt beneplaciti:hæc potentiæ.Tu porrò ea quidem recenſes quæ minorem faciũt, quæ verò ſublimiorẽ,ea prætermittis: eúmque paſſum eſſe conſideras,quod autẽ ſponte paſſus ſit non adiicis.

Eiuſdem in illum Apoſtoli locum,quo ait, Oportet enim eum regnare vſque ad tempora. Ex 2.oratione de Filio.

Quod ſecundo loco nobis obiiciunt aduerſarij,id verò maximis& inuictis argumẽ-
1.Cor.15. tis accẽſent,nimirùm.Oportet enim ipſum
Act.3. regnare vſque adhuc: & à cœlo ſuſcipi vſq;
Pſal.109. ad temporum reſtitutionem, & habere ſolium à dextris Dei,donec inimicos ſuperet. Quid tum poſtea? Regnum ne deſeret, aut cœlis eiicietur? Quis eum coget? aut qua de cauſa? Quàm audacem interpretem agis? quámque à regno ſeu ſubiectione alienum? Atqui audis, Regni eius non erit finis. Verumenimuerò in eum errorem impegiſti, quòd his vocibus donec & vſque præteritum à futuro non diuidi prorſus ignores: imò hactenus ſignificari, nulla ratione habita eius quod ſubſequatur:alioqui quo ſenſu accipias, ne cætera dicam, locum illum,
Matth.28. Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi. An poſtea futurum non eſſe dices? At quænam huius ratio fuerit? Nec verò ea tantùm de cauſa lapſus es,ſed etiam quia di-

ctionum significata non distinguis. Siquidem regnare dicitur vno quidem significatu, tanquam omnium, velint nolint, Rex omnipotens:alio autem,tanquam is qui nos ditioni suæ subiecerit, suóque ipsius regno ita mancipauerit,vt libenter eius iugum suscipiamus. Regni ergo eo sensu accepti non erit finis. Secundi autem munus quódnam est?nimirùm vt nos manu protegat & saluos faciat. Nec enim est quòd eos subiiciat,qui iam subiecti sunt. Postea enim consurget iu dicaturus terram,vt saluos à perditis segreget. Postea, inquam, surget Deus in medio Deorum,saluorũ,diiudicaturus&distinctu-rus quo quisque præmio & mansione dignus sit.Hoc sensu accipito eam quoq; subiectionem,qua Filium Patri subiicis. *Rex Christus*

Quid ais? quasi nunc ei subiectus non sit? An verò Deo subiiciendus est omnino, qui Deus quoq; sit? certè tude latrone aut hoste quopiam verba mihi facere videris. *De mutua Patris & Filij subiectione.*

Quin potiùs rem ipsam ita expendito. Quemadmodũ execratio dictus est ille,qui meam soluturus execrationem venit: item & peccatum,qui mũdi peccatum tollit,denique nouus Adamus pro vetere fit, ita & inobediẽtiam meam suam facit, quippe qui totius corporis caput existat. Itaque quandiu rebellis ego seditiosúsq; sum,dũ Christi iugum respuo, affectibúsque meis inseruio,

Christus quoque non subiectus habita mei ratione dicitur.

Christus ἀνυπότακτος. Postquam verò cuncta sibi subiecerit, (subiiciet autem cognitione & commutatione) tunc ipse quoque subiectionem complererit, me seruatum adducens. Hæc enim est, vt arbitror, Christi subiectio, nimirùm paternæ voluntatis adimpletio. Subiicitur porrò & Filius Patri, & Pater Filio: ille quidem agens, hic verò approbans: quod anteà, quoq; diximus. Atque ita qui subiecit quod subiectum est, Deo exhibet, sibi quod nostrum est accommodans.

Christi subiectio.

Patris subiectio.

Eodem sensu mihi accipiendus locus ille quoque videtur, Deus Deus meus intende mihi, quare me dereliquisti? Nec enim ipse derelictus est, neque à Deo, neque à sua ipsius Diuinitate, quod quibusdam videtur tanquam timente passionem, & iccircò cõtrácta à patiente. Quis eum vel primitus hoc in mundo nasci, vel in crucem ascendere coëgit? Cæterùm in seipso, vt iam dixi, quod nostrum est, exprimit. Nos enim derelicti anteà & contempti eramus: nunc verò assumpti & seruati passionibus eius qui passioni neutiquam obnoxius est. Quemadmodum nostram quoq; insipiẽtiã assumens, & peccatum assumẽs, quæ subsequuntur eo in Psalmo ait, Quãdoquidẽ vicesimus primus ille psalmus ad Christũ hauddubiè refertur.

Psal. 21.

Christus à Patre derelictus quomodo sit.

Psal. 21.

Synopsis.

Eiusdem quoque considerationis & illa

ſunt, quòd ille obedientiam ex iis quæ paſſus eſt didicerit:item clamor,lacrymæ,ſupplicare,Exaudiri, Reuerentia: quæ ille pro nobis mirum in modum tanquam in proſcenio repræſentat. Quatenus enim Verbũ neque obediens erat, neque non obediens; Siquidẽ hęc ad eos ſpectãt,qui ſubiecti quaſiq; ſecũdarij ſunt, illud quidem certè ſpectat ad viros bonos,rectique amantes,hoc verò ad reprobos ſupplicióq; dignos: quatenus autẽ ſerui forma ſe cõſeruis accõmodat,alienámq; formã induit, me totũ meáque in ſeipſo ferens, vt ſua ipſius vi quod deterius eſt conſumat, non ſecus atque ceram ignis,aut Sol vaporem terræ:atque ego commixtionis huius gratia eorum quæ habet ille particeps efficiar. Ea de cauſa obedientiam re ipſa præſtat,eiúſque periculum paſſione facit. Siquidem affectio ſeu animi diſpoſitio non ſufficit, quemadmodum neque nobis, niſi rebus quoque ipſis animi ſenſa declaremus. Opus enim affectionem animi probat. Nec minùs fortè probandus ille quoque ſenſus eſt, quod obedientiam noſtram explorat, omniáque ſuis paſſionibus metitur arte humanitatis, vt ſuis noſtra cognoſcere poſſit: quantúmque ſit à nobis exigendum,quantúmque nobis concedendum:habita imbecillitatis vnà cum paſſionis ratione. Nam ſi lux propter emiſſionem quæ in tenebris, hoc eſt hacçe vita, appa-

Fides ſine operibus mortua.

Lux à tenebris paſſa.

ruit, persecutionem passa est à tenebris, à malo, inquam, & tentatore, tenebræ quantę quámque debiles fuerunt? Quid autem mirùm, si coalescétibus illis omnino, nos quoque quodámodo assumpti fuerimus? Maius enim illi persecutioné pati fuit, quàm nobis assumi, eorum saltem iudicio, qui hæc ritè expendunt. Prædictis porrò adiiciam
Hebr. 5. quod mihi in mentem venit. In quo enim passus est ipse, cùm tentatus est, potest iis qui tentantur opitulari: quod ad eundem perspicuè sensum refero.

Ex eadem Diui Gregorij oratione huius Scripturarum loci Erit Deus omnia in omnibus explicatio. Cap. 63.

1. Corint. 15. Coloss. 3. 47 CÆterùm instaurationis tempore, Deus erit omnia in omnibus, non Pater, Filio prorsus in eum ita resoluto, vt si tæda in magnum rogum, ex quo exempta fuerit ad tempus, iterum cõiiciatur, ne enim Sabellij hoc dicto corrumpamur, sed totus Deus, quo quidem tempore nõ ampliùs vt hodie multas in partes motibus animi atque perturbationibus distrahemur, Dei nihil quicquam vel perpusillum in nobis ipsis ferentes: sed Deo planè similes, Deíque solius capaces. Hæc enim est perfectio ad quam properamus: cuius quidem maximo argumento est Diuus ipse Paulus. Quod enim hoc in loco de Deo indefinitè ait, ali-

bi apertè de Christo affirmat. Quibús nam verbis? Vbi non est Gentilis, & Iudæus, circuncisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. *Coloss. 3.*

De eo quod non possit Filius à seipso facere quicquam. Ex eadem D. Gregorij oratione. Cap. 64.

48 SExtum apponatur, quòd non possit Filius à seipso quicquam facere, nisi Patrē facientem viderit. Hoc verò ita se habet. *Ioan. 5.* Posse vel non posse nequaquā eorū est, quæ vno modo, sed eorum quæ pluribus efferuntur. Aliquid enim dicitur fieri non posse, partim quidem vel potentiæ defectu, vel ratione temporis, vel relatiuè: vt si puerum certare, aut catulum videre, aut hunc illum, expugnare posse neges. *Fieri aliquid vel non fieri posse, quot modis dicatur.* Fortassis enim certabit aliquando puer & videbit canis, & hic illum expugnabit, quanlibet alium quempiam expugnare nequeat; partim autem [dicitur aliquid] vt plurimùm, vt non potest ciuitas abscondi supra montem posita. *Matth. 5.* Fortassis enim quæpiam abscondi potest maioris alicuius corporis obiectu: partim etiam, quia rationi consentaneum non sit, vt, Non possunt Filij sponsi ieiunare, quandiu sponsus adest: *Matth. 9.* siue corporeis oculis videatur (nec enim peregrinationis eius tempus mœroris erat, sed lætitiæ) siue qua-

tenus Verbum eſt mentis oculis conſidere-tur. Quid enim eſt quod ij corpore ieiunẽt, quibus animus Verbo expurgatur? partim quoque quia id nolit, vt non poſſe illic ſigna facere, propter accipientium incredulitatem. Quia enim ad morborum curationes vtrunque neceſſarium erat, & fides eorum qui curabantur, & virtus eius qui curabat, altero deficiente alteri locus ſupereſſe non poterat. Cæterùm an hoc ei quoque accenſeri poſſit, quod rationi conſentaneum eſt, ignoro. Rationi enim cõſentaneum nõ erat, vt ij curarẽtur, qui incredulitatis morbo laborabant.

Eadem eſt huius quoque loci ratio, Non poteſt mundus non odiſſe vos. & huius, *Ioan.7.* Quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Quá nam enim alia de cauſa hæc fieri nequeunt, niſi quia voluntas deſit?

Eſt porrò huiuſmodi quoque quippiam in iis quæ dicuntur. Quod natura quidem fieri nequit, id fieri hinc demùm poteſt, ſi Deo placuerit: vt eundem non poſſe bis naſci, & foramen acus cameli capax non eſſe. Nam quid obſtet quo minùs hæc fiant, ſi Deus velit? Præter omnes hos modos eſt quod fieri nullo prorſus modo queat, nec vlla admittit ratio, vt eo modo fiat, quem nunc quærimus. Quemadmodum enim fieri non poſſe dicimus, vt malus ſit Deus, aut non ſit omnino. (Hoc enim ad impotẽtiã

potiùs quàm potétiam Dei referatur, quàm ſiquod non eſt eſſe dicatur, aut bis duo & quatuor & decem eſſe affirmentur) ita impoſſibile prorſus eſt, nec ratio id vlla admittit, vt Filius eorum quidpiam agat, quæ Pater non agit. Omnia enim quæcunque habet Pater, Filij ſunt, vt vice verſa quæ ſunt Filij, ſunt & Patris. Nihil ergo priuatum eſt & peculiare, quoniam communia ſunt eis omnia. Si quidem ipſa etiam eſſentia communis & æqualis eis eſt, quanquam Filius id à Patre habeat. Vnde illud quoque dicitur, Ego viuo propter Patrem, non quòd inde ſit illi vitæ & eſſentiæ origo, qualis hominum eſſe ſolet: ſed quia inde citra vllum tempus & cauſam ſubſiſtat. *Ioan.6.*

Cæterùm Patrem quodammodo videt facientem, itaque demùm facit. An verò vt qui formas & literas depingunt, quia non ſit ad rei veritatem conſequendam alia via, niſi oculos ad exēplar & archetypum ſubinde intendant, manúmque ad eius imitationē dirigant? Quî verò fieri poteſt, vt ſapientia doctore indigeat? nihil ne factura eſt, niſi doceatur? Quomodo autem Pater agit, aut egit? Aliúm ne anteà cōdidit mundum loco præſentis? quamlibet futurum conſtituerit? eóque reſpiciens Filius alterum quidem conſtituit, alterum autem conſtituturus eſt? Quatuor ergo mundi hac ratione conſtituti fuerint, quorum alios Pater, alios

Acriùs in Eunomianos insurgit. Filius fecerit. O ineptias! Quod ergo à lepra & dæmonibus purgat, morbos curat, mortuos exuſcitat, ſuper mare ambulat, cæteráque alia facit, quæ quidem fecit, quánam in re aut quando Patrem omnia priùs facientem imitatus eſt? An videlicet Pater rerum huiuſmodi formulas præſcripſit, verbum autem non ſeruiliter aut imperitè, ſed peritè & imperioſè, vel vt magis propriè loquar, paternè perficit? Eo enim ſenſu locũ illum accipio, quo quæ à Patre fiunt, ea ſimiliter à Filio fieri dicuntur, ita vt non eorum quæ fiunt ſimilitudo, ſed eadem poteſtas & dignitas ſignificetur. Quo ſenſu etiã & hoc accipiendum eſt, ad hoc vſque tempus & Patrem & Filium operari: nec hoc ſolùm, ſed eorum etiam quæ fecerunt moderationem & conſeruationem: vt verbis
Pſal. 103. illis indicatur. Facere Angelos ſuos Spiritus. Item fundare terram ſuper ſtabilitatem eius, cùm ſemel & hæc fundata, & illi facti ſint. Item, Formari tonitrum, & creari Spiritum: quorum ratio cùm ſemel extiterit, cõtinua tamen etiamnum operatio manet.

In illud, Deſcendi è cœlo, non vt faciam voluntatem meam. Ex eadem D. Gregorij oratione. Cap. 65.

Ioan. 6. 49 SEptimum proponatur, Deſcendiſſe
» de cœlo Filium, non vt voluntatem
» ſuam faciat, verùm eius à quo miſſus eſt.

Certè nisi hæc proferrentur ab eo qui descendit, dicere possemus sermonem hunc formari tanquam ab homine, non eo qui Seruator intelligatur, cuius voluntas Deo neutiquam contraria sit, quippe quæ tota diuina euaserit: sed eo qui nobis similis sit: quippe cùm humana voluntas non omninò Deo subseruiat, sed persæpè repugnet, atque in cõtrarium nitatur. Hoc enim sensu locum illum accepimus. Pater si fieri potest, transeat à me calix iste: veruntamen nõ quod ego volo, sed tua voluntas præualeat. Nec enim consentaneum est, vt ignorarit ille, an id fieri posset, nécne: nec voluntatẽ voluntati opposuerit. Quia verò ea verba eius sunt, qui carnem assumpsit, quod enim descendit caro assumpta non est: ita quæstioni occurremus hoc intelligendum esse, non tanquam propria Filio voluntas aliáque à Patris voluntate sit, sed tanquam non sit: vt hæc inde consequantur. Non vt faciã voluntatem meam, mea enim à tua seiuncta non est: sed eam quæ tibi & mihi communis est: quorũ vt vna est diuinitas, ita & voluntas. *Matt 26.* " " "

Siquidem pleraque communiter hoc pacto dicuntur, non affirmatiuè, at negatiué: vt illud. Non enim ad mensuram Deus Spiritum dat, nec enim dat, nec ad mensuram. Nam Deum Deus nõ metitur. Itẽ illud, Neque peccatum meum, neque iniquitas mea: *Ioan. 3.*

ſic enim intelligendum, non vt inſit, ſed vt non inſit. Item, Non propter iuſtitias noſtras,quas fecimus:nec enim fecimus. Porrò perſpicuum hoc eſt ex ſequētibus. Quam enim eſſe inquit voluntatem Patris? vt omnis qui credit in Filium ſeruetur:particépſque fiat extremæ reſurrectionis,ſiue reſtitutionis. An ergo hæc Patris eſt voluntas,Filij verò non item? aut præter animi voluntatē annuntiatur & creditur? Quis autem hoc credat? pręſertim cùm horū quoq; verborū, ſermonē qui auditur,nō eſſe Filij,ſed Patris,
Ioan. 14. idem ſit ſenſus. Quî fiat enim,vt quod cōmune eſt,vllius ſolius ve peculiare ſit. Hoc pleraque conſiderans intelligere non poſſum,nec alius,mea quidem ſententia,intelligere queat. Si hoc ſenſu voluntatem intelligas,rectè admodúmque piè intelliges:pro vt mea, & cuiuſque Orthodoxi, ſententia fert.

Ex eadem D. Nazianzeni oratione,in illud, Vt cognoſcant te ſolum verum Deum.

Cap. 66.

Ioann. 17. Luc. 18. 50 OCtauum hoc illis eſt, Vt cognoſcāt te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. & hoc, Nemo bonus,niſi vnus Deus. Huius quoque ſcrupuli facillima mihi ſolutio videtur. Nam ſi ſolū verum de Patre intelligas, vbinam quæſo Veritatem ipſam collocabis? Nam ſi hoc ſenſu

ſenſu verba hæc Soli ſapienti Deo Soli immortali, & lucem inacceſſam habitanti, aut Regi ſeculorum incorruptibili, inuiſibili, Soli ſapienti Deo intelligas, Filius qui morte multatus eſt tibi effluet, ita vt vel calîgo ſit, vel non ſapiens, neque Rex, neque inuiſibilis, neque omnino Deus, quod antedictorum caput eſt. Quî verò fiet, vt cum cæteris bonitatem quoque maximè Soli Deo propriam non amittat? Verumenimuerò verba illa, vt cognoſcāt te ſolum verum Deū ſic dicta exiſtimo, ad eorum qui Dij non ſunt quanlibet dicantur internecionē. Nunquam enim aliàs addidiſſet, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, ſi ad illum verba hæc ſolū verum retuliſſet, at non de diuinitate in cōmune locutus eſſet. Cęterùm verba illa Nemo bonus occupationem continent, qua legiſperito cuidam tentanti ſe Chriſtus occurrit, ſibíque quatenus homo eſſet bonitatem tribuenti. Summè bonum, inquit, Solius Dei eſt, quanuis hoc quoque nomine cenſeatur homo: vnde illud, Bonus homo ex bono theſauro profert bonum. Item, Dabo regnum bono ſuper te. Verba Dei ſunt ad Saulem de Dauide. Item illud, Benefac Domine bonis, & cætera id genus quæcunque dicuntur de iis qui inter nos laudibus efferuntur: in quos primi boni defluxio, vel ſecunda ratione, deriuauit. Itaq; ſi perſuaſiſumus, optimum eſt: ſin minùs, quid reſpō-

Rom.16. *1.Tim.6.* *1.Timo.1.* *Matth.19.* *Matth.12.* *Pſal.124.*

debis iis qui argumenta tua ſecuti, Filium
Bar.3. ſolum Deum dictum eſſe aſtruent? quibúſ-
,, nam verbis? his. Hic eſt Deus noſter,& ei
,, non comparabitur alius.Et paulò póſt.Poſt
,, hoc in terris viſus eſt,& cũ hominibus ver-
,, ſatus. Ibi enim non de Patre ſed Filio verba fieri,ex eo quod additur perſpicuum eſt. Is enim eſt qui corpore nobiſcum verſatus eſt iiſque conuixit,qui degunt in terris. Quod ſi euicerit hoc de Patre dici, non iis qui Dij cẽſentur, Patrem amiſimus [iis ipſis quibus Filium tutari contendimus.] Quid autem victoria huiuſmodi miſerius aut damnoſius eſſe queat?

In illud, Semper viuens ad interpellandum pro nobis. Ex eadem D.Nazianzeni oratione. Cap. 67.

Heb.7. 51 NOnum hoc obiicere poterunt: Semper viuens, ad interpellandum pro nobis.Rectè ſanè, nec ſine magno myſterio atque humanitate. Verbum enim interpellare non eſt quod plerique ſolent, ad ſupplicium depoſcere: hoc enim vel abiectiſſimum eſt,ſed intercedere pro nobis pro legationis munere: vt Spiritus quoque pro nobis interpellare dicitur.Vnus enim Deus,
Rom.8. vnus & mediator Dei & hominum, homo
1.Tim.2. Ieſus Chriſtus.Intercedit enim etiam num vt homo pro mea ſalute:nam corpus habet,

quod assumpsit, donec assumptæ carnis potentia Deum me faciat; quanuis non amplius secundum carnem cognoscatur, carnales, inquam, affectiones, & ea quibus obnoxij sumus, dempto peccato. Sic Iesum quoque paracletum, hoc est Aduocatum, habemus, non quòd pro nobis seruili more ad Patris pedes aduoluatur, & in genua procumbat. Absit hæc verè seruilis, Spiritúque indigna cogitatio. Nec enim Patris est hoc postulare, nec Filij præstare, nec quempiã id de Deo cogitare par est. Iis verò quæ pro nobis vt homo passus est, nos cohortatur tanquam Verbum & admonitor, vt forti animo simus. Eodem sensu mihi dictio paraclesis, hoc est exhortatio, accipienda videtur.

Ex S. Cyrilli scriptis De progressu seu incremento Christi. *Cap. 68.*

52 QVod in aliquo proficit, diuersum ab eo est in quo proficere dicitur. Si ergo in sapientia proficere dictus est Christus, non sapientia est quæ proficiebat, sed humana quam prætendebat ille natura. Cùm enim diuinitas in eo quotidie reuelaretur & elucesceret, semper admiratione dignior spectantibus euadebat. Atque hic sensus est horum verborum, Proficiebat in sapientia.

Eiusdem S. Cyrilli.

Luc.2. 53 Humanitas hoc modo in ſapientia proficiebat. Cùm ſapientia,hoc eſt Dei Verbũ, naturam induiſſet humanam, factis & admirandis operibus templum à ſe aſſumptũ oculis intuentium diuinum exhibẽs, ipſum proficere faciebat. Atque hoc pacto humanitas in ſapientia proficiebat, cùm per eam diuina fieret.

Eiuſdem S. Cyrilli.

54 Quandoquidem proficere proprium carnis eſt, Chriſtus proficere dicitur, vt ea indutus,eiúſque affectiones ſibi accommodans.Nec enim alterius cuiuſpiã caro erat, ſed ipſius Verbi. Et quemadmodum eum carne paſſum eſſe dicimus, quanuis ſola caro paſſa ſit,quando quidem licet non paſſus ſit, quatenus Deus erat, corpus tamen eius proprium paſſum eſt:ita etiam proficere dicatur, nullum quatenus Deus percipiẽs incremẽtum,hoc iccirco dicitur, quia in ipſo propria eius caro proficiebat

D. Ioannis Damaſcen.

55 Sapientia, & ætate, & gratia proficere dicitur: ætate quidem creſcens, ætatíſque incremento ſapientiam ſibi inſitam in apertum exerens, adhæc hominum in ſapientia & gratia progreſſum, paternæq; approbationis perfectionẽ, ſiue hominum de rebus diuinis cognitionem & ſalutem, proprium profectum faciens, ſibíque quod noſtrũ eſt planè accommodans.Cæterùm qui ſapien-

tiâ & gratiâ ipſum ita profeciſſe dicunt, vt hoc velut auctariũ acceperit,ij vęſanũ ſecuti Neſtorium ſcheticam ſeu relatiuam cõiunctionem,nudámque inhabitationem cõminiſcuntur, nec ea quæ dicunt agnoſcentes, nec ea quæ aſſeuerant. Si enim caro Verbo verè coniuncta eſt,cùm primum eſſe cœpit, vel potiùs in ipſo ſubſtitit, hypoſtaticámq; ſeu perſonalé cum ipſo identitatem ſubiit, quid obſtat quo minùs cunctis ſapientiæ gratiæque theſauris exornata fuerit?

Et hæc ſuperioribus in Anomœorum confutationem adnectenda ſunt. An Filium Pater exiſtentem,néc-ne genuerit. Cap.60.

OBiiciebãt Anomœi Sophiſticarum argutiarum potiùs quam Theologiæ periti. Exiſtentém ne Pater Filium, an nõ exiſtentem genuit? eáſque in anguſtias pium quenque virum coniiciunt,vt quid reſponſurus ſit,ignoret. Nam ſi exiſtẽtem genuiſſe reſpondeat, illi hoc reſpóſum cachinno excipient & replicabunt. Quî verò fieri poteſt,vt is naſcatur,qui eſt?hoc enim abſurdũ eſt. Quòd ſi exiſtẽtem negauerint,ſubiiciẽt, itaq;inferẽt,Supereſſe vt fuerit tempus,quo Filius nõ fuerit. Quam quidẽ Syllogiſmi argumẽtationíſ ve formulá nõ verã eſſe commõſtrans magnus ille rebus in Theologicis Greg. ſimilia ſimilibus confutat hoc modo.

Nazianz. Est ne tempus in tempore, necne? Porrò sciendum est quòd de tẽpore interrogare, vtrum in tempore sit, an nõ?eorum non est quæ fieri possunt,tempus enim iis quæ sunt haudquaquã accẽsetur, sed iis quæ accidũt. Quẽadmodum enim motus in corporibus dicitur,sic tempus mẽsura motus est. Nam Sol corpus est quod mouetur: tẽpus autem mensura motus eius. Itaque tempus eorum non est,quæ subsistũt,sed quæ subsequũtur.

Hũc nodum pulcrè dissoluit Gemistius Pletho libri posteriorum Platonis defensionũ primi capite 13. Quę defensiones ex Sãctandreana bibliotheca cũ Deus voluerit apparebunt, eodem Morello interprete.

Cæterùm admirãdus Aristoteles veteris aduersarius Academię,præceptoríq; Platoni contrarius,cœlum factũ esse atque à quodam temporali signo conuersionem orbicularem cœpisse, at cum ipso tempus quoque vnà substitisse dicẽti,ipse tempus æternum introducit,& cœlum ingenitum. At Pater hic Gregorius Est ne tempus, inquit, in tẽpore,nécne ? hoc est an vniuersum tẽpus tẽpore locum inter res creatas habuit, an verò vnà cum rerum vniuersitate sine tẽpore substitit?Nam si tempore creatum est, inquit, vniuersum non est, cùm aliud tempus deprehendatur:cuius quidem intermedio tempus euasit tempus. Sin minùs,tempore carens tempus introducit. Quod si sit tempus sine tempore, vix aliud quippiã tẽpori subiicietur. Quod si contra in tempore dicas, de illo rursus sic interrogabit quispiam. An illud quoque in tempore, an sine tempore sit.

Itaque pater Gregorius plerisque omissis quæ de tempore frustra hic exponerentur, tantùm de illo proposuit, quantùm sibi ad quęstionem propositam sufficere visum est. Quanuis enim dubia in vtranque partem quæstio esse videatur, ea tamen non est, quę omninò dubia sit. Nec enim si quid minùs in temporis protensione fuerit, hoc iam sine tempore est. Cæterùm tempus sine tempore non est, quod cùm anteà non esset, posteà factum est, quippe quod Sol & Luna dimetiantur, quæ solo creatoris verbo simul & semel creata sunt.

Quibus Dilemmatis & hoc accenset, Nunc ego mentior, ei simile quod de tempore præcedit. Hoc itaque dilemma. Nunc ego mentior vera quidem dicit, in iis quæ mentitur: mentitur autem in iis quæ vera dicere putes. Cæterùm hac in quæstione proponẽda Theologus hisce verbis vtitur. Huius dilemmatis Nunc ego mentior alteram partem concede, vel vera dicere tantùm, vel mentiri Non enim vtranque concedemus. Quia enim putabat aduersarius omnibus in quæstionibus veram esse negationem vel affirmationem, iccirco Pater ea illi obtrudit in quibus contraria concurrere videntur: nec fieri potest vt altera quidẽ propositio vera sit, altera verò falsa: sed & illa & hæc vera simul & falsa est. Ita porrò se habet hoc dilemma. Nunc ego mentior.

Dilemmatis Nunc ego mentior dissolutio.

Theologus hoc pacto quæstionis absurditatem dissoluit. Dici autem potest existenté Filium à Patre genitum esse: atque ita vicisse aduersariũ: quod naturali sic probabo exéplo. Sol radium gignit, & radius iubar. An ergo Sol radium non existentem gignit, aut radius iubar? Quis autem quotquot vnquã vixerunt hominum, Solem sine radiis vidit? aut radium sine splendore? Itaque & generant, & existentia generant. Non enim diuina se habent, vt corporea. Quia nos cùm nõ essemus, postea nati sumus. At in rebus quæ quanuis corpore cõstent, diuinæ tamé sunt, secus se res habet. Quod si hæc ita se habeât, quãto magis incorporea, in quibus effectus à causis procedunt, iísque insunt, & ad eas conuertuntur?

Sol. Radius. Iubar.

Epilogus totius Arianorum & Eunomianorum hæreseos. Cap. 70.

EA erat Eunomij & hæreseos eius sectatorum successorúmque sententia, vt Patrem primam & propriam essentiam, deinde Filium, qui eius intermedio productus esset: postremo Spiritum Sanctum, eam quę præcedentium neutri accenseretur. Quãuis autem Filium à Patris essentia seiungerent, tamen nunc eodem & communi honore Deũ ipsum appellabãt: nunc eodé nomine. Cæterùm reprehensi ab Orthodoxis, quòd fieri non possit, vt Filius eodem & proprio

Homonymorum vsus. nomine Deus appelletur, respōdebant. Homonymorum non vnum esse vsum, sed etiā secundum, quo quidem homonyma diuersi sunt generis, & vtraque propria: canésque terrestrem & marinum, qui homonymi sunt & propriè dicũtur. Nec enim alter propriè alter impropriè canis, sed vterque propriè id est, quod dicitur. Atq; inde orsi, nihil obstare affirmabant, quo minùs & Pater & Filius eodem & proprio nomine Deus appelletur.

Nazianz. Eunomianos suo ipsorum gladio, seu canum sophismate, iugulat. Cæterùm illos magnus ille Pater Gregorius tanquam absona dicentes redarguit. Terrestris enim canis, inquit, & marinus pares sunt substantia, ambóque eiusdem temporis & dignitatis participes efficiuntur. Nec est quod dicas hunc quidem magis esse substantiam, illum verò minùs: neque hunc priùs, illum posteriùs fuisse. Estque adeò in canum exemplo quasi quædam diuersis in rebus societas & cōmunio (Alius enim terrestris, alius marinus canis est) quæ tamen eiusdem dignitatis, substantiæ, atque temporis existant. At in Filio & Patre non hoc inest. Patri enim alteram substantiam tribuitis, quem omni substātia maiorem, nec tempori obnoxium, & ingenitum esse fatemini: Filio autem alteram, nimirùm temporalem & à Patre diuersam substantiam, quódque generatione substiterit, quemadmodum ea quæ sunt omnia. Itaque perspicuum est Fi-

lium à vobis Deum per homonymiam vt ſentitis vocari, patríq; ὁμοιούσιον καὶ ὅμοιον hoc eſt ſimili eſſentia præditum & ſimilem (quemadmodum animal etiam vocatis, & id quod viuit, & id quod pictum eſt) potiùs quàm Deum. atque fruſtrà canum, terreſtris inquam & marini, homonymiam in mediũ profertis.

Itaque veſtro repugnantes exemplo ipſi vos ipſos ſubuertitis, quia non vnam nobiſcum diuinitatem ſtatuitis, ſed in partes inæquales diſſecatis, & peruersè ab vna continuáque homonymia (ea inquam cui par & æqualis dignitas & par tempus inſunt) ad aliam homonymiã tranſitis, & in qua ex duabus ſubſtantiis Pater quidem magis, Filius autem minùs ſubſtantia ſit. Certè pictus & viuus homo vobis ad Patris & Filij exprimẽ tlam diuinitatem potior & accõmodatior eſſet, quàm ij quos in exemplum adduxiſtis canes. Quandoquidem, vt vel dogmatibus veſtris cõſtat, prior quidem Pater, poſterior verò Filius fuit: quemadmodum prior quidem homo viuus, poſterior autem eius imago. atque ille quidem verè homo eſt, quia ei hominis definitio quadrat. hæc verò non propriè ſed per homonymiam, ſeu nominis ſimilitudinem: quippe cui ſola forma coloribus impreſſa ſit: nec tamen definitio quadret, vt prototypo ſeu primo exemplari. Si ergo exẽplum veſtrum vero dogmati accõ-


Homo viuus homo pictus.

modare vultis, quemadmodum in canibus homonyma parem dignitatem habere dicitis, ita etiam Patri & Filio vnà cum nominis communione parem quoq; naturarum dignitatem tribuite.

Quod si recusatis, canes dissoluistis, à vobis eo consilio inuentos, vt inæqualitatis à vobis excogitatæ testes essent. Ipsos enim pari naturæ dignitate præditos & contemporaneos esse probatum est, vos autem eos qui omnino sunt pares, Patrem inquam & Filium, impares esse docetis.

Finis lib. V.

D. MICHAELIS CHONIATAE, seu Colossensis, sanctissimi Athenarum Metropolitæ Monodia, hoc est, oratio in funere Fratris, Iudiciorum Ephori, Imperatoriòque cubiculo præpositi, D. Nicetæ Choniatæ, qui hoc opus conscripsit, habita.



Calamitosum nuntium! ô aduersum infestúmque rumorem! qui simul ac improuiso & insperato hominum sermone meas ad aures allatus est, illæ mox tanto terrore concitatæ sunt, vt mihi (quod delirantibus & mente captis vsuuenire solet) tinnire atque circunsonare, pectúsque adeò ipsum mœrore contabescens, mucrone peti transfigíque videretur. Vnde cruentas hasce, opinor, quas effundunt oculi lachrymas conceperunt, cruentis illis guttis persimiles, quas Tragœdiis perappositis scenica vulgo venustas effingit: vt mirum sit, quin & ipse attonitorum illorum, fanaticorúmque vnus aliquis euaserim, omníque sensu priuatus in columnam aliquam diriguerim. Ad hodiernũ tamen vsque diem in viuorum numero supersum, non ignarus quãtas in miserias sim prolapsus, quarum cognitione & conscientia, querulas has voces & singultus reciprocos elicio.

Michaelis de fratris Nicetæ morte dolor.

Ad Niobes Metamorphosin alludit.

Verumenimverò fieri potest, vt hac arte

pœnas à me vindex numen exigat, ne fortè mente in vniuersum captus, & sensibus orbatus, extremo hoc supplicio siccis oculis, citráque dolorem constringar, sed integra mente præditus, quæque dolores persentiscere possit, acriùs inde viuus vidénsque lanciner. Quicquid sanè tristium sensu priuatur, id demum doloris expers esse dicimus. At ego etiamsi in statuam aliquam trāsmuter, siue lapideam illā, quæ (vt in fabulis est) mutas distillat lachrymas: siue illam, cuius in scriptura mentio fit, quęque vulgò statua salis appellatur (eodem certè mecum communique nomine, qui nihil aliud esse mihi videor, quàm sal insulsum, idcircóque foras proiectum, vt ab hominibus conculcetur) tamen ne sic quidem vindicis Adrastęæ Nemesin effugi: quippe qui diuturniores pœnas luam, dum semper idem futurus, infesto numine cunctis illudendus exponor. Altior etiam multò vel iecur ad ipsum dolor penetrat, dum cominus contemplor, qualis malorum Colophon misellæ animæ insultet, qualis ærumnarum corônis pristinis malis accrescat, denique quàm perniciosa rebus meis, infortunatáque summa accesserit, quæ mihi, quæso, pœna iam grauior irrogari potest?

Lothi vxorē intelligit, quæ in salis statuam mutata sit Genes. 19. Alludit ad illud. Matt. 5. Vos estis sal terræ. &c.

Ad Tityi fabulam alludit.

Hei mihi, charissime frater, hei mihi! q̃ procul à nobis dissitus es! non quanto certè heri, nudiusve tertiùs spatio, nimirum ali-

quo illo chasmate, quod Græciam & Bithyniam interiacet, sed multò vastiore, & remotiore: quanto scilicet Orcus à viuentium regione disiungitur. Heu me miserum! quòd hinc ad remotissima illa loca sis amissus, ex quibus nulla reditus ad nos spes affulget. Omni igitur videndorum decætero liberorum tuorum spe, imprimísque adeò sororis charissimæ, interclusus es. Quis hoc mihi tribuat, vt morte mea vitam tibi redimam? vt scilicet illud ipsum præstem, quod tantopere diuinus ille Dauides expectabat, ídque in Absalone filio, qui in eum violentus insurrexerat, eiúsque vitæ insidiatus erat.

Alludit ad illud Dauidicum. 2. Reg. 18. Quis mihi trbuat, vt ego moriar pro te, Absalon, Fili mi, Fili mi Absalom? 2. Reg. 15.

Quod si ille propriam vitam profundere non detrectauerit, modò filium moribus tam deploratis infamem à morte assereret, quî non & ipse votis omnibus nomine tuo lubens vitam morte commutare percupiã? cùm præsertim mihi sis frater, omniúmque adeò fratrum longè charissimus, quamuis si disciplinæ sit habenda ratio, à me per alterius cuiusdam multiplicis habitus temperamentum progenitus videaris. Ambo quidẽ certè ex eiusdem patris semine, eiusdémque matris sanguine ortum habuimus, natúque adeò maximus ego natiuitatis limine pedem prior extuli, qui vtinam limini quoque mortis prior intulissem, sicque fratres alios tanquam ex multis vnus subsecutus fuissem.

Innuit se Nicetā nō solùm fratrem sed etiam preceptorem fuisse.

Cæterùm cùm Pater, librorum iuxta liberorúmque amantissimus, ex Asia Byzantium discendi gratia adduxisset, quo tempore pubertatis annos attingebam, magistris Artium liberalium, & viuendi præceptoribus (iam enim Grammatices, vtilísque versuum componendorum methodi fundamēta ieceram) in disciplinā tradidit. Posteà cùm ibi agenti multum temporis interfluxisset, illum quoque mihi annos ad nouem natum pater in manu dedit, obtestatus vt omnium muneri, Patris, inquam, alumni, pædagogi, & præceptoris, in instituendo fratre vicarius succederē. Quorum sanè omnium officium, pietatem, diligentiam præstiti: atque dum omnes in eorum vultus, & oris habitus me compono, & plura etiam præsto, quàm à fratre expectari soleant, illorum tādem accessionibus ad summum pietatis fraternæ officiíque gradum conscendi, nec remissiore vicissim studio ad eandem ille fraternæ beneuolentiæ excellentiā animo connitebatur, laboréque contendebat: prætterquàm quòd ille vel longè plura præceperit, quàm contulerit beneficia, tantisper dum apud nos moribus iuxtà liberalibúsque disciplinis informandus conuersatur.

Alludit ad Homericum Phœnicem Achillis præceptorem. Iliad. lib 9. vers. 444.

Choniatarū Michaelis & Nicetæ φιλαδελφία.

Cùm primùm verò Athenæ me meæ illúmque non inter pedarios, sed primariæ autoritatis viros, Imperatoris excepit aula, sine vlla mora & confestim accipiendis, rependen-

Primus ad honores fratris vtriusque gradus.

pendendíſque beneficiis inter nos certare deſiimus. Nobis enim & ego & Athenæ multorum nec contemnendorum beneficiorum ab illo ſæpenumerò perceptorum conſcij ſumus: cùm tamen à nobis ille viciſſim vel nulla omninò, vel admodùm pauca viciſſim perceperit.

Verumenimuerò tantùm abeſt, vt ſic illa fraterni amoris gratia diſiuncta fuerit, cùm etiam arctioribus vtrinque nodis, minúſque diſſolubilibus coïerit. Quòd ſi quis vtrique in commune caſus infeſtior interueniſſet (vt naturalis illa ſympathia animos hominum lætis exhilarare, contráque triſtibus exulcerare ſolet) facilè quiuis p ſe cõiiciat, quãtò nobis inde eo potiſſimùm tempore, quo inter extraneos cõſtituti, amicorum cæterorúmque familiarium neceſſitudine intercludebamur, alienáq; ope deſtituti, operas ſoli mutuas inter nos cõferebamus. atque inter ipſa peregrinæ regionis incõmoda, mutuo ſolatio dolorúmq; fométo leuabamus. tãto ſcilicet amore patriæ, deſiderióque tenebamur, in qua non ſine varia laborum lucubrationúmque viciſſitudine, artium liberalium cognitionem conceperamus, quarum argutiis & acuminibus ingenia noſtra meditátes exercueramus, cùm nimirũ ad eos me conferré, qui maiorum gentium diſciplinas & mathemata pertractabant. Ille verò à me (quantũ tenella pueri ferebat ætas) ſemper

Sympathiæ naturalis energia.

Patriæ amor

Paucis obiter vtriuſque ſtudiorum rationem perſtringit.

Zz

ab ipsis incunabulis ad meliora quæque & perfectiora capesséda institutus, in illis paulatim exerceretur, sicq; proficeret, vt tádem velut enatis & coalescentibus pennis per illum disciplinarum orbem & in primis Sophistarum argutias alarum leuitate subuectus, iam deinceps ad ea quoq; theoremata, quæ sublimioris & augustioris contemplationis indigent, subuolare posset.

Alludit ad Prodiciũ illud Herculis biuiũ, in quo virtutẽ post posita volu ptate secutus est.

Verumenimuerò cùm iam sumpta virili toga ad id ætatis adoleuisset, quo quidẽ de multis huius vitæ semitis vna omninò seligenda erat, quã insisteret, aut ingrederetur, tunc tẽporis (eheu quî siccis oculis obductã Reipublicæ status, tunc inaudita nouitate immutati & accisi, cicatricẽ refricare potero?) tunc tẽporis, inquã, prima dissidij occasio exoriri ausa est, quæ fratrum vnum idéq; sentientium coniunctionẽ diuersa vitæ con ditione disiungeret. Atque mihi quidem (quem parẽtes à puero, tanquã sobolis suæ primitias, sacri altaris ministerio inaugurauerant) vita priuata vel in primis arridebat. Itaque vnam petij à Domino, vt sancto eius templo præficerer, nec ad tantula negotia, quantulis hominum vulgus obrui solet, animum applicarẽ, sed potiùs bonas horas otio literario, euoluendísque veterum scriptis consumerem. Ille verò antè quàm certum vllum scholasticæ, nudæ ve eorum quæ sunt cognitionis & scientiæ specimen dedisset,

Diuersa vitæ Choniatarũ fratrum conditio, Michaelis quidẽ Theoretica, Nicetæ antẽ practica.

totum se in eo vitæ statu & instituto vltrò collocauit, quod ad humanas actiones propensius, Reipublicæ studiosius, denique plu ribus expositum curis est, quàm ei qui seriò philosophari velit, expediat. Vt autem quod ipse sibi subiecerat, atque apud animum suũ proposuerat, id melioribus auspiciis, magísque è re sua succederet, cautionem quoque & diligentiam adhibuit. Itaque facultatem & copiam dicendi, iurísque ciuilis sciẽtiam quanta potuit agendi & cogitandi solertia, tanquam perapposita percommodáque ad Rempublicam capessendam subsidia & instrumenta sibi comparauit. Siquidem me pręceptore politicis disciplinis in sapientissimorum doctissimorúmque virorum corona animum excoluit atq; informauit: nec ita multò pòst vagæ volubilísq; fortunæ telis expositus est.

Hæc nimirùm fuit dira illa Andronici tyrannis, quæ velut hedera multiplici erraticóque lapsu serpens (sic enim tyrãnidis vim depingere liceat) clauiculis suis, quasi manibus herbescentem Imperij nostri viriditatem complexa, repressit & suffocauit. Simul ac enim certa cum Reipublicæ pernicie in ædes Augustas irrepsit, quo nimirum tempore frater meus, ex Scribis & Amanuensibus Imperatoris vnus erat, tum demùm lethale virus afflare, maioréque hominũ odio, quàm tetra vlla immanísve belua labora-

Andronicus Comnenus. Hedera tyrãnidis symbolum.

Nicetas Scriba & Amanuensis Imperatorius.

re cœpit. Et quẽadmodum toruis truculentísque leæna nuper enixa venaticos canes oculis obtueri solet, ita tyrãnis, si quem inter Imperatoris aulicos & familiares fidum & industrium deprehẽdere potuit, eum statim suspectum habere, omníq; ad illum procul extrudendum conniti animo & labore cõtendere cœpit. Illud verò vtique præstitit, quàm plurimósque potuit vno & eodẽ supplicij genere mulctauit.

Quàm crudelis in Magistratus & ceteros Togatos fuerit Andronicus, ex Nicetæ nostri Annalibus patet.

Nicetas exulare sponte quàm tyranno inseruire mauult.

Quæ cùm præsens ille tyrannorum, aut (vt generaliore verbo vtar) improborum osor intueretur, à tyranno communi hominum gurgite, & immani helluone secedere, quàm libidini crudelitatíq; illius inseruire maluit: illud quidem audaciæ, hoc verò impietati ascribẽs. Itaque procul ab Ioue (vt aiunt) & fulmine recedere decreuit.

Non ergo ineptè poeta: exeat aula, Qui volet esse pius. nec Vmbricius ille apud Iuuenal. sat. 3.

Inde ergo vbi Imperium in tyrãnidẽ versum, nec ampliùs vlli patêre videt (qui saltẽ veræ religionis studiosus sit) obfirmato animo contrà nititur, ad studiúmque iuris ciuilis transfugiens, Imperium tyrannide deformatum legum Musæis, Themidósque sacrariis commutat: quæque frequenti & assidua lectione ex librorum chartulis excerpere potest, ea in pectoris sui pugillares transcribit, atque adeò tandem viua legum tabula, spiránsque commentarius euadit. Deinde sublata tyrannide, Imperióque rediuiuo, ille quoque ad res Augustales obeundas, velut

postliminiò reuertitur. Opus sanè tantò cōmendabilius, vt quod legitimis Reip. gradibus succederet, quātò remotiùs hesterna tyrannide secessisse, vel etiam ex diametro repugnasse videbatur.

Idem prætereà alio magistratu exornatus est. Tametsi verò in Thraciam non statim missus sit, vt ibi arcibus reficiendis, ciuitatibúsque communiendis præesset, atque adeò militariū ordinū delectus haberet, id muneris tamē paulò pòst executus est. Cæterùm quo tēpore de ratione vitę instituenda cōsilia nobiscum inire cœpit (quia res domesticæ bene disponendæ sunt, ísque adeò se priuatis in ędibus, tanquā parua quadā Repub. exercere debet, qui ad rerum maiorum communiorúmque gubernacula contendit) de familia sua constituēda primùm cogitauit, nuptiis çum singularis exempli fœmina cōtractis, quæque Dei Opt. Max. dono obtigisse, frugi domesticarum curarum consors futura videretur, atque eo præsertim nomine in manu viri conuenisse, vt carnis vtrinq; liberorúmque communio coïret, quæ nullo temporis vnquam tractu dissolueretur, & id ex huiusmodi cōuictu præstaret, ne viri medullæ vllum inde incommodum aut detrimentū caperent. quēadmodum pulchrè Sapiētis ἀπόφθεγμα suadet. Quod fratris institutum cùm plerisque innotuisset, quî recensere possim, quot primarij adolescentes

Nicetas arcibus Thraciæ reficiēdis præfectus.

Tales Magistratus Basili⁹ acrostichide ad Leonem Filium decima octaua eligendos monet.

Vide Musoniū Tractatū 3. qui de scopo nuptiarū inscribitur.

Prouer 12. Mulier diligēs corona est viro suo, &c. Et Eccl. 26. Gratia mulieris sed delect. virū suū &c.

affinitate ſeſe nobiſcum deuincire ſtuduerunt? Non tot herclè proci temulẽto agmine comeſſabundi ad Penelopen, quot ad illum Matrimonij cõtrahendi interpretes, & quaſi proxenetæ confluebant: quorum alij filiarum, alij ſororum nuptias moliebantur. magnifica & glorioſa oſtentatione alij alios ſuperare conantes, atque etiam venditatione quadam eorum, quibus vnuſquiſque ad nuptias illas tot nobilium procorum votis & cõcertationibus expetitas, maximè eniti, & neruos ætatis induſtriæque ſuæ contendere, earũ denique potiri, cõpóſque fieri poſſet. Itaque alij vel generis, vel formæ, vel etiã vtriuſque prę̃ſtãtiã gloriãdo, alij contrà ſententiarum grauitate, verborúmque ponderibus, tanquam in procinctu ſe tutati ſunt: vt mihi frater dubitans & hę̨ſitans non paruum officij onus impoſuerit, dum iudicio meo ſocerorum delectus committit, ſéque vel imprimis amplexurũ affirmat, quicquid ſuper ea re mihi arrideret, factó q; opus eſſe videretur.

Sua omnia Nicetas fratris iudicio cõmittit.

O animum verè fraternũ! qui mihi omnia ſua cõmendaret & concrederet: cuiúſq; conſilia à me, non ſecus atque ab aliquo Numine, vim ſuam & effectum caperet. Qúo herculè facto euidentiſſimè patuit, quomodo meus ille, imò bonarum literarum alumnus ad virtutẽ affectus eſſet: quaquidem nihil ex omnibus quæ ſunt in rerũ natura antiquius

Virtus quãti apud Nicetã ponderis.

aut obseruatione dignius arbitraretur: non opes, non formæ dignitatẽ, non generis claritatem, non famæ celebritatem: tametsi ea ætate esset, quæ facilè huiusmodi fortunæ ludibriis & illecebris irretiri solet, & coacescere, dum ad auitas & patrias res augendas, nobilitandum genus, corpúsque reficiendũ & curandum indulgentiùs quàm par sit, & feruentiùs incumbit.

Belissariotidem Nicetas vxorem duxit.

Omnibus enim procis, iísque præsertim qui vel summam dotem dicerẽt, & promitterent, non sine animi excellentia & præstãtia posthabitis, illustriũ Belissariotarum probitati & ingenuitati facilè cessit, quos idem contubernium, earundémque sub iisdem magistris artium quasi communio & societas ad necessitudinem nostram adiunxerat. illorum enim sororem, quæ in optimæ parentis oculis intra thalami parietes castè & pudicè educata fuerat, duxit frater ille meus, quem Belissariotis simillimum non tam necessitudo & affinitas, quàm morum conuenientia effecerat. Itaque vt fratres animis non secus atque corporibus vnà vnis in ædibus habitabant, eadem ex mensa cibos in dies capessebant, iisdem gaudentes, iisdem vicissim commouebãtur. vnà forum, templum, conciones publicas, palatium adibant: inde rursus non singuli, sed pro more bini domum reuertebantur, mirificum se alter alteri comitem præbebat, vt iam æmu-

Belissariotarum encomiũ

landum cognationis par, & authoramētum beatissimum in ore omniū versarētur, atque adeò maximè perspicua temperantiæ exemplaria audirēt. Quandiu certè cœlibes egerunt, nobile par fratrum passim hominū increbrescens peruagatū est. pòsteà quàm verò honorabili cōnubio in omnibus, & toro immaculato iugati sunt, tū verò illis affinis idē qui mihi frater fuit. Hi alij aliorum medullis & visceribus imis velut colliquefacti, vsque adeò inhęrere cœperunt, vt statim illos in vnam massam cōcretos coiisse quiuis æstimaturus esset. quę quidē nullo temporis tractu dirimi aut intersecari posset, ea potissimùm de causa, quòd Belissariotæ quidem pro suis dignitatibus in vrbe Reip. cōmodis consulerent, frater autem meus non in vrbe tantùm, sed etiā in prouincias & municipia, vt iam dixi, ab aliis aliísque Imperatoribus missus, rerum summæ præfuit.

Mutuus Belissariotarum & Nicetæ à pueris amor.

Tempus quidem certè mutationi vsquequaque patens & expositum, Imperatoribus etiam superstitibus Imperia ademit: à Sceptuchorúmque manibus abrepta sceptra ad alios, ab hísque denuo ad alios transtulit: fratri autem meo honores & magistratus continua Imperatorum successio integros illibatósque, nec vllius successione interruptos conseruauit, imò verò qui subsequebantur præcedentibus erga illum beneuolentia anteire quasi contenden-

Nicetas in quo plerisque vel Imperatoribus felicior.

tes,ad priſtinos illius honores aliquid inſuper adiiciebant.viri nimirum virtute obſtupeſcentes, tantúmque ex imperio ſuo imminui exiſtimantes,quantum de honoribus illius imminueretur.

Neque verò vulgares tantùm & plebeij homines (quibus ad honores vix vllus patet aditus, quorúmve conatibus fortuna tenuior & obſcurior obſtare ſolet)palatia frequentabant,quantouis pretio honorem ab Imperatoribus delatum æſtimabant, publicáque qua poterant arte munera, lucro addicti venabãtur: ſed hi etiam de quibus mihi ſermo eſt, vnà cum virtutis & honeſti amantibus illò ſe conferebant, benéque de Auguſtis multa munificè & largè dantes promerebant, & velut ſumptuoſiores quidam margaritarij vniones,ſmaragdos,lychnitáſque magno precio comparatos inde domum aſportabant, ſatius eſſe rati, ſi dignitatum prærogatiuas pretio ſibi compararent, quàm ſi ab illis vltrò ornarentur. Quorum certè ſingularem eximiámq; virtutem Imperatores experti, quòd nimirum lucri,priuatæque vtilitatis contemptu,Ariſtidem:temperantia, Hippolytum,Bellerophontem, & Ioſephum : iuris denique obſeruantia Minoëm, Iudices minimè nummarij, longè præuerterent : rebus illos ſuis domi foríſque præfecerunt, ærariorum illis, theſaurorúmque & cubiculorum ſuorũ

Haud facile emergũt,quibus eſt res angusta domi. Dat cenſus honores, &c.

Baſilius tamen Imp.ad Leonem filiũ acroſtichide 43. eos improbat qui pro publicis muniis aut Magiſtratibus quicquã dãt aut accipiũt.

Ariſtides.
Hippolytus.
Bellerophon.
Ioſeph.
Minos.

ianuas patefecerunt, chariſſima quæque nõ ſecus atque familiariſſimis concrediderunt, illos denique in aperta & propatula vrbis adminiſtratione magnos Logothetas, Ephoros & Politarchas deſignauerunt. Illorum enim virtute, veluti quodam regno, ciuitatum gubernacula ita exornauerunt, vt ea potiùs ab illis, quàm illi ab vllis Rerumpublicarum honoribus præmiis, aut ſplendore, Auguſtorum munificentia collatis illuſtrarentur. Imò verò, vt dicam id quod res eſt, ab Auguſtis in clariſſimorum temporũm ſuorum ornamenta, Reipublicæque gubernacula ex legum præſcripto moderanda, quaſi communes quidam Harmoſtæ, morũmve magiſtri, creati ſunt: cuiuſmodi quondam magiſtratus ſuos nullo non honorum gradu cum maxima ſui nominis celebritate perfunctos vetuſtiſſima illa Roma nouerat, qui viciſſim vrbis illius, quæ cæterarum omnium facilè princeps tunc temporis floreret, Imperiíque ſui fines longè latéque protenderet, ornamenta in commune totius orbis ornamentum, communémque humanæ ſocietatis vtilitatem, cedere arbitrarentur.

Logothetæ. Ephori. Politarchæ.

Harmoſtæ.

Vt rem paucis expediam, ſalua quidem ſunt proſperitatis humanæ propugnacula, Pharos autem & portus, quorum illa ſunt adminiculis conſeruata, naufragium nobis abſtulit.

Alludit ad illud Scip. Naſica apud D. Auguſtinum De Ciuit. Dei lib. 1. Stant mœnia, ruunt mores.

Quî tamen, ô fieri poteſt, vt tantorum virorum virtutes tam ſuccinctè, verbíſque tam paucis ita percurram, vt plurima ſilentio prætercam? partim quidem confuſus ex eo, quod affectu ſim vehementi & concitato, magis quàm bonis illis adducto, & perſuaſo, quibus & in vita præditi, & in morte non ſine magno ſeculi noſtri detrimento, priuati fuerunt: partim verò cautiùs proſpiciens, ne quis hanc orationem ſuggillet, vt quæ inſtituti argumenti oblîta, maiorem Thylaco, vt in prouerbio eſt, acceſſionẽ fecerit.

Prouerb. Acceſsio Thylaco maior.

Quandoquidem noua Sion, non ſecus atque vetus illa, à ſuis tanto in rerum diſcrimine deſerta, in hoſtium manus incidit, & funditus euerſa eſt. Quicquid etiam in ea ſupplementi, vel latebrarum, vel leuis armaturæ beneficio, manus hoſtiles ſubterfugerat, Nicæam Bithyniæ metropolim commigrauit: ibíque adeò nunc exulant, qui heſterno die conciuium ſuorum lætitiæ congratulati, hodierno, prô dolor, mœrentibus congemiſcunt: vt qui beatæ anteà ciuitati ornamento fuerunt, iidem hodie infœlici ſolatium adferãt. Iis enim ipſis quæ dicebãt, quæq́; ſapienti & magno animo diſciplinæ attẽti patiebantur, non parum cõſolationis adferebãt, ignauíque pectoris & hebetioris ingenij hominibus non paruos ad fortitudinem capeſſendam aculeos adiiciebant.

Conſtantinopolis à Latinis expugnata.

Nicetas Nicea exulat.

Ezech. 17. Itaque quemadmodum Ezechiel & Da-
Dani. 9. niel eos qui apud Babylonem animo defi-
» ciebant, exclamantes: Exaruerunt ossa no-
» stra, spes nostra desperata scilicet euanuit:
» perappositis colloquiis recreabãt, quandiu viuis illis frui, quandiu condolentes & consolãtes experiri licuit, leuiora proculdubiò fortunæ tela sentiebant, nec omninò à patria se sua exulare arbitrabantur, vt qui pulcherrima ciuitatis suæ donaria, capitáque adeò quibus Reipublicæ gubernatio innititur, etiam tum ostentarent. Non enim ex mœnibus, quãlibet illa hominum manibus affabrè structa, aut tectis sublimibus, aut porticibus, aut foro exornata sint, vera ciuitatis forma dependet, sed ex hominum probitate, honestate, religione: quibus quicunque præditus est, etiam si sub quercu pernoctet, melioris ille naturæ hospes efficitur, dignior interim, quem ciuium suorum catalogo quælibet vrbs accenseat, ne dicã mundum ipsum, quantus quantus est, hisce moribus incola prorsus indignum.

Alludit ad Lacedæmoniorum Rẽpub. quæ viris nõ mœnibus nitereetur.

Reipub fundamenta.

Quæ quidem omnia, tanquam piæ ciuitatis fundamenta, præsentes illi vel solo nutu adimplebant, vt quorum animis Reipub. bene constitutæ forma altiùs impressa esset, ac si eiusdem leges animatæ, quoddámque velut superstitis Cõstantinopoleos propugnaculum essent. Posteaquàm verò par illud fratrum sanctimoniæ fama celebrium,

ad cœlestem illam Rempub. paucis antè diebus euocatum est, nec ita multò pòst frater ille meus, qui duorũ iugo tertius accesserat, eodémque quo illi senatorio munere fungebatur, vnà quoq; cum illis assumptus, æternísque Senatus albo adscriptus est, tunc verò nostri illi Megalopolitani, qui Nicæã commigrauerant, illos à se abductos senserunt, tunc vno omnium consensu nudos se, pristinæque gloriæ ornamentis spoliatos agnouerunt: tunc denique se nihil aliud quàm miseros exules & extorres, atque omnino ciuitate pulsos ingenuè professi sunt. Quamobrem in luctus etiam æquè acerbos inciderunt, atque si ipso in temporis articulo ciuitas illa repentino hostium incursu victa, euersáque corruisset. Enimuerò cùm pretiosissimis quibusque rebus spoliata esset, cùm sua illa ditissima æraria hostium direptioni exposita vidisset, quantum, prò dolor, Christianæ Reipublicæ vinculum dissectum est! quæ ciuitatis vnitas dissoluta cõcidit! quantus bonorum cumulus inuersus est! qualem probitatis honestatísque triplicem funiculum non calamitatum quidem, iuxta sapiens illud ἀπόφθεγμα, disrupit ἐπίπασις, aut circunstantium casuum violentia diuulsit, at sola mors auream virorum illorum catenam dissoluens sigillatímque dissipans, ad nihilum tandem redegit: cúmque adeò clementissimus ille vir, opti-

Megalopolitanorum nomine constãtinopolitanos intelligit.

Constantinopolis à Francis expugnata.

Nicetam & Belissariotas duos intelligit.

Michael Belissariotes.

Michael Belissariotes. múſque Michaël primus fato conceſſiſſet, ex facili illa & ſimplici anima tãtum ſuperfuit, quãtum Megalopolitana colonia ſuos in vſus repoſuit: vnicum interim dolorum ſolatium, locupletem illum ſcilicet multiſciúmque Ioannem ſibi proponens, illum *Ioannes Belissariotes.* inquam, qui conſilio & prudentia reliquos antecellere ciues, Reipublicæque adeò optimè conſtitutæ viuum exemplar dicebatur.

Verùm poſteaquàm paucis interiectis diebus hoc quoque fratrem ſubſecuto noſtra colonia orbata eſt, atque iuſta funeri eius perſoluit, Nicetas frater meus ſupererat, quem illa prædicaret, tanquam eum, quo in vno omnes animi duorum præcedẽtium dotes eluceſcerent, cuius etiam cauſa non paruam animo expectationem conceperat. Quem ſimul atque naufragio poſtremum amiſit, immodicis hodie doloribus fathiſcens, tãquam fluctibus adobruta, ad *Aſianorum & Europaeorum de morte Nicetæ luctus.* imúmque demerſa eſt. Huius audita morte, dici non poteſt quantos in luctus inciderit Aſia, quámque querulis lamentis quiritanti mœſtior Europa reſponderit, ſimul atque de communi omnium damno certior facta eſt. Quòd ſi vtrique continenti velut vniuerſale fatum tantam cladem intulit (ſiue probitatem vtraque tuam antè experta fuerat, ſiue rerum à te præclarè geſtarum fama *Apoſtrophe ad Nicetæ Manes.* ad earundem aures peruenerat) vt tam ægrè mortem tuam, ô chariſſima mihi, ſanctiſſi-

máque anima, tulerint, quem nos quæso gemitibus & querelis modum imponere debemus? qui si cuiusmodicúnque habitus, aut cognationis, vt iam dixi, ratio habeatur (generis enim origo eadem nobis est) innumeris affligamur modis: nos, inquam, quibus à te officiorum infinitorum cumulus accessit quibus tuæ virtutis ergô nulla non honoris species accreuit, qui non exiguam ex rebus à te præclarè gestis laudem nostro quasi iure nobis vendicamus, cùm nunc tandem sine vlla mora & confestim nos tui splendore nominis priuatos videamus (gẽtem aliàs multiplicem, & proletariam, quæque per omnes Asiæ atque Europæ regiones longè latéque diffunditur, & tui nominis auspicio nobilitatur) quos tamen hoc tempore separari, aut domi quenque suæ seorsum lugere minimè decebat, sed in vnum potiùs locum coëuntes, atque tumulum tuum circunstantes, me misero luctus coryphæo, lugubrísque næniæ præcentore, tristissimis concentibus, & lamentis dolorem testari conueniebat, illo non minorem, quo Iosephi exercitus, cùm Iacobo iusta persoluerent, commotus fuisse fertur. Nam si hoc pacto luctus nostros instituissemus, nihil omninò fuisset, quod nobis hac in re defuisse meritò quisquam obiicere potuisset.

Choniatarũ gens nobilissima.

Genes. 50.

At verò cùm nunc alij ab aliis seiuncti

πάθος à familiæ Nicetæ statu.

ſimus, cõiux quidem digna quæ tecum vulgò decantatam cornicis vitam tranſigeret, aliquo in angulo, mediáque humi procubãtium filiorum ſcilicet & puberum & impuberum corona pullis induta veſtibus ſedés, & ſeipſam marito, & filios parente orbatos, eiulatu miſerabili lamentatur. Ex libertis autem ætate prouectioribus alter aliis neſcio quibus errans in locis tacitus apud ſe luget, querulámque monauliam proſequitur. propinqui denique alij conſanguineíque quotquot Aſiam incolunt, lugubris huius tragœdiæ actus, ad eos qui in Græcia habitant, tranſmiſerunt.

Hic videtur alterum periodi membrum deeſſe quamuis in exẽplari nulla lacuna ſit.

Ego porrò longè infeliciſſimus & miſerrimus frater heſterno quidem die nudiúſq; tertius amplam aliũde luctus materiam nactus, cùm ex publicis tũ priuatis meis ipſius incommodis: eo præſertim nomine, quòd opulentiſſimum iuxtà & celeberrimum tẽplum Athenienſes (illud inquam, ſancte Domine, Auguſtiſſimũ tẽplum, quod Dei genitrici conſecratum eſt, talíque præſide in perpetuum eget) mihi commiſſum, cuiúſque adeò ſpirituali altari præeſſem, vbi quàm maximè poteram ſacro miniſterio exhibendo aſſiduus inuigilabam, me præſente, prò dolor, atque his oculis vidente à nephandis ſacrilegis expilatum & vaſtatum eſt. Ego autem qui ante tres annorum decadas ibi velut inſitus fueram, ex aula Domini auulſus,

Athenarũ templum D. Virg Mariæ ſacrum, vivo & vidente Michaele Choniata expilatum.

auulſus, vt ſiccus quidam & prorſus inutilis truncus, vehementiore procellæ flatu, nunc in littora variis fluctibus adobruta, vel confragoſos aliquos ſcopulos eiectus, nunc in depreſſam cõuallem æſtuantis maris exundatione protruſus fui: his ſcilicet exul in locis, ſine clero, ſine vlla dierum feſtorum celebritate, ſine ciuitate, denique mediaſtinus deſertæ vlulæ in morẽ lugubre neſcio quid apud me tacitus de publica & priuata pernicie quiritor. Nunc autem, ſi luctus huiuſmodi de rebus vlteriùs mihi protrahendus non ſit, ſola ſaltem memoria nunquam excidet.

Ad cæteras ſuas miſerias Michael dolorem è fratris Nicetæ morte acceſſiſſe queritur.

At verò ille chariſſimi capitis obitus qui tot meis malis inſtar decimæ Ægyptiorum plagæ, nimirum primogenitorum internecionis, acceſſit, omnem ad ſe planctum, omne lamentum, nænias omnes, omnes denique lachrymas attraxit. Hæc enim ille qui ſuæ indignationi viam præparat, quaſi manifeſta quædam tormentorum gymnaſia mihi prætendiſſe videtur. hoc autem certamen inſuper accumulaſſe, maximum quidẽ illud, & ſummum, nec omninò periculi expers. Ex quo fit, vt priſtinæ illæ plagæ leues, tuberculiſque ſummam cutem delibantibus ſimiles, atque adeò facilè medicabiles euadant, hæc autem contrà certo ictu inflicta ſit, animíque receſſus intimos penetret: vel fieri quidẽ poteſt, vt tentationum fumus

indignatione Numinis aſcéderit, qui futurum incendium prænunciaret,& crebras ex oculis lachrymas eliceret, poſt quem afflictionum ignis iam exardeſceret. Longè verò calidiores & diuturniores eſſe quas iam ſuo pœnas dies hodiernus oſtédit,quo quidem carbones exarſerunt,qui mihi nunquã reſtingui, aut à cordis mei ſanguine depaſcendo cohiberi poſſe videtur. Ex quo euenit,vt illæ me lachrymæ deſtituerint, ſiue quòd priſtinis meis malis exhauſta ſit aqua illa, quæ meo de capite deſtillabat, ſiue ꝙ maiore nunc ſim metu perculſus, atq; adeò cor meum mille anteà modis afflictatum, tandem ſicut fœnum aruit,nec in poſterum tantus aut lachrymarum riuus,aut lugubriũ ſermonum fons ex illo ſcaturire poſſit,quãtùm perturbationis ipſius magnitudo requirit,vt quo doloris illius,quẽ animo concepi meo,tandem eiecto pondere,leuior & expeditior euadam. Quare iam mihi ſiccis oculis, mutíſque ſingultibus intolerabilis hic alioqui dolorum fœtus neceſſariò tolerandus eſt.cui etiam breuiuſculo miſerabilis huius vitæ, ſi quod ſupereſſe videtur, excurſo ſpatio, commoriar, atque neſcio quam ſubterraneorum barathrorum, marinorúmque ſinuum in partem proiectus, iacebo:atque ita fratri, ſenior iuniori, decrepitus perfectæ ætatis crudæque ſenectutis viro,coniungar.

Mira doloris acerbitas.

O diuina prouidentia, quam nullus hominum industria coniecturáue vlla assequi potest, quæ modis inenarrabilibus res diuinas & humanas moderaris, quę mens, quæso, fatali iudiciorum tuorum abysso se credere, in eáque natare audeat? quamlibet illa Philosophię addictissima studio, nodos dissoluere, implicatáque explicare possit? Differor equidem dolore, qui me ita extimulat, vt tale quidem profari cogar, ex quo periculum est ne temeritatis mihi nota inuratur. Quî fit, vt canus ego, telluris inutile pondus, qui graui senio premor, nihílque sum, quod aiunt, quàm vulnus, in quod omnia naturæ fata confluxerunt, diutius captiuus hoc in terreno carcere supersim? spectaculum certè nec satis rerum vniuersitati conueniens, nec iam tale quod iubari solis exponendum sit. Ille verò qui nondum pedem limini senectutis intulerat, longè dignior qui vita diuturniore frueretur, eo præsertim nomine, quòd vxoris & filiorum non paucorum seruator, maioribus suis sua virtute præluxerat, atque adeò multa in communem totius orbis vtilitatem contulerat, tanquam gloriæ splendorísque mei corona, & qui ad hanc meam vitam concinnitatis aliquid in dies adferret: ille inquam, immatura morte, quod me ad insaniam propè adigit, nõ sine communi externorum propinquorúmq; iactu-

Alludit ad illud Homer. ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης.

ra præreptus est. In illo enim nō externorū tantùm bonum, quod de iusto viro sapiētes dictitāt, sed nostrum quoq; repositum erat.

Quàm officiosus Nicetas in cognatos & amicos fuerit.

Vbi gēriū nunc quæso degunt, & qui genuina sanguinis cognatione freti, & qui eādem confingentes ad illum accedebant, illóque auspice quæ ab Imperatoribus petierant, ea celeriùs gratis consecuti, tandem hilares domum suam reuertebātur? & gratias multò vberiores beneficiorū auspici, quàm collatoribus agèbant? Illorum certè plures vel etiam nulli huc vnquā in medium processerunt.

Encomia lacrymis intermiscenda.

Huc ehodum omnes concurrite, eodémque mecum luctu prædiri nostræ gentis encomia planctibus meis intermiscete, vt iusti huius viri memoriæ merita laudum præconia tribuamus, nec solis eā lachrymis decoremus. Neuter enim modus ab honesto seu decoro alienus est. Siquidem iusti viri mors lachymas prouocat, efficítque vt illius desyderio laboremus: memoriam autē laudibus non excolere non possunt ij, qui ab illo quæ imitantur, virtutis exempla petunt.

Belissariotidis Virginis à stupro liberatio. Constantinopolin intell. Phinees. Numer. 25. 1. Maca. 2.

Vbi verò nunc mihi virgo illa vultu tam liberali, cui barbarus hostis, cum primùm nostra Megalopolis capta est, vi raptæ iam stuprum illaturus erat, nisi acer hic honestatis & pudicitiæ amator vt vidit, vt misertus eius est! qui sine vlla mora in hostem irruēs, tametsi Phineem in illa defendenda imitari

non potuerit, quamlibet eodem quo ille olim, noster hic quoque zelo flagraret, puellam saltem sibi vendicauit, vxorem legitimam esse clamitans, séque fida coniuge priuari, atque ideo acerbissimis afflictari modis quiritans. Ambarum itaque tenacitate manuum prehensam pancraticè cum hoste colluctatus, cuius animum amore ebrium furor efferarat, ad se retraxit, nec priùs conquieuit, quàm à violenti hostis manibus virginem ereptam, virginem patri restitueret. Præstò sit verò nunc & illa, vt lamentis, gemitúque & fœmineo vlulatu suæ libertatis vindicem conclamet, illum, inquam, à quo seruata, nec secus à stupro liberata est, atque si pudicitiæ eius conseruandæ, integritatíque custodiendæ iam olim præfectus fuisset.

O præclarum facinus! cuíque ex priscis illis nullum respondeat. Fertur Hercules Hesionem quondam liberauisse, cùm beluę marinæ obiecta fuisset: itidem & Perseus Andromedam. At illi armati, ferróque accincti beluas aggressi sunt. Et virgines tandem matrimonij sibi nexu coniunxerunt. Hic autem noster inermis armatam beluam inuasit, eámque tot mendaciunculis aspersit, tot astutiis circumuenit, vir alioqui verax, miniméque mendax, vt intactam puellam patri tandem eius restituerit. *Hercules.* *Hesione.* *Perseus.* *Andromeda.*

Dinæ raptus Genes. 34. Cæterùm Simeon & Leui sororem raptoribus extorserunt, & iam violatam & constupratam, ídque certaminis vix ac ne vix quidem sine crebra in ancipitem gyrum circuncursatione, nec sine cædibus innumeris, totiúsque ciuitatis excidio peregerũt. Quare non sunt illi cum hoc nostro conferendi, qui puellam integram & illæsam sola certans oratione sine cæde receptam reduxit. Equidem præclarum illum fratrem meum in Abrahami filium propter fidem adoptatum fuisse certò scio: quin & hoc audacter ac liberè dicere non verebor, patribus illis Abrahamicis nostrum hunc multò præstantiorem fuisse. Abrahamus enim primùm apud Pharaonem, deinde apud Abimelechum Sarram suam esse sororem non coniugem professus est: vt & Rebeccã Isaacus. *Gen. 12. & 20. & 26.* Illi nimirum terrefacti cõiuges suas dicere verebantur, ne propter illas interirent: Hic verò virginem necdum sibi in matrimonium collocatam, suam tamen vxorem nominabat, ad se retrahebat, sibi vẽdicabat: vitæ pro illa discrimẽ subire, si res ita ferat, haudquaquam detrectans.

Susanna. Daniel. 13. Quòd si Susannam Daniël à violẽtorum amatorum, & iniquorum iudicum furore asseruit, at ꝓ tribunali priùs sederat, libidine excæcatos iudices seorsùm abduxerat, vtrũque interrogauerat sigillatim, súoque ipsorum iudicio cõuictos, & capitis damnatos,

lapidibus cooperiri iusserat: atque hoc pacto pudicam ab iniqua sentẽtia liberauerat. Deliciæ verò meæ, vir hic nimirum, qui natura sic comparatus erat, vt nemo nostrûm votis omnibus similis illi euadere nõ expetat, non iudicãs, vt Daniel, sed hostẽ adulterij crimine accersens; nõ constupratæ fratrẽ fingẽs, vt Abrahamus, nõ id mẽtitus, quod in reprehensionẽ incurrere meritò posset, vt Isaac: sed virginis etiãnum viro crudæ virũ (quod sapiẽtius iuxtà ac virilius fuit) se dictitans, violentũ illũ raptorẽ fefellit & repulit. *In codice Græco ἀδ. pro Ισαὰκ malè suppositum videtur.*

Hinc perspicuum est ea quæ nunc recẽseo priscis illis lõgè præstantiora esse: quippe quæ Christum redoleant, atque ita legali illa iustitia longè excellentiora sint. Quemadmodum enim seipsum Christus Ecclesiæ nomine tradidit, cùm tamen adhuc Ecclesia nusquam esset, nedum Christo desponsata, (Adhuc enim peccatores eramus, cùm pro nobis mortuus est Christus, vt Apostolus ait.) Ipsa quoque ignominiæ sibi conscia, quam impietate pristina sibi contraxerat, Nigra sum, inquit alicubi, Filiæ Ierusalem: ita etiam frater meus pro illa quam nondum in vxorem duxerat, nec adhuc omninò ducturus erat, parum abfuit quin vitam profunderet, dum certis se periculis obiicit: & qui virum simulauerat, patris re vera munere perfunctus est, atque patris, in quo naturalis erga libe- *Nicetan præcedẽtibus Patribus cur anteferat. Ephes. 5. 1. Cor. 5. Cant. 1.*

ros amor,eorumdémque salutis propugnatio, multò magis quàm in eo qui puellam genuerat,elucesceret. Ille siquidem victoribus cessit,fugáque salutem quæsiuit:hic verò puellæ, cùm ad stupra durúmque seruitium abduceretur, vindex adfuit, eámque tandem extrema pericula priùs expertus liberauit.

O sapientissime frater,tu proculdubiò in cœlorum regia institutus es, idcircò etiam lingua tua subitam virginis quæ abducebatur libertatem, veluti calamus scribæ velociter conscripsit, Quinetiam labia tua tanquam funiculus coccineus contorto breuíque sermone,&,qui tuus erat zelus, exardescente barbari manus constrinxerunt, impetúmque violentum represserunt: necnon oratio illa tua tempestiua, quæ non intempestiuè virum mentita, sed in tempore cõmenta iniusto raptori iustam dicam impegit.O quî fieri potuit,vt tu mendacium, cui nunquam assueueras anteà,protuleris? Mẽdacium enim nõ secus atque mortem semper es detestatus. Perspicuum est haud dubiè, quòd quemadmodum vitam, si res ita ferret,pro salute periclitãtis puellæ profundere paratus eras,ita etiã mentiri non detrectasti,mendáxq; fieri,vir alioqui veri amãtissimus,& qui mẽdacio labia nunquã cõspurcasti. Enimuerò id quoque Christi imitatione perfecisti:qui pro nobis peccatum &

Psal. 44.
Ios. 2.
Mẽdacij Nicetæ apologia
2. Cor. 5.

maledictio factus est, vsque adeò omnibus omnia fieri studebat: tutore carentibus tutor, viduis procurator & maritus, orphanis pater, pauperibus frater, amicis fidissimus amicus, cognatis ius cognationis obseruans, vt qui maximè, fratri denique supra modum omnem & quàm fieri poterat, fratris amantissimus.

Quare minimè profectò conueniebat vt illius morte vel coniux vidua, vel orphani liberi tanta in intempestiuitate fierent (insanire mihi quoniam rursus libet) vel etiam frater ego illius, quæ mihi in posterum sola supererat, consolatione priuarer, vitámque acerbiorem experirer, eóque nunc grauiorem, quò leuiorem ille anteà vegetiorémque reddebat: Quamuis enim vnà mecum non esset, quoties tamen ille valere atque viuere nunciabatur, me non aliter recreabat, atque si mihi vitalem quápiam auram adflauisset. Et quemadmodum diuinus ille Dauides suam ipsius animam acerbitate tanta, tantóque cruciatu circumuallatam esse aiebat, vt consolationem respueret, quæ cùm primùm in Dei mentionem incidisset, confestim exhilararetur: ita & ipse ego quoties præsentium malorum grauitate premebar, sicunde ad me nuncium aliquod aduolaret, quo fratris memoria refricaretur, illum nimirum

Alludit ad illud Adhæsit pauimento anima &c. Psal.118.

adhuc viuere, benéque rem gerere significans, mox mirabilem quandam animo cõsolationem concipiebam. Quòd si quando mihi literas charissimo charissimi fratris autographo subsignatas recipere contingeret, tunc tunc & iucundissimũ illũ conspectum, & dulce colloquium in memoriam reuocabam, totúmque adeò fraternum caput accipere, & deosculari mihi videbar, tũc etiam afflictionum nubes illa, quæ animo circunfundebatur, quasi serena quadam tẽpestate subitò exorta, discutiebatur, & euanescebat: gratúmque mox lætitiæ lumen affulgebat.

Epistolarum vis & energia.

Psal. 114.

Nunc verò morte illius audita dolores inferni me circumuallant, opacæ anxitudinis calîgo cooperit, vmbra mortis adoritur: quandoquidem meus ille clauus vndis absorptus est. O qualis ego sacræ iacturam anchoræ feci? cuius quidem adminiculo anteà Atheniensium Ecclesiæ gubernator, fluctus omnes superabam: nunc autem cùm multiplici reciprocantium fluctuum cursu naufrago proximus iacter, illam mihi abstulit & vitam contraxit. Totus enim ab illa dependens vitam, quæ vel prouerbio fertur ἀβίωτος, ad hoc vsque temporis egi: mortíque me iampridem vocanti parêre cunctatus sum. Iam verò cùm anchora illa mea cassa sit, quid mihi cum

hac vita? quí ve diutius descensum ad Inferos omni dolorum genere redundantes comperendinare potero? Siquidem miserrima hæc vita idcirco mihi prorogata videtur, vt diuturniores luam pœnas, omniáque cruciamentorum genera perferam: atque ex illo calice sæpe bibam, quem Dominus mero vino plenum in manibus habet: ex quo etiam peccatores omnes bibere solent, cùm verò ad fæcem vsque ebiberim, iam commodum hinc abeundi tempus adesse videtur: cùm præsertim pœnas omnes pertulerim, quæ à mortali corpore expendi possunt. *Psal. 74. Ierem 25 & 48. & 49. & 51.*

Nec tamen hinc lubenti lætóque animo discedo, quasi vitam cum bono aliquo commutaturus. Terret enim me timor aliunde prorepens: ne simulátque hinc abiuero, grauioribus tormentis obiiciar, qui vitam variis criminibus obtriuerim. Graue quidem hoc est, illud verò grauius, si procul à fratre sciungar, maximo alio molestissimóque chasmate, quo inter medio eorum qui apud Inferos torquentur locus à fœlici beatorum virorum quiete longissimè disiungitur: ad quam profectò transductum hinc fuisse fratrem meum facilè credo. Illum enim planè mihi constat omni ope atque opera eniti solitum, vt ad illorum archetypa exempla vitæ suæ regulã efformaret, & ex- *Mors peccatorũ pessima. Psal. 33.*

non aliter atque fuſorius ignis, herbáve balneatoria ſordidos expurgat, nos quoq; tétationibus quibus hîc obiicimur, velut igne & aqua expiet, ſicque tandẽ ſuum in refrigeriũ tranſducat, & iuſtificatis per fidem concedat, vt eodem omnes in loco, atque admirandi illius tentorij æterni loco, ſimul inhabitemus.

ὡς πῦρ χωνευτήριον, καὶ ὡς πόα πλυνόντων.

EIVSDEM MORELLI DE XENOphonte & Michaële Choniata Carmen, In Græciæ cunas & tumulum.

Cecropidûm Præsul Michaël, dũ tristia fratris
Nicetæ queritur funera Choniatæ,
Cygnea testatur tua vox, ô Græcia, quæ nam
Viribus effœtis cùm morerêre fuit.
Atticus ille lepos Xenophon, quo scilicet olim
Nobilis à teneris claruit vnguiculis,
Occidit, heu, tecum, tumulúmque subiuit eundem,
Fœdáque successit nec mora barbaries,
Constantinopolíque fugans, Cypróque, Rhodóque,
Eubœáque sacras, proh dolor, Aonidas.
Qui volet ergo tuas cognoscere, Græcia, vires,
Cum Xenophonte legat funera Choniatæ,
Ille tuas cunas nascentis floribus ornat,
Hic tua fraterno funere fata gemit.

Ἀδικεῖσθαι κρεῖττον ἢ ἀδικεῖν.

INDEX HIC INTERPRETIS est Petri Morelli in quinque duntaxat priores huius operis Nicetæ libros.

IN LIB. I.

IN LIB. II.

IN LIB. III.

IN LIB. IIII.

IN LIB. V.

D. Epiphanij

* P. Morelli Πάρεργον Ad lectorem.

Monarchiæ, seu vnius in Trinit. &c.

FINIS.

DECASTICHVM PETRI MORELLI AD CANDIDVM Lectorem.

Magnanimũ à teneris quisquis nouisse leonẽ
Vnguiculis certas, candide lector, ades.
Perlege Nicetæ libros hos quinque priores,
Dum tibi vicenus septimus exierit.
Hæreticûm potes his cuneos superare, Dei qui
Zizanium latis inseruëre satis.
Choniatæ Sanctandrais thesaurus in agris
Hactenus hic latuit, qui modò publicus est.
Tu quibus auspicibus frueris iam munere tanto,
Fratribus, ô Pylios ritè precare dies.

Ἀδικεῖσθαι κρεῖττον,
ἢ ἀδικεῖν.